ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Sapremo Romano Pontifice immediate dimanantia : acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi ; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum, qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXXVI.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE


1903-1904.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America



PIUS PP. x.

ANNUNCIO VOBIS GAUDIUM MAGNUM

HABEMUS PAPAM

EMUM ET REVMUM CARDINALEM

IOSEPHUM SAETO

QUI SIBI NOMEN IMPOSUIT

PIUS DECIMUS

Un fatidica verba, quae die quarta mensis augusti anno millesimo nongentesimo tertio de externo peristylio maximi templi Vaticani, inusitata gaudentis populi frequentia adstante, Emus ac Rmus Cardinalis Macchi pronunciavit.

Tunc Papalis Roma necnon totus catholicus orbis, obitus Leonis XIII causa publico gravique moerore affecti, a luctu destiterunt dulcique spe ac magna laetitia perfusi: spe et laetitia quae magnopere increverunt, statim ac novus Pontifex ex interno memorati Templi peristylio primam benedictionem Apostolicam est impertitas.

Etiam solemnis Incoronatio, quae in eadem Basilica S. Petri die nona eiusdem mensis peracta est, evidens fidei ac devotionis infallibili Petri Cathedrae evasit manifestatio.

Iamque fuga ventorum maturius ad geminum hemisphaerium laetum nuncium pervenit, atque in omnibus: catholicis ecclesiis gratiae Deo actae sunt vocesque laetitiae tanto Pastori plaudentes sublatae, cui omnes fideles- reverentiae et observantiae tributum reddere nixi sunt.

In hac quoque electione manifestius apparuit quam valde a iudiciis Domini hominum iudicia differrent: qui enim diebus Conclavi praecedentibus eoque ineunte gloriosam Leonis XIII haereditatem non fore assecuturum videbatur, divina Spiritus Sancti opera, mentes adstantium Emorum ac Revmorum Cardinalium ut felicem Praedestinatum eligerent sensim sine sensu afflantis, Ille ipse plusquam duplo maiorem suffragiorum partem adeptus est.

Novus Pontifex igitur sub dulci nomine Pii X, veluti Pastor Pastorum, Pater omnium Christifidelium et Iesus-Christi Vicarius in historia manebit.

Et Ephemerides « *Acta Sanctae Sedis* » non modo- de communi laetitia participant, sed iis praeterea munus- incumbit B. Petri Successori peculiaris observantiae ac filialis devotionis tributum praebere, cum de initiali sua vita angelico Pio IX, imperiturae memoriae, quammaxime teneantur, neque parum de iisdem Leo XIII, nuper e- vivis secessus, benemeritus fuerit.

Quinimo Pius X procul dubio illud coronabit opus, quod immortales eius Praedecessores feliciter inchoarunt, Ephemeridibus ampliorem motum infundens ut magis magisque sanctum ac laudabile suum scopum assequi possint.

Ad multos annos igitur, Beatissime Pater, ad multos, annos!

Ephemerides Tuae, memores quod « *Ubi Petrus, ibi Ecclesia»,* dum Tibi de felici Tuo adventu gratulantur plaudentque, dum Tibi filiale mentis obsequium tribuunt ac perfectam Tibi observantiam exhibent, summamque et absolutam obedientiam Tuis quoque desideriis testant, veluti praemio magno donatae, libentissime gaudent.

Pignusque demum suorum cohaerentium principiorum, dum instant in illud « *Christus vincit, Christus régnât, Christus imperai in suo Vicario* » Tuam Paternam et Apostolicam benedictionem implorant.

Acta Sanctae Sedis

Pius X, nuper Cardinalis Ioseph Sarto, in pago *Riese,* **dioecesis Tarvisinae (Italia) humilibus sed honestis parentibus die 2 iunii a. 1835 natus est. Natali loco studia ingressus atque deinde ad Collegium civitatis** *Castelfranco* **missus, statim ibi specimina ingenii sui exhibuit, adeo ut et optima indole et mentis perspicacitate et amore uteris inter aequales mirifice explendesceret. Cum vero magis magisque inclinationem in scientiam ac vocationem ecclesiasticam demonstraret, protectione et auxilio Cardinalis Monaco in Seminarium Pata vinum ingressus est, ubi vestem talarem induit, semper animum Superiorum et condiscipulorum sibi devinciens. Integritas vitae ac morum et indolis docilitas, quibus coeteris anteibat, Episcopum Tarvisinum incitarunt ut quam citius animarum curam ei concrederet. Ideoque primo parochus** *Tombolo* **atque dein a. 1867** *Salzano* **electus est. In exercitio huius ministerii Ioseph Sarto magnopere suis virtutibus eminuit ac inter sacros oratores magnam famam est consequutus.**

Omnibus omnis factus, ad operum suorum auxilium praestandum ac aliorum miseriam et indigentiam sublevandam

semper promptus fuit, ita ut idem Tarvisinus Episcopus a. 1875 inter Cathedralis canonicos eum adscisceret, necnon postea Cancellarium episcopalem, Poenitentiarium Seminarii dioecesani, Examinatorem Prosynodalem, Iudicem in foro ecclesiastico nominaret, atque demum, sede episcopali vacante, Vicarius Capitularis a Canonicis eligeretur. Ipse vero non modo mirum in modum negotia curialia peragebat, sed et ei tempus suppeditabat, ut animum suum in operibus apostolici zeli et evangelicae charitatis exerceret, praesertim in pueris instruendis. Eximiae eius dotes, de quibus praestans exemplum exhibuerat, ad maiora negotia gerenda eum designarunt. Cum enim Mantuae Sedes episcopalis suo pastore careret, in Consistorio die 10 nov. a. 1884 habito, ad illam dioecesim regendam Leo XIII Episcopum eum consecravit. Quam mirifice hoc novo munere functus sit dicere, verba tempusque deficient. Satis est innuere quod assiduam operam posuit praesertim ut intellectuali ac morali cleri educationi consuleret, atque ita ardore suo necnon illimitato zelo enixus est, ut inter presbyteros iugiter sacerdotalis spiritus cresceret et studia ecclesiastica ordinarentur, ut clerus reapse super candelabrum lux saeculi illuminatrix evaderet. Neque hoc sufficit: ipse enim quamquam episcopali charactere ornaretur, tamen iuvenes clericos edocebat, et absentibus professoribus, personaliter in cathedra eorum absentiae supplebat, philosophiam, theologiam ac ius canonicum tradens. Eius quoque solertiae debetur instauratio exactae observantiae sacrae liturgiae et cantus gregoriani, qui sunt veluti oculi ecclesiasticae disciplinae. In ecclesiis profanas músicas abolevit illisque musicam re sacram substituit, in Seminario illam clericos docens ac semper pignus particularis benevolentiae clarissimo Laurentio Perosi exhibens. De actione quoque catholica vitaeque christianae instauratione quam maxime bene meritus est. Eius Synodus dioecesana, quae abhinc ducentos et novem annos iterum anno 1888 habita est, veluti exemplar in eo genere manebit.

Omni tempore et loco Cardinalis Ioseph Sarto Pastor prudens et fidelis, zelo successus ac consilio plenus, omnium bonorum operum incitator indefessus apparuit. Mantuae, ubi magnam venerationem ab omnibus est adeptus, eius nomen clarum manebit propter organizationem et felicem exitum, quibus Sancti Aloysii Gonzagae et S. Anselmi iubilarias solemnitates celebravit.

Merito igitur Leo XIII in Consistorio diei 12 iunii 1903 sub titulo S. Bernardi ad Thermas ad cardinalitiam dignitatem eum sublimavit, pluribusque Sacris Congregationibus adsignavit; in subsequenti autem Consistorio eodem anno habito, ad Venetiarum patriarchalem Sedem promovit.

Omnes meminerunt de quaestione *exequatur* **concessionis causa exagitata, cum gubernium italicum sese de praetentione regii patronatus iactabat: sed demum, lite composita, Cardinalis Sarto gloriosae Sedi S. Laurentii Iustiniani successit. Multas difficultates et praeiudicia Cardinalis Sarto Venetiis superavit pariterque propter excellentes personales pastoralesque qualitates, sibi devinxit animum dioecesanorum, qui de eius eximia liberalitate adhuc bene meminerunt. Vir moderatorum et simplicium morum, vastae doctrinae et in linguis antiquis et modernis bene versatus, elucet praesertim admirabili pietate et singulari vitae integritate. Eius actiones redolent admiranda mansuetudine, sincera humilitate, indicibili tractuum elegantia et affabilitate, quae ei reverentiam et venerationem illorum omnium qui cum eo uti potuerunt compararunt.**

Cum primum Venetiani de eius electione ad Pontificatum audiverunt, licet cum profundo doloris sensu magnopere gavisi sunt. Nunc vero praestantes Pii X virtutes ex beati Petri cathedra lumen suum per universum catholicum orbem effundunt, qui ei multos annos gloriosi Pontificatus auspicatur.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus LEO PP. XIII gratulatur Archiepiscopo Cameracen, de felici exitu Incoronationis B. Mariae Virginis « Des Dunes ».

LÉON XIII, PAPE.

Vénérable Frère, salut et bénédiction Apostolique.

L'éclatant exemple de foi et de piété donné publiquement, ces jours derniers, par la ville de Dunkerque, au milieu des démonstrations les plus variées de joie provoquées par le couronnement de Notre Dame des Dunes. Nous a très profondément touché. Nous avons vu que plusieurs évêques de France et une foule immense de peuple, accourue de tous côtés, y avaient à l'envie rivalisé de piété, pour offrir à la très auguste Vierge toutes sortes d'hommages. Nous avons aussi constaté que ces actes de religion n'allaient pas sans une grande dévotion envers Notre Seigneur Jésus-Christ et sans la vénération due à son Vicaire sur la terre. Ainsi, plus les efforts de l'Enfer redoublent d'audace, plus aussi Nous avons de gages assurés du salut de la société! Pour guérir, en effet, les plaies sociales, il n'y a pas de remède plus efficace que l'invocation de celle qui, après avoir, par son divin Fils, procuré le salut du genre humain, a mérité d'être appelée le très puissant *Secours des chrétiens.* **De même, pour calmer les flots soulevés, rien de mieux que d'avoir les yeux constamment fixés sur la divine chaire de saint Pierre, d'où tant de bienfaits ont découlé sur la France. C'est donc à bon droit que vous relevez vers Dieu votre esperance ; vers ce Dieu qui sait tirer du mal lui-même une abondance infinie de biens. C'est à bon droit que vous tournez vos regards vers la Mère de Miséricorde, la Patronne de la France, afin que, grâce à Elle, les ennemis du nom chrétien, éclairés des lumières d'En-Haut, reviennent dans le sein de**

l'Eglise, comme au port très sûr de la vérité. En attendant, comme gage de Notre bienveillance et comme présage des faveurs célestes, Nous vous donnons très affectueusement dans le Seigneur la bénédiction Apostolique à vous, à tous Nos vénérables frères qui ont assisté aux fêtes de Dunkerque, à tout le clergé et à tout le peuple confié à vos soins.

Donné a Rome près Saint-Pierre, le 10 Juin 1903, de Notre Pontificat la vingt sixième année.

Léon XIII, Pape.

A Notre vénérable Frère
Etienne-Marie-Alphonse
Archevêque de Cambrai.

(Versio)

LEO PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Praestans fidei ac pietatis exemplum urbe *Dunkerque* **inter multas laetitiae demonstrationes Incoronationis Nostrae Dominae** *des Dunes* **causa excitatas, diebus nuper transactis publice exhibitum, quam maxime animum Nostrum affecit Vidimus quod iurganti pietatis aemulationi plurimi ex Galliae episcopis necnon innumera populi frequentia ex undique conventa adstabant, ut augustissimae Virgini cunctos redderent honores. Agnovimus etiam quod hi religionis actus non sine maiori erga Christum Dominum devotione et observantia, quae eius Vicario in terris debetur, comitabantur. Hoc modo, quanto magis Inferi conatus densant audaciam, tanto magis de societatis salute persuademur. Re quidem vera ut plagae societatis sanentur, nullum aliud efficacius remedium extat, quam invocatio Illius, quae postquam Filii sui divini opera humano generi salutem peperit, validissimum** *Christianorum Auxilium* **meruit appellari. Pariter et ut excitati Auctus comprimantur nihil melius, quam ut oculi in divinam Petri Sedem, ex qua super Galliam tam multa bona profluere, assidue intendantur. Merito igitur spem tuam ad Deum effers, ad Deum illum, qui scit de malo innumera bona excipere. Merito ad Matrem Misericordiae, ad Galliae Patronam,**

oculos advertís, ut, illa opitulante, christiani nominis inimici tandem divino lumine irradiati, in gremium Ecclesiae redeant, quae veritatis fidelissimus portus est. Pignus interea Nostrae benevolentiae, auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam benedictionem tibi venerabilibusque fratribus qui festis *Dunkerque* **adstabant, et clero ac omnibus fidelibus solertiae tuae concreditis, peramanter in Domino impertimur.**

Datum Romae apud S. Petrum die x Iunii MCMIII, **Pontificatus Nostri vigesimo sexto.**

Leo PP. XIII.

Venerabili Fratri Nostro
Stephano-Mariae-Alphonso
Archiepiscopo Gameracensi.

EPISTOLA

Sanctissimi D. N. Pii X pro 50 Conventu generali catholicorum germanicorum Coloniae cogendo.

Dileete Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quas nuper ad Nos misisti litteras nomine Coetus conventui catholicorum parando, eae duplici ex causa postulant ut grati benevolentisque animi Nostri non mediocrem iucunditatem testemur. Porro commune gratulationis officium, quod, propter summi Pontificatus munus Nobis divina favente clementia concreditum, deferre voluistis, filialem pietatem demonstrat, quae in Apostolicae Sedis obsequium vos omnes apte coniungit. Quinquagesimus autem annus, ab instituto Sodalitio vestro iam iam sese feliciter expleturus, illud ipse de se iubet certe sperare fore ut conventus, quem propediem habendum nuntiatis^ quam qui unquam sollemnior atque frequentior evadat. Qua ex re iusta ac secunda omnibus aeque gaudendi offertur occasio : scilicet et Nobis, quos ex summo huius Apostolatus apice, quasi de montis vertice spéculantes, recreat idemque iuvat tot fidei vindices, e Sodalitii vestri agmine eductos, contra gliscentes

errores strenue praeliantes cernere: et vobis, qui, memoriam praeteriti temporis repetentes, egregie factorum recordatione animos suaviter erigitis, ex quo uberiorum fructuum auspicia in posterum etiam capiatis. Itaque dum inter effusas laetitias Deo, omnium bonorum auctori, de agendarum gratiarum officio cogitatis, Nostri esse ducimus promeritae laudis praeconium tribuere : idque eo libentius, quo magis antea certi exploratique erant admirationis studiique sensus, quibus Leo XIII, Noster immortalis memoriae Decessor, in Coetum vestrum ferebatur: eo sollemnius, quo ex hoc Pontificii amoris testimonio, in laboribus pro Ecclesia subeundis non paratiores modo, sed etiam alacriores pergetis. Neque in tanta rerum vestrarum iucunditate dedeceat domesticam Ludovici Windthorst aliorumque clarorum virorum excitare memoriam ; quos patria et religio desiderant qui conventus vestros conspectu suo diu honestarunt, eosdemque auctoritate sua sunt moderati. Neque secundum locum obtineat ipsum Leonis XIII inditum nomen, qui Sodalitium vestrum nullo non tempore fovit et auxit: qui paternae benevolentiae suae, in germanam gentem iteratae saepius, monumentum praeclarum nuper reliquit, quum civitatis istius, in quam coibitis, Antistitem egregium amplissimo Patrum Cardinalium ordini pro meritis voluit cooptandum. Communi gaudio vero veluti cumulus omnium bonorum, quae enixe vobis precamur a Deo, Apostolica benedictio accedat, quam omnibus Coloniam conventuris effuso amoris animo atque in Domino impertimus.

Datum Romae, die XVII Augusti Anno MCMIII, Pontificatus Nostri anno I.

PIUS PP. X.

Dilecto Filio
Carolo Custodis
Praesidi Primo
Conventui catholicorum parando
Coloniam Agrippinam.

EX SEGRETÀRIA BREVIUM

INDULGENTIAE elargiuntur Sodalibus Consociationis a temperantia sub invocatione B. M. V. a perpetuo succursu, in dioecesi Nannetensi.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus in parochiali ecclesia loci dicti « *Plessé»* in dioecesi Nannetensi pia quaedam Consociatio *a temperantia* sub invocatione *B. Mariae Virginis a perpetuo succursu* canonice, ut asseritur, erecta vel erigenda existat, cuius Sodales praeter abstinentiam a poculis complura pietatis et charitatis opera exercere consueverint seu intendant, Nos ut huiusmodi Consociatio maiora quotidie capiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis Christifidelibus, qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Sodalitate Sodalibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam ; necnon eisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Sodalitatis Sodalibus, qui praefatae Sodalitatis ecclesiam seu capellani vel oratorium die festo principali dictae Sodalitatis per eosdem Sodales semel tantum eligendo et ab Ordinario approbando, vel uno quo cuique eorum libeat, ex septem diebus continuis immediate sequentibus singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Sodalibus, saltem corde contritis, ecclesiam seu capellani vel oratorium huiusmodi in quatuor aliis anni fe-

riatis vel non feriatis seu dominicis diebus, per memoratos Sodales semel tantum eligendis et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero quodcumque aliud pietatis seu charitatis opus iuxta Societatis Institutum peregerint, toties sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVI Februarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Pro Domino Card. MACCHI

L. % S.

N. MARINI, *Substitutus.*

Deputatur E.mus Card. Kopp in Legatum Apostolicum pro consecrandi^ valvis cathedralis ecclesiae Metensis.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Opera non minus cultu quam arte insignia quaeque Christianorum pietatem pariter ac munifieentiam luculenter ostendunt; omni studio de more institutoque Romanorum Pontificum prosequi et complecti solemus. Horum in numerum quum iure nova cathedralis ecclesiae Metensis porta adscribi queat, hoc praecipue nomine glorianda, quod eam excelsus Vir, Gulielmus II, potentissimus Germanorum Imperator, extruendam curaverit, Nos consecrationi conspicui illius monumenti, propediem celebrandae, augustiorem pompam adiicere decrevimus. Optatis igitur celsissimi eiusdem Imperatoris, quae in suo observantiae ad Nos aditu recens significavit, libentissime exceptis, tibi, dilecte Fili Noster, hoc deferimus officium, ut in solemni huiusmodi caeremonia Nostram geras personam. Quare

tibi, dilecte Fili Noster, praesentium tenore potestatem facimus cuius vi in cathedralis ecclesiae Metensis, quam supra memoravimus, valvis consecrandis, Nostri Legati munere fungaris, eisque iuxta formulam ac ritum Ecclesiae consuetum Nostro nomine et auctoritate benedicere licite possis ac valeas. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die v Maii MDCCCCIII, **Pontificatus Nostri anno vigesimo sexto.**

ALOIS. CARD. **MACCHI.**

Dilecto Filio Nostro
Georgio S. R. E. Presb. Card. Kopp
Tit. S. Agnetis extra moenia
ex dispensatione Apostolica
Episcopo Wratislaviensi.

INDULGENTIAE conceduntur Sodalibus Consociationis a bona morte sub titulo SS.mi Crucifixi S. Andreae Avellino, in civitate Piacentina.

LEO PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicuti accepimus in ecclesia S. Vincentii, martyris civitatis Placentinae, pia quaedam et devota Christifidelium Consociatio sub titulo *SSmi Crucifixi S. Andreae Avellino* **canonice erecta existat, cuius praecipuus finis est** *bonam mortem* **sibi suisque a Domino exorare ; Nos quo huiusmodi Sodalitas maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus ex utroque sexu Christifidelibus, qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sacraque Communione refecti, plenariam, ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Sodalitate Sodalibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote recitaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti**

animo susceperint, etiam plenariam ; nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus in huiusmodi Sodalitate, qui vere item poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti supramemoratam ecclesiam die festo S. Andreae Avellino, diebus festis sacrorum Stigmatum D. N. Iesu Christi et S. Iosephi, Deiparae Virginis Sponsi, a primis Vesperis, nec non feria sexta infra hebdomadam Passionis ab ortu usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo praefatorum die id egerint plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem vero Sodalibus saltem contritis, qui supradictam ecclesiam, quacumque anni feria sexta ut supra, visitaverint, ibique oraverint, septem annos totidemque quadragenas ; quolibet autem anni die SSmum Crucifixum, in eadem ecclesia ut supra deprecantes, visitaverint, tercentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare posse indulgemus. Praesentibus ad decennium tantum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 1 Iulii 1903, Pontificatus Nostri anno vigesimo sexto.

A. CARD. MACCHI.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

INDULTUM Ministro Generali Capuccinorum conceditur transferendi alio extra Galliam novitios, absque probationis interruptione.

Beatissime Pater,

Fr. Iucundus a Montorio, Ordinis Min. Capuccinorum Procurator Generalis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, de pleno consensu Generalis Ministri, exponit: quod nuper Religiosi Cappuccini sub ditione Gubernii gallici e suis coenobiis fere omnes vi expulsi sunt, et alii in Helvetiam, alii in Italiam, alii alio perrexerunt; et consequenter novitios ipsos secum duxerunt. Circa quod S. Congregatio Episcoporum et Regularium sub die 23 Iunii 1880 ad preces P. Commissarii Generalis Francisci de Villa-Franca, Ministris Galliarum, Corsicae et Sabaudiae concessit gratiam, cuius vigore novitii transferri possent alio, absque eorum novitiatus seu probationis interruptione. Cum eaedem nunc militent circumstantiae, orator idem implorat indultum ab Apostolica benignitate, pro earumdem Provinciarum novitiis, et si novitii iam translati fuerint, eadem gratia, opportuna sanatione gaudere valeant.

Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis precibus P. Procuratoris Generalis Ordinis Min. Capuccinorum, necessarias et opportunas facultates P. Ministro Generali benigne tribuit, quarum vi indulgere valeat, ut novitii sui Ordinis in Gallia existentes e domibus novitiatus, mutato etiam in alium decentem habitu religioso, si necessitas id exigat, alio extra Galliam transferri possint, in locum tamen ubi omnia habeantur quae pro novitiatu requiruntur, in

eoque novitiatum, quin per praemissa interruptus censeri debeat, perficiant; facta vero a singulis novitiis ante professionem declaratione in scriptis sese hoc indulto uti velle, quae declaratio adnotanda erit in libris professionum et caute asservanda. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 16 Maii 1903.

D. CARD. **FERRATA,** *Praefectus.*

L. © S.

Phil. GIUSTINI, *Secretarius.*

CAUSAE

Num. I

IMOLEN.

IURIS-PATRONATUS **(1)**

Die 24 Aprilis 1903.

Species facti

In civitate *Lugo* Clemens Galanotti testamento diei 19 iunii 1674 statuit erectionem ecclesiae et confraternitatis S. Onophrii, cui bona a congregatione caritatis nunc usurpata legavit. Ipse inter alia: « (§ 14) capellanum ecclesiae ad vitam nominavit presbyterum Caesarem Orsini, et post eius mortem aliquem ex filiis Ioannis Baptistae Malerbi, •dummodo illo tempore sit sacerdos; secus vero voluit ut confratribus legitime adunatis in perpetuum competat ius eligendi capellanum. Hic (§ 16) curam ecclesiae geret, ipsam claudendo et aperiendo ac omnia ad eum spectantia agendo; necnon (§ 11) semper et in perpetuum pro suo commodo et usu cubiculum ecclesiae erigendae adnexum habebit. Iussit praeterea (§ 15) ut a confraternitate perpetuo eligatur actor, qui tam ruri quam in civitate ministret,

(i) *Summarium Causarum,* vpl. XXXV, p. 666, n. I.

curam pauperum gerat, ecclesiam verrat ac mundet, atque prope ecclesiam cum familia assidue habitet ».

Nominatio capellani semper pacifice facta est, illa quoque actualis canonici Iosephi Malerbi, qui tamen paulo post suam electionem diei 11 septembris 1881 motu proprio nominavit clericum-custodem aut sacrestanum, cui defuncto alium atque alium substituit. Confratres autem, qui de duobus prioribus custodibus conquesti fuerant, ultima vice vividius restiterunt, atque ipsi quoque clericum nominarunt, hoc sibi ius exclusive vindicando. Haec quaestio duas alias graviores excitavit ; quarum una circa ius nominandi capellanum ipsum versatur, altera vero circa ius capellani ad habendum cubiculum ecclesiae adnexum pro suo usu et commoditate.

Frustra curia imolen. rem dirimere aggressa est; tandem hodiernus episcopus Baldassarre desiderio motus amice componendi potiusquam iuridice dirimendi controversiam, die 30 ianuarii 1902 decretum dedit, quo « confraternitati ius nominandi capellanum, praeferendo tamen familiam Malerbi quoties ipsa sacerdotem haberet ; capellano autem ius eligendi custodem nec non ius ad cubiculum ecclesiae adnexum » competere iudicavit. Ab hoc decreto sodalitas ad hanc S. Congregationem Episcoporum et Regularium recursum interposuit ; proinde hodie sub hisce rogandi formulis quaestio proponitur solvenda :

I. *An decretum episcopi imolen. diei 30 ianuarii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu;* et quatenus affirmative ad secundam partem, et negative ad primam;

II. *An pertineat confraternitati S. Onophrii, independenter ab omni iure activo vel passivo familiae Malerbi, ius nominandi proprium capellanum in casu.*

III. *An praedictae confraternitati exclusive spectet ius nominandi clericum-custodem.*

IV. *An confraternitas disponere possit de reliquis cubiculis pro habitatione custodis eiusque familiae ; aut assignare ea debeat capellano.*

Disceptatio Synoptica

ANIMADVERSIONES CAPELLANI

Defensio canonici Malerbi in duplicem partem dispesci potest ; in quarum prima ille iura sua tuetur, praescindendo ab episcopali decreto ; in altera vero decretum ipsum -confirmandum esse sustinet.

Relate igitur *ad quaestionis meritum,* dictus capellanus *primo loco* ostendere nititur : *sacerdotibus familiae Malerbi competere ius activum et passivum quoad capellaniam JS. Onophrii.* Sane, ait ipse, dispositio testamentaria (§ 14) tribus hypothesibus conditionata est; prima ad sacerdotem Orsini se refert, cui salva voluntaria renuntiatione ad vitam capellania pertinet ; secunda respicit Io. B. Malerbi dummodo ipse, capellania per D. Orsini renuntiationem aut mortem vacante, filium ad eam aptum habeat ; ultima demum confraternitatem S. Onophrii respicit, eo tantum in •casu quo, vacante ex parte Orsini capellania, Io. B. Malerbi filium idoneum non habeat. Prima hypothesis est taxativa et privilegium transitorium concedit ; reliquae duae ius stabile perpetuumque implenti conditionem conferunt. Hanc conditionem primus implevit Io. B. Malerbi qui, defuncto D. Orsini a. 1721, ad capellaniam filium suum Innocentium presbyterum praesentavit, quique proinde memoratum ius suis descendentibus transmisit. Quod eidem, •de facto recognitum est, sive quia capellani S. Onophrii, •excepto quodam D. Tassinari, usque in praesens semper ex familia Malerbi fuerunt, sive quia curia dioecesana, iuxta fundationis tabulas actualem capellanum agnoscens ex gente Malerbi legitimum descendentem et ad normam iuris seu "testatoris mentem electum, a. 1881 eidem investituranі concessit.

Insuper, pergit can. Malerbi, testator in ordine ad capellani successionem omnia in perpetuum disposuit « *totum in perpetuum* »; hinc domo Malerbi ius nominationis passi-

vum perpetuo competere debet. Eo vel magis quod officium D. Orsini per eius mortem explicite limitatur, dum e contra, quoad Malerbi nulla invenitur limitatio, nisi in unico casa quod nempe in morte Orsini non adsit sacerdos Malerbi. Huiusmodi perpetuitatem iuris hodiernus capellanus arguit etiam ex eo, quod fundator beneficii de filiis Io. B. Malerbi in numero plurali loquatur ; hoc enim iuxta ipsum importat unum debere alteri in perpetuum succedere, quum in una eademque capellania haberi non possit nisi unus capellanus, nec de cetero unquam acciderit plures simul esse capellanos beneficii in casu.

Praeterea can. Malerbi ad familiam eiusdem nominis iuspatronatus passivum capellaniae ex duplici facto, negativo nempe et positivo, pertinere ostendit. Factum negativum habetur in eo quod constitutiones et capitulata confraternitatis, dum relate ad ipsius acta, officia et officiales plures tradunt normas, nihil omnino de capellani electione et functionibus statuunt ; quod certe facere debuissent si,, deficientibus Orsini et Innocentio Malerbi, ad eam ius activum nominandi capellanum transiisset. Factum vero positivum' est, quod a morte Orsini a. 1721 capellanus S. Onophrii semper aliquis presbyter de domo Malerbi fuit, et quidem absque alia formalitate quam Ordinarii confirmatione : quae secularis praxis confirmata est per decretum episcopi Tesorieri a. 1881 absolute concedens ius nominandi capellanum. familiae Malerbi. Unde si non lata lege seu testamento, saltem vi praescriptionis in citata domo habetur ius inconcussum ad capellaniam.

De cetero, ait actualis capellanus, iuxta vulgatum adagium « quamvis sit evidens mens testatoris, tamen non est negligenda interpretatio eius » testatoris voluntas ex peculiari eiusdem benevolentia erga Malerbi domum interpretanda est. Ita facile explicatur, quomodo fundator de iure electionis passivo disponat, atque de activo licet maioris ponderis et magis necessario, uno dempto casu, nihil edicat ; nana «« exclusio unius est inclusio alterius » , ac pro-

inde Galanotti excludens ius sodalitatis , hoc ipso ius Malerbi inclusit. Sane ius electionis passivum in Malerbi descendentes, quum sit perpetuum et transmissibile, confunditur cum iure activo ; ideoque si gens Malerbi aliquem habeat sacerdotem aptum, ius eligendi applicatur uti activum et passivum, e contra deficiente presbytero applicatur tantummodo uti activum, extraneum nominando capellanum.

Tandem can. Malerbi refert attestationem 50 personarum asserentium , quod populus Luci S. Onophrium vocat ecclesiam nominationis Malerbi.

Secundo loco can. Malerbi probare satagit, *capellano exclusive competere ius nominandi custodem seu sacristain S. Onophrii.* Etenim ex testamento liquet custodem ecclesiae esse ipsum capellanum, qui « curam ecclesiae gerere debet, eam claudendo et aperiendo et omnia ipsi spectantia agendo ». Hoc idem confirmatur a capitulis pii sodalitii ab episcopo Zani a. 1680 confirmatis, et statuentibus : « teneri capellanum aperire et claudere ecclesiam eamque custodire iuxta testatoris voluntatem ». Officium autem custodis est ea , quae necessaria sunt, peragere per se vel etiam per alium sibi benevolum ac proinde a se eligendum.

Utique fundationis tabulae ius conferunt sodalibus eligendi actorem, qui « inserviat tam ruri quam in civitate Luci, curam habeat pauperum , mundet ecclesiam necessariaque omnia peragat » ; at sub actoris nomine non venit custos et eo minus sacrestanus. Imo ipse testator duo officia distinguit, custodis nempe et actoris; quorum primum utpote nobilius capellano, alterum humilius operario a consodalibus eligendo assignat. Sed hodie quum ex una parte duo haec officia in unica tantum persona ob temporum calamitates coniungantur, et ex altera secundarium sequi debeat naturam principalis, consequitur ad eum spectare ius eligendi actorem, ad quem pertinet ius eligendi custodem.

Ceterum confraternitati interest relinquere capellano electionem custodis, ut se liberet ab omni onere a congregatione caritatis sibi attributo. Et congregatio caritatis ea-

pellarmm reddendo immunem ab eligendo custode, immeritum sibi ius arrogat, quia beneficii fundator « cuicumque etiam superiori quovis sub praetextu suam voluntatem ex toto vel in parte mutare » omnino prohibuit.

Regium autem decretum, quod confratres a. 1866 obtinuisse iactitant sibi tribuens facultatem eligendi clericum-custodem, non modo ridiculum est, quia utpote declarativum et non imperativum nequit iura ei tribuere qui nec habuit nec habere debet ; sed etiam iuris laesivum eo quod materiam religiosam ecclesiae spectantem ingrediatur.

Heic quoque iuri accedit factum; nam ab a. 1880 usque ad praesens tempus non pium sodalitium sed capellanus duos custodes defunctos substituit.

Quinimo, iuxta can. Malerbi, non modo capellanus sed ipsa etiam familia Malerbi iure gaudet in electione clerici interveniendi, quia hic potiusquam confraternitatis est eiusdem domus famulus, quum illa sit proprietaria et compatrona, atque praecipua supellectilia exclusive possideat. Sane iam ab a. 1684 ipsa in ecclesia S. Onophrii legitime possidet unam ex tribus capellis B. Mariae Virgini Lauretanae dicatam, quam a. 1691 in beneficium canonice erexit cum privilegio perpetuo sepulturae gentilitiae et funerum tamquam in propria paroecia, eamque a. 1868 a regio fisco vindicavit ; imo vi huiusmodi iurispatronatus in posterum ecclesia divino cultui claudi nequit. Accedit quod gens Malerbi ius habet in domo ecclesiae adnexa ad locum pro custodiendis sacris supellectilibus suae capellae ; quae necessaria sunt non solum ad propria legata perpetua, officia, solemnia et functiones adimplendas, sed etiam ad decentem totius ecclesiae cultum.

Tertio loco can. Malerbi sustinet *capellanum habere ius ad liberum cubiculum in domo Loci pii pjro suo usu et commoditate;* uti ex testamenti verbis (§ 11) manifeste apparet. Sed praecise quaestio movetur, an capellanus hodie ius ad hoc cubiculum habeat, cum diu custos ipso usus sit ; et can. Malerbi respondit ius capellani admodum extare,

sive quia ipse est proprie et vere custos, sive quia hoc ius capellano est a testatore concessum in perpetuum ; quod si anteactis temporibus illo usus est clericus, habetur abusus, qui nec legem facere nec destruere iura valet. Immo hoc ius semper manet, etiamsi capellanus prius alium cubiculum habitasset, quia hoc non amplius hodie ad ecclesiam pertinet ; quod confirmatur a capitulis sodalitatis ab episcopo Zani sancitis et ab usu vicennali eiusdem cubiculi a capellano peracto. De cetero nihil refert confraternitatem aliter non posse providere habitationi custodis, quia aequum non est ut dominus famulo locum cedere debeat, eoque magis quod res sicut in anteactis 20 annis manere possunt.

Tandem actualis capellanus primam orationis suae partem concludit, observando capitula a confraternitate in medium allata non fuisse ab auctoritate ecclesiastica approbata ; atque decreta civilia ab eadem invocata respicere tantum relationes inter confraternitatem et congregationem caritatis non autem inter illam et capellanum: in rebus dubiis episcopus interpretare potest ultimam testatoris voluntatem, quum hoc nullam importet mutationem.

Can. Malerbi ad alteram orationis partem transiens *relate ad decretum episcopale confirmandum vel infirmandum:, declarat se plene huic decreto adhaerere, cuius proinde ab hac S. C. confirmationem petit.* Episcopus enim Baldassarri imprimis statuit : « confraternitas in perpetuum nominabit ecclesiae capellanum , praeferendo tamen aliquem sacerdotem ex familia Malerbi tempore vacationis aptum ». Episcopus, uti liquet, sodalitati concedit ius eligendi capellanum, sed pari modo tribuit praelationem familiae Malerbi. Haec praelatio fundatur praesertim in benevola fundatoris voluntate dictae familiae favendi, in constanti praxi praelationis ipsius, in indecentia duorum capellanorum in eadem ecclesia, in necessitate tuendi ecclesiam a civili suppressione per familiam Malerbi, et demum in grati animi significatione confratrum erga memoratam gen-

tem, quae oratorium ditavit supellectiles et apparatibus sacris, idque propriis expensis restauravit.

Insuper, prosequitur Malerbi, in eodem episcopali decreto iure conceditur capellano facultatem eligendi custodem , eo quod ex fundationis tabulis constat capellanum esse custodem natum ecclesiae, « cuius curam gerere tenetur eamque aperiendo et claudëndo et omnia ipsi spectantia agendo » : quod confirmatur a primitivis sodalitatis capitulis, quae sola sancita fuere ab ecclesiastica auctoritate quaeque statuunt : « teneri capellanum iuxta testatoris mentem aperire ac claudere ecclesiam eamque custodire », nec non a solemni investitura custodis actuali capellano a confratribus tributa per formale actum diei 17 octobris 1881.

Demum, concludit idem canonicus, merito dioecesanus episcopus concessit capellano ius habitandi cubiculum ecclesiae adnexum, quia hoc non modo deducitur ex testamento sed etiam ex primaevis et adhuc vigentibus capitulis sodalitatis ab auctoritate ecclesiastica approbatis , nec non ex facto quod actualis capellanus 20 abhinc annis eodem cubiculo gaudet.

ANIMADVERSIONES CONFRATERNITATIS

Advocatus sodalitatis imprimis notat primum dubium a partibus concordatum de confirmando vel infirmando decreto episcopi imolen. stricte loquendo heic admitti non posse. Nam principium iuris est: causas in secunda instantia agitandas eiusdem speciei ac in prima esse debere. In casu autem non habetur vera et proprie dicta appellatio, quum agatur de decreto extraiudicialiter emisso; uti ex actis et ex ipsius episcopi attestatione constat. Nunquam enim instauratum fuit verum ac proprie dictum iudicium seu « legitima controversia quae est inter actorem et reum apud iudicem disceptatio et definitio *(Santi, de iudic. lib. Il, tit. I)* ». Nunquam apparuit quinam ex duobus contendentibus fuit actor, quinam reus ; nulla partium citatio facta fuit, auditi non

fuerunt testes nec allata documenta ; brevi, omnes veri processus normae omissae fuerunt. Ipse episcopus fatetur decretum condidisse animo iuvandi utrisque contendentibus et quaestionem dirimendi pro bono pacis, non autem secundum iuris iustitiaeque regulas nec animo partem laesam immittendi in proprii iuris exercitium ; quae intentio episcopalis clarius elucet ex quadam eiusdem-epistola una simul cum decreto ad confratres missa. Decretum ergo episcopi est extraiudiciale; in extraiudicialibus vero appellationis actus « nonnisi improprie appellatio vocatur, cum sit non causae prosecutio apud iudicem superiorem, sed vera causae instauratio seu prima in litem provocatio »; *(Lega, de iudiciis eccl. lib. I, vol. I, pag. 599).* Proinde consequitur hanc causam non esse appellationem a sententia primi gradus sed ipsam causam primae instantiae ; hinc iudicandum esse de ipso quaestionis merito, abstractione facta a memorato episcopi decreto. Quamobrem frustra opponitur res iudicata, sive quia decretum extraiudiciale nunquam in rem iudicatam transiit, sive quia confratres tempore utili recursum habuere, quem episcopus et ipsa S. Congregatio admisit.

Hisce praemissis, sodalitatis patronus ad meritum controversiae pergens, primo competere contendit *confraternitati S. Onophrii, independenter a quocumque iure activo vel passivo familiae Malerbi ius nominandi proprium capellanum.* Sane quoad ius electionis activum, testator vel ipsemet nominat personam, videlicet duos priores capellanos, vel vult ut electio fìat a confratribus legitime coadunatis ; de familia vero Malerbi quoad hoc ne verbum quidem facit, et tamen notum est adagium : « testator ubi voluit dixit, ubi noluit tacuit ». Quinimo hodiernus capellanus, suos praedecessores imitatus, ut eligeretur supplex libellum confratribus obtulit.

Capellanus Malerbi iuspatronatus activum propriae familiae etiam ex eo coniicit quod ipsa pluribus annis pro ecclesiae cultu et instauratione magnas sustinuit expensas ;

sed huic contradicit orator, quum sola congregatio caritatis, ad tramitem legis, omnes instaurationis cultusque expensas sustinuit. Quod si aliquando familia Malerbi aliquid sui impendit, abunde compensata est per stipendium ex bonis ecclesiae exactum pro suo custode contra sodalitatis voluntatem.

Sed patrocinator et ius patronatus passivum familiae Malerbi negat. Nam, ut ipse observat, ipsemet testator duos priores capellanos nominavit, inconditionate nempe Orsini et hypothetice unum ex filiis Io. B. Malerbi si tempore vacationis capellaniae aliquis adsit sacerdos ; secus vero statuit electionem capellani in perpetuum fieri a sodalibus legitime adunatis, cum facultate eum mutandi aliumque pro eorum arbitrio assumendi.

Interpretatio autem testamenti a can. Malerbi facta nullimode admitti potest, quia dispositio testamentaria est tam evidens ut quaevis interpretatio contraria sensui litterali superflua evadat, imo et nociva menti testatoris. Ratio ab eodem canonico adducta, quia videlicet gens Malerbi ample beneficata fuit a Galanotti haereditate, nihil ad rem facit, nisi ad ostendendum quod, quando fundator illam beneficare voluit, clare loquutus est; quando vero noluit, nihil dixit.

Ceterum testator ad capellaniam non omnes Malerbi filios sed unum tantum ex eis in casu vacationis aptum vocat. At etiam dato quod ipse plures Io. B. Malerbi filios vocasset ad capellaniam, vocati absque dubio non praesumuntur descendentes, quia iuxta communem doctorum sententiam sub nomine filiorum non veniunt nepotes multoque minus pronepotes : « filiorum enim nomine comprehendi in fideicommissis et iurepatronatus omnes descendentes , sive a feminis sive a masculis prodeuntes, tritissimum est » ; *(Rota coram Veri, dec. 137, n. 29).* « Generatim et proprie loquendo nomine filiorum non comprehenduntur nepotes » ; *(Menocchio, cons. 215, % 6).* Et De-Luca affirmare non dubitat : « sub nomine filiorum non veniunt nepotes multoque minus pronepotes » ; *(De Fideicom. disc. 236, % 4).* Et

praecise in hoc consistit capitalis distinctio etiam in iure romano admissa inter verba *filii* et *familiae;* filii enim vocati a vocatione nepotes atque descendentes excludebant ; familia e contra omnes complectebatur : « decernimus familiae nomen talem habere vigorem, parentes, liberos omnesque propinquos per hanc appellationem significari » ; *(Cod. V, de verborum significatione).*

Item frustra Malerbi ad praescriptionem appellat, sive quia ipsemet, absque ulla iuris praesumptione, a confraternitate petiit ut in capellanum eligeretur ; sive quia ab a. 1860 tres tantum electi sunt capellani ex Malerbi domo, quamvis aliquando vacante capellania adessent eiusdem nominis sacerdotes ; sive demum quia etiam dato et non concesso quod omnes sacerdotes Malerbi fuerint capellani S. Onophrii, ex eo tamen erui nequit eorum familiam hoc ius vi praescriptionis acquisivisse, deest enim animus dominantis, quum ipsi capellaniam possedissent tamquam deputati libere a sodalitate electi.

Utique verum est, prosequitur advocatus, familiam Malerbi iure patronatus gaudere capellae B. Mariae Virgini Lauretanae dicatae in ecclesia S. Onophrii, proindeque congregationem caritatis prohiberi ab ipsius ecclesiae suppressione ; sed ex hoc minime exurgit eamdem familiam iure pollere nominandi capellanum confraternitatis.

Relate ad subscriptionem 50 personarum asserentium populum Luci S. Onophrium vocare ecclesiam iurispatronatus familiae Malerbi, orator adnotat quod populus distinctiones iuridicas curare non valet, et quod ratio huius popularis opinionis desumenda est sive ex eo quod gens Malerbi capellani in ecclesia possideat, sive ex eo quod ipsa iam a pluribus annis abusive retineat claves habitationis custodis necnon ecclesiae, absolutum imperium exercendo. Ceterum non pauci subscriptores, tunc temporis ne suspicantesquidem de praesenti controversia, hodie se paratos esse fatentur declarare quod cives magis edocti retinent capellanum dependere a conf rater nitate, ad quam pertinet proprietas

ecclesiae. Ergo, quum ius confraternitatis sit diversum a iure Malerbi, nihil impedit quominus duo habeantur capellani, unus sodalitatis et alter Malerbi; imo hoc etiam inconveniens tolli potest per conventionem, vi cuius capellanus ecclesiae sicut anteactis temporibus onera quoque capellae Malerbi adimpleat.

Secundo advocatus probare adlaborat *ad confraternitatem exclusive pertinere ius nominandi custodem;* nam in "testamento statuitur : « a confraternitate in perpetuum fieri electionem actoris, qui serviat tam ruri quam in civitate, curam gerat pauperum, curet ecclesiae nitorem eamque verrat, atque omnia necessaria peragat_____». Qui proinde sub dependentia consodalitii, praeterquam officia simplicis actoris, alia quoque clerici-custodis adimplere debuerit. Hodie vero officium actoris proprium propter usurpationem pii Operis a congregatione caritatis factam cessavit, sed alterum clerici officium intactum permansit ; ideoque confratres qui, independenter a capellano ipsaque familia Malerbi, iure gaudebant eligendi actorem-custodem, officio illius ob maiorem vim cessante, adhuc retinent potestatem eligendi clericum, qui curet nitorem ecclesiae et alia necessaria peragat.

Ceterum, observat orator, ecclesiae custos a confratribus est eligendus hac quoque de causa, quia nempe iuxta testatoris mentem confratres sunt custodes nati ecclesiae, ac proinde ius habent eligendi personam sibi benevisam, quae eorum vices gerat in materiali templi custodia. Quamobrem ipse Galanotti onus custodi imposuit continuae residentiae, •quae ex lege canonica iurisdictionem ecclesiasticam minime importat, in domo ecclesiae adnexa; dum e contra capellano tantum assignavit liberum cubiculum, quem pro suo lubito habitare posset. Hinc capellanus Malerbi dici nequit custos natus ecclesiae , eo quod obligationem habitationis perpetuae penes ipsam minime habeat ; sicuti verificatur in parochis, qui soli sunt suarum ecclesiarum custodes propter obligationem continuae residentiae. Igitur can. Malerbi est

simplex confraternitatis capellanus, ad quem proinde solummodo pertinet quasdam religiosas peragere functiones.

Relate vero ad capitulata, quae dictus canonicus in medium profert tamquam ab episcopo Zani a. 1680 approbata, vel sunt conformia testamento et tunc valorem habent, quia ab ipso vim obligandi accipiunt ; vel sunt difformia et tunc nihil valent, quia nemo praeter Pontificem dispositionibus testamentariis derogare valide potest. Ceterum extat capitulatum, quod sodalitas praesenti capellano in suo electionis actu imposuit, quodque ipse recognoscere recusat ; sed in eo ne verbum quidem fit de custodia ecclesiae capellano concessa, imo praescribitur absoluta eiusdem a confratribus dependentia.

Praeterea ex eo quod Malerbi gens possideat capel Iam in ecclesia erui nequit quod ius habeat clericum eligendi etiam contra ipsam sodalium voluntatem ; ad eam proinde spectat cura capellae non autem totius ecclesiae ; quemadmodum familia Malerbi, exceptione facta ab actuali capellano, semper retinuit, uti ex pluribus documentis et praesertim ex supplici libello a quodam Chrysostomo Malerbi a. 1771 ad confraternitatem porrecto liquet.

Concludit patrocinator observando quod omnes custodis electiones usque in hodiernum diem a confratribus semper factae fuerunt, atque ab auctoritate ecclesiastica et civili sancitae.

Tertio demum advocatus contendit *cubiculum, quod adhuc superest, assignandum esse custodi eiusque familiae, non autem capellano.* Etenim, postquam congregatio caritatis totam domum ecclesiae adnexam usurpaverit, sodalitati non supersunt nisi duo cubicula , quae concedenda videntur custodi, qui ex fundationis tabulis continuo residere tenetur cum familia penes ecclesiam ratione proprii officii, dum ex adverso capellanus ius habet tantum habitandi cubiculum pro suo usu et commoditate, quando ipsi videbitur. In conflictu autem duorum iurium, minus maiori cedat necesse est ; necnon prius necessitati quam commoditati con-

sulendum est. Eo vel magis quod habitatio nunc custodi assignata, quum duobus tantum cubiculis constet, minus digna est pro capellano ; ex alia parte confraternitas ex se parata est penes congregationem caritatis aliam habitationem ipsi magis congruentem expostulare. Ceterum inde ab a. 1800 solus custos non autem capellanus illud cubiculum habitat, cui capellanus Tassinari per debitam compensationem a sodalitate acceptam renunciavit. Nihilominus suo arbitrio actualis capellanus potitus est cubiculi locique adnexi, atque clavium ecclesiae ; inde indignatio confratrum, qui ab explendis religiosis muneribus sese abstinuerunt.

ANIMADVERSIONES EPISCOPI

Episcopus imolen., potius desiderio motus pacifice litem componendi quam iuridice eam dirimendi, hac de re die 30 ianuarii 1902 decretum emisit ; hodie vero 'sui iudicii rationes huic S. Tribunali exponit. Ipse imprimis recognovit « confraternitati ius activum perpetuum nominandi capellanum, concedendo tamen familiae Malerbi praelationem electionis, potius in convenientia quam in iure fundatam, si in casu vacationis ex eadem aliquis adsit sacerdos ». Etenim, scribit episcopus , ex testamento apparet benevola testatoris dispositio familiae Malerbi favendi, sive quia eidem domum quamdam reliquerit, sive quia ipse testator sacro chrismati Io. B. Malerbi tenuit, sive quia successorem primi capellani nominavit aliquem presbyterum ex eiusdem filiis, sive demum quia uxor testatoris iam defuncti capellani atque gentilitium sepulchrum eidem familiae concessit. Quod confirmatur a constanti praxi, qua confraternitas semper praelationem dedit familiae Malerbi in electione capellani. His accedit, pergit episcopus, necessitas confraternitatis sibi amicam habendi familiam Malerbi, quae quum habeat iuspatronatus perpetuum capellae necnon ius ad sepulturam gentilitiam aliasque functiones , sola impedire potest ne ecclesia ipsa a civili potestate supprimatur, instante

praesertim congregatione caritatis quae expensas cultus solvere tenetur. Hac de causa episcopus Moretti a. 1870 ab ecclesia S. Onophrii translationem Missarum Malerbi concedere nequivit. Quinimo dictam praelationem suadet ipsa grati animi significatio confraternitatis erga Malerbi gentem, quae ecclesiam ditaverit multis et splendidioribus supellectiles sacris, eamque providet de necessariis pro quotidiano cultu, necnon magnam partem habuit in ipsius ecclesiae instauratione. Demum si capellanus familiae Malerbi non esset etiam ecclesiae capellanus, oriretur inconveniens habendi in eadem ecclesia duos simul capellanos.

Praeterea episcopus imolen. concedit « capellano ius nominandi custodem seu sacristana ecclesiae, qui eius vices gerat, quamvis convenientia postulet ut hic sit quoque a confraternitate acceptus ». Nam ex testamento liquet capellanum pro tempore esse custodem natum ecclesiae, quum ipse debeat eiusdem curam gerere in ea aperienda et claudenda et omnia ad eum spectantia peragendo. Uti talis recognitus fuit a praedecessoribus episcopis in pluribus capitulatis, praesertim vero in illis ab episcopo Zani a. 1680 approbatis ; uti talem ipsa confraternitas per actum authenticum diei 17 octobris 1881 declaravit actualem capellanum. Deinde episcopus ad maiorem rei intelligentiam advertit testatorem duas nominasse personas, nempe actorem qui serviat ruri mundetque ecclesiam , et capellanum qui curam gerat ecclesiae, eam claudendo et aperiendo et omnia ad eum pertinentia peragendo. Horum primus ratione officii est villicus et verrens ecclesiam, cuius electio ad confratres spectat ; secundus est capellanus, qui arbitrio suo alium deputare potest vices suas gerentem , cuius proinde nominatio ad eum pertinet.

Tandem episcopus decrevit « capellanum ius habere ad habitationem ecclesiae adnexam pro suo usu et commoditate », quia haec est expressa testatoris voluntas.

Modo proponuntur prudenti Emorum Patrum iudicio sequentia

Dubia

I. *An decretum episcopi imolen. die 30 ianuarii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu;* et quatenus affirmative ad secundam partem, et negative ad primam;

IL *An pertineat confraternitati S. Onophrii', independenter ab omni iure activo vel passivo familiae Malerbi, ius nominandi proprium capellanum in casu.*

III. *An praedictae confraternitati exclusive spectet ius nominandi clericum-custodem.*

IV. *An confraternitas disponere possit de reliquis cubiculis pro habitatione custodis eiusque familiae; aut assignare ea debeat capellano.*

Resolutio

Emi Patres, causa cognita atque discussa, die 24 aprilis 1903 respondere censuerunt :

Ad I. *Affirmative ad primam partem, seu confirmandum esse decretum iuxta modum ; modus est ut in sequentibus.*

Ad II. *Affirmative ; aequum tamen esse ut in -casu vacationis, si adsit sacerdos ex familia Malerbi, confratres, coeteris paribus, eum praeferant.*

Ad III. *Placere de concordia et ad mentem ; mens est: quod nominatio clerici-custodis fiat communi consensu a con fraternitate et a capellano, et in casu dissensus provideat episcopus.*

Ad IV. *Episcopus iura utriusque partis ex bono et aequo componat.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CAUSAE

IN FOLIO

Num. V

BERGOMEN.

COLLATIONIS BENEFICIORUM (1)

Die 16 Maii 1903.

Sess. 24, cap. 14, De ref. matr.

Species facti

Iam a remotis temporibus capitulum bergomen. locupleti et felici statu fruebatur ; quippe praeter tres dignitates, nempe archidiaconum, praepositum et archipresbyterum, unus et quadraginta canonici numerabantur , quibus in sacris solemniis explendis et in cultu ecclesiae operam dabant capellani numero plures et alii officiis manualibus addicti. At a. 1798 per rerum publicarum perturbationem in Gallus omnia bona capituli direpta sunt, idemque veluti ad internecionem redactum est. Napoleon Imperator autem ex conventione inita a. 1803 cum Pontifice Pio VII bona quaedam et reditus sub titulo « Fundi Religionis » exhibuit capitulo ; unde archipresbyter, theologus, poenitentiarius et alii •decem canonici restituti sunt, adiectis novem capellanis choralibus. Aliam mutationem se passum esse refert capitulum et hanc vehementissime dolet, nimirum tunc a Napoleone spoliatum fuisse iure perpetuo constanterque possesso conferendi omnes dignitates, canonicatus et praebendas in-

(i) Cfr. Summarium causarum, *relatum in Vol. XXXV, pag. 689, n. V, in folio.*

feriores ; quum hoc ius sibi *privative* attribuere non dubitaverit idem Imperator. Hunc mutatus est deinceps Austriae Imperator, qui antea decreto diei 15 Iulii 1815 ius sibi irrogavit eligendi canonicos ac capellanos, et postea, decreto diei 10 Aprilis 1817 sibi retinuit ius nominandi canonicos, iubens capellanías ab episcopo conferri.

Res ita se habuerunt usque ad a. 1855, quo inita est concordia Austriae Imperatorem inter et Pium IX ; et in art. 22 cautum est : « In omnibus metropolitanis seu archiepiscopalibus suffraganeisque ecclesiis Sanctitas S. primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad ceteras dignitates et praebendas canonicales Maiestas Sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel i,uri patronatus legitime acquisito subiacent ». Ast non diu viguit haec lex, quum a. 1859 dominationem harum provinciarum gubernium italicum acquisierit. Hoc etiam suas edidit leges rerum ecclesiasticarum eversivas, et canonicatus ad duodecim, capellanos autem ad sex reduxit ; collationes vero beneficiorum non sibi attribuere visum est. Quapropter, referunt capitulares, se iam ab a. 1866 in iudicium apud H. S. O. vocasse episcopum, ut sibi conferendi canonicatus et praebendas ius vindicarent, iampridem a suo exercitio prohibitum ob spoliationes civilis potestatis. Eiusmodi intentio capituli visa est ab omni difficultate expedita in sua executione, quia a. 1871 edita est lex, cui titulus « Delle guarentigie », statuens omnia beneficia quae proprie non essent subiecta regio patronatui, relinqui collationi ordinariorum collaturum. Nihilo secius episcopus resistebat petitioni canonicorum, contendens capitulum e suis iuribus cecidisse, eaque in episcopum fuisse translata. Haec quaestio inter alias agitata est in plenariis comitiis H. S. C. die 20 Iulii 1878, et rescriptum prodiit quo exquirebantur *potiores probationes ;* at revera lis siluit usque ad praesens tempus, et quum res componi pacifice non potuisset, modo partium procuratores has dubitandi formulas contestati sunt::

î. *An ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Bergomen, ius spectet nominandi canonicos eiusdem Ecclesiae Cathedralis, exceptis Theologo ac Poenitentiario aliisque canonicatibus, de quibus aliter cautum est in tabulis fundationis in casti.*

;2. *An ad idem Capitulum spectet instituere omnes Canonicos, non exceptis Theologo ac Poenitentiario in casu.*

3. *An ad, idem Capitulum spectet tum nominatio tum canonica institutio Archipresbyteri Capitularis, cui est adnexa cura animarum, salva approbatione Ordinarii, praevio examine, in casu.*

-4. *An ad idem Capitulum spectet ius nominandi Capellanos Chorales, Chori et Caerimoniarum Magistros, qui in eadem Ecclesia Cathedrali existant, in casu.*

Disceptatio Synoptica

IURA CAPITULI

Ad I. dubium patronus capituli praemittit regulam esse iuris communis certam et fundamentalem, nempe *collationem beneficiorum cathedralium una simul spectare ad episcopum et ad capitulum.* Docet enim Barbosa *(De caii. et dign. cap. XIV, n. 2):* « Communis doctorum sententia tenet ad episcopum et capitulum simul spectare, et dici solere provisionem praebendarum in cathedralibus esse simultaneam episcopi et capituli, quia episcopus uti caput, et -canonici uti membra constituunt in ecclesia unum corpus ; -*cap. novit, de iis quae fiunt a praelat.* ». Cardinalis De Luca, hanc sententiam tuens, affirmat : « Ista opinio non recipit amplius controversiam»; *(De beneficiis, disc. 1, n. 25);* nec secus Rigantius *(in Reg. II, Cancell. § 3, n. 324);* item Scarfantonius *(Tom. II, in appendice, p. 213 ^edit. lucana a. 1723)* etc. Cuius disciplinae rationem ita reddit S. Rota Romana *(Dec. 585, n. 40, part. V, rec.):* « Sacri canones, praesupponentes beneficia existentia in aliqua ecclesia, et praesertim cathedrali, censeri fundata de

communibus reditibus ipsius ecclesiae, tribuunt pariter in consequentiam capitulo non minus quam episcopo ius illa conferendi, eodem modo, quo communis fuisset administratio sive dominium eorumdem redituum ». Item docent Canonistae; v. gr. Scarfantonius *(Tom. I, p. 11, n. 16).* Sed aliam quoque rei rationem in medium proferunt eruditi ; quia. nempe, iuxta primitivas Ecclesiae leges, omnes electiones communi deliberatione episcopi et cleri fieri debebant ; uti testatur Thomassin *(Ancienne et nouvelle discipline, part. IV, livre II, chap. IX, n. 11).*

Idem ius obtinet quoque in conferendis capitularibus dignitatibus. Scribit enim Leurenius *(Forum beneficiale pars II, sect. 3, c. 2, quaest. 670):* « Idem dicendum de dignitatibus; quantum est de iure communi, spectant ad collationem simultaneam episcopi et capituli (Garcia *p. o, c. 4, n. 20,* iuxta decisionem Rotae in *Tarraconensi 9 Iunii 1600;* et Abbatem Panormitanum in c. *Cum Ecclesia Vulterrana De electione)* ». Nec aliter Barbosa *(De canonicis et dignitatibus cap. XIV, n. 5).*

Quod si ius commune hoc est, pergit advocatus, *huic iuri ita dari potest contraria consuetudo, 'ut ad unum episcopum, vel ad unum capihdum ius collationis pertineat.* Manifesto id conficitur ex celebri decretali Innocentii III ad episcopum florentinum *(lib. I, tit. VI, cap. XXXI: Cum Ecclesia Vulterrana).* Cuius exceptionis *praescriptivae* vim admittunt omnes canonistae. Ferraris autem ad verbum *Capihdum art. 1, n. 13,* ait: « Capitulo potest competere ius conferendi beneficia, etiam *privative* ad episcopum, ut colligitur clare ex cap. *Nulla 2, de concessione praeb.;* alias enim non fieret devolutio de capitulo ad episcopum, ut disponitur in cit. cap. *Nidia,* verb. *Quod si ad capitulum pertinuerit, et* notat Bernard, *ibi in princ;* Abb. *num. 5;* Fagnan. *num. 40* ». Eadem Ferraris habet ad verbum *Canonicatus;* ita constanter iudicavit S. Rota *(Dec. 121* part. XIX rec; et dec 244, part. XVI, rec).*

Quam áofcctrinam applicans advocatus in themate ait,

capitulum cathedralis ecclesiae bergomensis in hac optima conditione versari, quod ius conferendi praebendas, non praescriptione contra episcopum adeptus sit, sed ipsum ab initio possèdent, ita ut nequeat episcopus probare, decessores suos quovis vel remotissimo tempore, huius iuris vel solos vel simul cum capitulo fuisse compotes. Etenim non modo Bergomi , sed fere in universa ea regione inde a vetustissimo aevo viguit usus, ut singularum ecclesiarum cleri conferrent vacantes praebendas ; idque non in cathedralibus ecclesiis tantum, sed in aliis quoque. Cfr. Ioseph Ronchetti in volumine quinto, edito anno 1817, pagg. 116, 117, operis quod inscripsit : *Memorie isteriche della Città e Chiesa di Bergamo, dal principio del V secolo, sino all' anno 1428 ;* necnon auctorem anonymum pavensem, *(cap. 18, pag. 40, edit. mediol. 1727),* qui fortasse fuit Sigebertus Avenionensis , et quem Antonius Ludovicus Muratori edidit in *vol. XI Ber. Italic. Scrip>t.* Insuper cum graves in capitulo extitissent contentiones inita fuit concordia , cuius instrumentum in tabulario capitulari adhuc servatur, et in qua plura statuta sunt de electione canonicorum a capitulo peragenda. Canonicis autem statuentibus, ait orator, episcopus bergomensis praesens aderat, et non modo nihil contra hoc ius est protestatio, imo omnia, quae acta a capitulo sunt, confirmavit et eius auctoritatem praestitit, atque instrumento concordiae subscripsit. Cui accessit etiam confirmatio archiepiscopi mediolanensis et Pontificis Clementis III.

Extant pariter litterae Sixti IV Pontificis ad Franciscum de Franciis canonicum brixiensem datae, quibus aperte asseritur, collationem ac provisionem praebendarum ecclesiae cathedralis bergomensis ad capitulum pertinere. Multaeque in tabulario capituli servantur litterae commendatitiae, quibus canonici obsecrantur, ut aliquem clericum praebenda canonicali augeant, et in fratrem recipiant. Quando autem Gregorius XIII, per Breve diei 17 Septembris 1572, iussit apostolicas reservationes in ecclesia cathedrali bergomensi servari, non episcopum id iussit, sed canonicos ; non

enim episcopus sed capitulum erat ibi ordinarius collator. Et Innocentius XI in suo Brevi diei 18 Iunii 1688 inter alia iussit privilegia, consuetudines aliaque iura servari incolumia ; atqui, arguit advocatus, inter iura capituli expresse recensebantur « provisiones, impetrationes, collationes dignitatum et canonicatuum ». Item, cum a. 1769 Senatus Venetae Reipublicae arbitratus est sibi fas esse apostolicas reservationes tollere, ad capitulum tantum se convertit. Imo recentius, quum administrator cultuum a. 1802 interrogasset episcopum bergomen. de capituli conditione, hic respondit : « Omnes canonicatus esse liberae collationis capituli, exceptis theologo et poenitentiario, qui sunt nominationis episcopi et institutionis capituli » : quae idem confirmavit litteris diei 9 Iulii 1806. Equidem, instat patronus, huiusmodi usus perseveranter Bergomi quovis tempore servatus est, ut omnes ecclesiae cathedralis praebendas capitulum conferret, nullas episcopus, ut ex ipsis capituli actis manifestum fit, quae tamen decimoquinto saeculo anteriora proferre fas non esse eo quod nulla amplius supersunt. At saeculo decimoquinto statim deprehendimus capitulum canonicos eligentem, veluti ab a. 1466 usque ad a. 1880. Unde post inductas in ecclesia cathedrali bergomensi reservationes apostolicas, collationes canonicatuum, quatuor mensibus non reservatis, actae semper fuerunt a capitulo; imo etiam mensibus reservatis, si Sedes Apostolica tunc vacasset, uti accidit mense Maii a. 1721.

Quod si aliquando canonicatus conferens occurrit episcopus, considerat patrocinator, id ipse agit, non potestate ordinaria sed ex Pontificis indulto, mensibus huic reservatis. Cum vero, propter aliquam reservationem, collatione abstinendum esset a capitulo, non tamen ipsum praetermittebat, ius suum ordinarii collatoris affirmare.

Quia vero episcopus contendit saltem controversum ius conferendi canonicatus et praebendas ex parte capituli fuisse extinctum postquam antiquum capitulum interiisse constat, et deinde aliud capitulum suffectum fuisse ; hoc tamen ab-

scisse negat patronus, aiens iniuriam spoliationis non posse haberi uti factum iuridicum suppressionis. Ad rem Pitonius *(Disc, eccles. 8, n. 17):* « Praemittenda est distinctio communiter recepta per scribentes, quod vel collegialitas defecit in ecclesia et extincta remansit auctoritate superioris causa cognita, et tunc amplius non durat..., vel oppressione hostium et similibus, et tali casu collegialitas semper durare censetur in habitu, etiamsi non fuerit in actu vel usu per quodcumque longissimum temporis spatium ». Imo nec ipsos usurpatores animum habuisse perimendi penitus haec collegia desumit advocatus ex verbis Legis concordatae : « Servabuntur capitula ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium , itemque collegiatarum saltem insignium , eaque convenienti bonorum dotatione fruentur ; *(Conventio Pii VII cum N ap. Bonap. Reip. Ital. Praeside, a. 1803)* ». Cui clare innuit ipse episcopus bergomensis, quum die 26 Octobris 1805 decretum edidit ad hanc conventionem Bergomi exequendam.

Verum hoc capitulum , ita urgent adversara , ius eligendi canonicos amisit, ex quo coepit eos eligere civilis potestas, praesertim postquam huic eligendi venia ab apostolica Sede, per conventionem a. 1855 cum imperatore austriaco initam, permissa fuit. At hoc advocatus negat hac ductus ratione, quod capitulum ita iure suo decidere potuisset si ea conventione iam aboleta illud non sit in pristinum ius redintegratum. Conventione autem a. 1803 de canonicorum nominatione nihil cautum fuerat ; nihilominus imperator gallicus hanc nominationem sibi attribuit, et eum austriacus imperator imitatus est, qui tamen post a. 1855 vi concordati cum Sede Apostolica initi legitime possidere coepit quod antea iniuria occupaverat. Nec tamen, arbitramur orator, per hanc conventionem ius capituli ita sublatum eversumque fuisse, ut conventione soluta, ad pristinum dominum, integrum intactumque redire nequiret. Non enim eo consilio Pius IX conventionem inibat, ut capitulo ius suum adimeret ; ipse nec capitulis nec episcopis optabat afferre

detrimentum , sed hoc unum habebat in animo, ut austriaco imperatori de christiana republica optime merito gratum faceret. Postquam vero, pergit patronus, Austriae imperator longobardarum provinciarum ditionem amisit, in iis propterea conventio a. 1855 quavis vi destituta est. Itaque ex eo die capitulum bergomense in ius pristinum conferendi praebendas ecclesiae cathedralis, quodam iure postliminii, redintegratam est; iuxta doctrinam Pauli *(frag. 19 dig. tit. de captivis et de postliminio)* et Iustiniani (§ *5 Inst., Quibus modis ius potestatis solvitur).* Tendunt enim res ad pristinam indolem et statum recuperandum, constanterque ad dominum clamant, ad eumque reverti totis viribus conantur; cuius rei plura in iure nostro occurrunt exempla, uti scribit Rigantius *(in reg. IX Cariceli. § 2, n. 11-13)* et Slevogkius *(de unione eccl. et benef., diss. III, cap. I, § IO).* Et sicut unione soluta ius patroni reviviscit et reintegratur, ita ius quoque capituli bergomensis quievit, donec viguit conventio a. 1855; ea vero sublata a. 1859 statim exsuscitatum est capituli ius , ac redditum pristinae et consuetae vitae. Hanc autem fuisse Pontificis mentem exinde quoque confirmat orator, quod id tantum ex capituli iure diminuent, quod necesse erat conferre in imperatorem : reliquum autem ius nec imperatori, nec episcopo tribuit, sed apud capitulum reliquit. Scilicet cum ius collationis duobus iuribus constet iure scilicet nominationis et institutionis, ius nominationis ad imperatorem delatum non potuit post conventionem a capitulo exerceri ; ius vero instituendi nominatum ab imperatore etiam post conventionem penes capitulum permansit.

Sed dato etiam at non concesso, instat patrocinator, quod a. 1855 capituli ius omnino extinctum deletumque fuerit; a. 1855 conventione sublata nihil iam reliquum esset, quam ius commune applicare. Quomodo igitur bergomensis episcopus sibi soli vindicat ius eligendi canonicos ecclesiae cathedralis ? Si enim ceterarum praebendarum episcopus est collator ordinarius, praebendas tamen ecclesiae cathedralis

ex iure communi non solus episcopus, sed episcopus una cum capitulo conferunt. Episcopus vero, iuxta patronum, prudentius egisset, si episcopum veronensem esset imitatus. Nam etiam capitulum veronense iure potiebatur conferendi canonicatus ecclesiae cathedralis. Veronae quoque ius nominandi canonicos conventione a. 1855 translatum est in imperatorem austriacum ; sublata vero conventione, ius illud eligendi canonicos ad capitulum reversum est.

Ad IL dubium gradum faciens advocatus, ex eo quod bergomense capitulum est collator ordinarius praebendarum illius ecclesiae cathedralis, deducit *ad illud spectare quoque instituere electos canonicos.*

Sane capitulum bergomense perrexit electos canonicos instituere, etiam postquam ipsum impeditum est quominus eos eligeret, et electio coepit fieri a civili potestate, uti perspicuum fit ex actis capituli ab a. 1833 ad a. 1854 ; imo etiam post conventionem a. 1885 capitulum continuavit instituere canonicos ab Imperatore nominatos. Iure autem bergomense capitulum ita se gessisse, instat orator, S. V. O. iudicavit in causa *Veronen. - Iurium;* cum enim, vigente conventione a. 1855, lis inter episcopum capitulumque veronense esset orta, dubio : « An et quae iura competant capitulo veronensi , in collationem canonicatuum, post editam conventionem inter Summum Pontificem et Caesaream Maiestatem » responsum fuit, die 30 Ianuarii 1858: *Servetur consuetudo vigens ante conventionem;* et die 9 Aprilis a. 1859, proposito dubio : « An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis », S. C. stetit in decisis, et dari iussit instructionem, in qua instructione inter cetera legitur : « Facta ab imperatore electione, institutio canonica detur a capitulo ».

Idem ius contendit advocatus applicari debere ad *canonicos theologum et poenitentiarium.* Scribit enim Scarfantonius *(tom. I, pag. 12, edit. lucan. a. 1723):* « Sextus effectus (iuris electionis simultaneae) est, quod licet sacrum Conc. Trid. *(sess. 24, cap. 8, de ref.)* statuerit, electionem

ad canonicatum poenitentiariae ad solum episcopum spectare, attamen si... facta fuerit erectio canonicatus poenitentiarii de praebenda, quae ad collationem episcopi coniunctim cum capitulo pertinebat, praescindendo a dicta electione, actus collationis spectans ad capitulum praeservatus censetur; ita ut possit idem praebendam conferre personae ab episcopo praeelectae, ut declaravit etiam sacra Congregatio Concilii ». Porro in libro, qui inscribitur *Elenchus Partium Capituli pag. 49 ter g.* plures notantur collationes praebendae factae theologo et poenitentiario electis. Quinimo ipse episcopus curabat eos electos ad capitulum remittere, a quo illi canonicam institutionem reciperent.

Ad III. dubium orator observat, quod paroeciae cathedralis capitulum est parochus habitualis et archipresbyter parochus actualis; nimirum archipresbyter in hac cura exercenda est capituli vicarius. Nam ex quodam vetere statuto constat archipresbyterum curam animarum *ab intus* civitatis exercuisse nomine et auctoritate capituli; eademque auctoritate coepit illam exercere etiam *ad extra* civitatis per decretum episcopi bergomensis, diei 20 Ianuarii 1806. In huiusmodi rerum conditione, ait advocatus, observanda est S. Pii V Constitutio « *Ad exequendum* » diei 15 Nov. 1567 statuens § 4: « Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum seu eorum vicariorum, praevio examine, approbatione, deputentur ». Nec est dubius sensus huius Constitutionis, uti interpretantur Turricellius *(De benef, unione, cap. IV, n. 53-55)* et Leurenius *(Forum benef., pars I, quaest. 116, n. 2).* Quia vero, prosequitur patronus, hae electiones reapse per concursum factae fuerunt, id iuri capituli, cui ecclesia parochialis unita est, nocere nequit; quemadmodum monent Turricellius *(De benef, unione, cap. IV, n. 56)* et Leurenius *(Forum benef., pars I, quaest. 120, n. 2).*

Nec capitulo, asserit patrocinator, *ius tantum nomi-*

nancti archipresbyterum competit, sed etiam illum instituendi. Nam capitulum bergomense ius semper exercuit omnes canonicos tum eligendi tum instituendi; idque ius etiam quoad archipresbyterum, cui cura animarum semper commissa fuit, perpetuo possedit. Quod si ad episcopum spectet electum archipresbyterum approbare, ille confert archipresbytero institutionem auctorizabilem, non eam collativam, quam capitulo vindicat orator. « Concurrunt siquidem in hoc casu duae diversae et ad diversa institutiones; videlicet collatoria tituli, cuius subiectum est beneficium ipsum, et quae manat non ab episcopo sed a superiori regulari; et altera, quae ad differentiam huius dicitur institutio auctorizabilis, cuius subiectum est simplex cura, nec procedit a superiore regulari sed ab ipso episcopo tantum, in quo radicatur ipsa cura; Lotterius *(De re beneficiaria, lib. I, q. 33, n. 99).* Ita institutio archipresbyteri facta est a capitulo a. 1805 et 1829; anno autem 1842 ab episcopo sed consentiente capitulo et salvis eius iuribus; item a. 1872, sed potestate S. Cong. Concilii, pro ea vice tantum ac salvis iuribus capituli. Primum igitur a. 1900 episcopus bergomensis iura capituli aperte invasit, conqueritur advocatus, cum nulla obtenta S. C. venia suaque ordinaria potestate archipresbyterum instituit.

Ad dubium IV, orator sustinet, *hanc capellanorum electionem ad capitulum perpetuo spedasse,* uti colligit ex pluribus documentis; ita ut, quando capitulo videbatur, eos dimitteret, quum capellaniae essent beneficia manualia, et mos vigebat, quo capitulum statutis temporibus huiusmodi capellanos confirmaret. Deinde ob rerum publicarum eversiones et consequentes vices, numerus capellaniarum earumque constitutio multimodis subiecerunt .mutationibus et civilis potestatis usurpationibus, usque dum vi legis diei 13 Maii 1871 rebus fere in pristinum restitutis, capitulum quidem aliquando capellanos elegit, at episcopus contendit, ius eligendi capellanos iam suum esse factum.

Pauca addit orator de *officiis magistrorum caeremonia-*

rum ei chori. Hos quoque perpetuo elegit capitulum , uti liquet *ex Elencho Partium Capitularium* ab a. 1698 usque ad a. 1777. Hodie lege 1867 numerus capellanorum ad sex reductus est, et quamvis coram civili potestate appareat duos ex his capellanis munus gerere caeremoniarii et choristae, tamen hoc nec de iure nec de facto semper verum fuit. Et •etiam his recentioribus temporibus electiones caeremoniarii et choristae persaepe a capitulo factae sunt, e. g. a. 1900; quamvis a. 1901 , reclamante capitulo, ab episcopo factae sint.

IURA EPISCOPI.

Ex adverso advocatus episcopi, *ad primam quaestionem spectantem ius capituli conferendi canonicatus et praebendas cathedrales,* recolit *omnes Doctores unanimiter tradere omnium beneficiorum collationem episcopis competere ;* adeo ut, haec sit probata regula, quod' « ex iuris communis dispositione primaevoque Ecclesiae usu attento, omnia beneficia ad episcopi seu ordinarii collationem spectent »; (Van-Espen, *Ius Can. Un. p. Il, sect. III, tit. 4, cap. 1, n. 2).* Ita docent quam plurimi canones ; *Concilium enim Antiochenum a. 341* habet: «quaecumque res ecclesiae sunt. convenit . . . . gubernari et dispensari cum iudicio et potestate episcopi, cui totius plebis animae videntur esse commissae »; *Toletanum III a. 589:* «Omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem et potestatem pertineant » ; *Concilium Lateranense I, a. 1123 :* « secundum Apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat ; nullus omnino archidiaconus aut archipresbyter aut praepositus vel decanus animarum curam vel praebendas Ecclesiae sine iudicio vel consensu episcopi alicui tribuat : immo sicut sacris canonibus constitutum est, animarum cura et rerum ecclesiasticarum dispensatio in episcopi iudicio et potestate permaneat » ; et *Alexander III* cantuariensi archiepiscopo rescripsit, extir-

pandam radicitus fore pravam consuetudinem « quod clerici ecclesiastica beneficia sine consensu episcopi dioecesis vel officialium suorum, qui hoc de iure possunt, recipiant: minus quam deceat cogitantes , quomodo id a sanctorum patrum est institutionibus alienum » ; et alii passim canones per successiva saecula idem confirmarunt ; (Gagliardi, *De Benef., cap. VIII, n. I).*

Haec disciplina ita solet significari, ut episcopus habeat intentionem in iure fundatam ad omnia beneficia conferenda; quocirca quamvis alii praeter episcopos extraordinarii collato res successu temporis fuerint in iure recogniti , v. gr. patroni, in iisdem tamen episcopis illud mansit semper ius originarium et in habitu, eo etiam in casu quo ad alium pertineret alicuius beneficii collatio ; adeo ut, deficiente in inferiore sui iuris exercitio v. gr. ob negligentiam, ad eumdem episcopum redeat collatio, ac detur locus devolutioni, uti perbelle disputât Card. De Luca, *(Disc. I, De Benef., Summa Benef. § 2, n. 6 et n. 16);* et Garcías, *(De Benef., par. V, cap. 4, n. 4)* habet: « Verum de iure communi ordinarii collatores sunt episcopi seu archiepiscopi, qui in collatione et provisione beneficiorum suae dioecesis fundatam habent intentionem iure communi ».

Attamen opponitur , notat orator , quod in iure relata doctrina sustineri quidem possit quoad cetera dioecesis beneficia, non vero quoad canonicatus ecclesiae cath.; uti videri potest apud Fagnan. in cap. *Cum Ecclesia Vulterrana;* et ad summum communior sententia est quod collatio canonicatuum spectet simultanee capitulo et episcopo. Verum, respondet advocatus, capitulo bergomen. id non iuvare, cum sibi vindicare intendat ius conferendi *privativum,* episcopo omnino secluso. Quam assertionem ut refutet advocatus, notat quod in antiqua disciplina solum penes episcopum fuerit collatio quorumcumque beneficiorum , quum nempe collatio et titulus beneficiorum non distinguebantur a titulo sacrae ordinationis. Tantum penes clericos erat ius, aut consensum aut consilium episcopo praestandi, quia colle-

gium clericorum veluti senatus ecclesiae iuxta priscorum patrum formulas habebatur. Tractu temporis, quum in iuribus antiqui cleri merito successissent capitula cath., obtinuit episcopus quamplura negotia agere, irrequisito prorsus capitulo, inter quae etiam beneficia conferre ; non autem illa in eadem cathedrali erecta, nam maxime intererat capitulo, ne canonici et fratres, eo inconsulto, illi aggregarentur. Verum a consilio vel consensu praestando facilis fuit gressus ad episcopum prorsus excludendum, attenta praesertim capituli auctoritate, quae variis ex causis aucta erat, in diesque maior evadebat. Haec habet sueta perspicuitate Berardi, *(Ius. Can. Un. Vol. I. Dissert. 5, par. 2, cap. 2);* necnon Barbosa *(De can. et dign. cap. 14, n. 1 et seqq.).*

Ad eam autem sententiam simultaneae collationis quod spectat, quae pro iure communi apud Doctores invaluit, *loc. cit.* Berardi adnotat : « quam inania argumenta sint illa, quibus usi sunt nonnulli interpretes, qui putarunt, deduci posse ex nonnullis rescriptis aut canonibus incertis inter Decretales Gregorii IX, *simultaneam collationem* beneficiorum et episcopo et capitulo competere iure communi, etc. »; item Lotterius *(De re beneficiaria, quaest. XX, n. 9).*

Quibus perpensis sententiis, advocatus opinatur ius simultaneae collationis recte deduci ex illo principio ss. canonum, quo collatio beneficiorum ad eos pertinet, de quorum bonis beneficia fundata aut dotata fuerunt, i. e. ad episcopum si ex mensa episcopi, ad capitulum si ex mensa capituli, ad utrumque si ex redditibus episcopi et capituli communibus essent constituta. Cum autem notum sit, quod primitus ordinario communes erant redditus episcopi et capituli, vitam in communi agentium, inde communis etiam collatio merito stabilienda erat. « Ex hac autem primordiali communione redituum profiuxit, quod collatio canonicatuum et praebendarum ecclesiae cath., ab episcopo et capitulo simultanee explenda esset.... Secundo item praemittendum est quod quotiescumque ob superius insinuatam prae-

sumptionem , quod praebendae cath. fuerint ex communi mensa capituli et episcopi conflatae, ideoque simultanea illarum collatio ad utrumque spectet, etc. »; (Scarfant., *Lib. L tit. IL n. 16 et 28).* « Ius enim *simultaneae* non provenit a iurisdictione, sed a praesumpta dotatione facta ab episcopo et capitulo de bonis utrique communibus ; et in hoc radicatur ius et ratio *simultaneae* » ; (Riganti, *in Reg. 2 Cancell. § 3, n. 53).*

Atqui, instat patronus, asserere possemus quod episcopi usque a primordiis, maxima pro parte, ecclesiam cath. dotarunt. Scimus enim quod episcopus Adalbertus a. 908, eiusque successores usque ad a. 1180 varias donationes maximi momenti fecerunt capitulo bergomensi. Sed omnes reditus ecclesiae bergomen., ob rerum publicarum perturbationes an. 1798, malo fato deperditi fuerunt; ita ut, si capitulum uti ens iuridicum mansit, suis praebendis, vi maiori, spoliatum fuerit. Quare Pius VII, cum Napoleone conventiones iniens, fuit sollicitus novam capitulis donandi formam a civili suppressione percussis , novasque praebendas instituendi. Fuit proinde constituta unica massa *Fundi Religionis* appellata, ex quibus praebendae canonicatuum et cappellaniarum , de quibus nunc agitur quaestio , fuerunt noviter erectae. Patet hinc, ait patronus, quod capitulum circa dotationem novarum praebendarum nullam habuerit partem, sed eadem repeti debeat omnino ex bonis a Summo Pontifice per Napoleonem Imperatorem elargitis, adeo ut nullo iure, iuxta oratorem, capitulum bergomen. praetendere poterit simultaneam saltem collationem cum Episcopo. Pirhing ad rem docet, *(Ius Can. Un. lib. I IL tit. V, n. 84):* « Spectato iure communi, institutio et collatio dignitatum, canonicatuum, parochiarum et aliorum beneficiorum in tota dioecesi ad episcopum pertinet. Quare episcopus fundatam habet intentionem super institutione et destitutione in beneficiis suae dioecesis, ita ut si quis speciali iure id sibi competere asserat, illud probare debeat, etc. ». Exinde advocatus examinans argumenta a capitulo deducta in probationem asser-

tae consuetudinis contra ius commune, in primis perpendit monumenta, quae adhuc existunt, constitutiones capitulares referentia, et considerat statuta capitularia , synodos dioecesanas; sacras visitationes ad Limina Apostolorum, vel etiam easdem episcoporum s. visitationes in ecclesia cath. peractas, etc. ; et adnotat, in his omnia describi singula iura ac privilegia canonicorum, eorumdemque officia, atque omnia etiam minima referri ; at ne verbum quidem inveniri circa potestatem eligendi novos canonicos. Sermo utique fit de singulis praebendis ; eaedem diligenter numerantur, ac reditus indicantur ; passim nominantur patroni quibus huius vel illius beneficiati praesentatio spectet, vel etiam determinatur praebenda canonicalis cui adnexum sit ius nominandi vel eligendi sive capellanum sive etiam canonicum; nunquam vero sermo fit de iure quod capitulo competat, omnes eligendi cath. ecclesiae canonicos vel capellanos. Immo in casu, quo revera capitulum, utpote tale, iure ponebatur eligendi vel nominandi, in praedictis documentis sedulo declaratur, ac regulae traduntur, ut recte electionis actus expleri posset ; uti videre est de electione primicerii, cantoris, sacristae etc. Verum notat patronus, de electione ac confirmatione novorum canonicorum a capitulo perficienda, nihil dici, nullam dari normam. Datur quidem norma circa modum immittendi in possessionem novos canonicos vel capellanos, eosdemque recipiendi, et mandatur quod in manibus archidiaconi emittant iuramentum ; sed haec est institutio corporalis, quae longe distat a canonica institutione, seu ab institutione col lati va tituli, uti patet ex communi recepta distinctione. Quaestio e contra vertitur circa ius electionis quod implicat hanc institutionem collativam tituli, de qua in dictis documentis nulla prorsus invenitur mentio ; institutionem autem corporalem seu immissionem in possessionem competere posse primae dignitati capituli etiam iure proprio, et in casu hoc invaluisse apud capitulum bergomen., admittere advocatus non ambigit.

Porro *relate ad II. quaestionem, quod in animo semper*

habuit capitulum bergomen. beneficia propriae ecclesiae per se et independenter conferendi, hoc non negat orator ; sed quod revera pacifice ac continuo, episcopis non contradicentibus, eadem beneficia contulerit, hoc non evinci putat neque ex documentis neque ex factorum successione. Talis prae tensionis ratio repeti debet iuxta advocatum ex eo, quod ordinario in antiqua disciplina capitula cathedr. hoc privilegium obtinuerunt ob vitae communis rationem, cum canonici etiam bergomen. talem vivendi morem recepissent; Cfr. Ronchetti *(de Episcopi Adalberti constitutione, lib. IV, a. 896 et lib. V, a. 954).*

Huius communis vitae rationem in capitulo bergomen., advocatus fatetur, non parum distare a regula Ordinis religiosi, et inde deducit, canonicos bergomen. non valuisse sibi vindicare ius *privativum* eligendi suos confratres, eisdemque conferendi praebendas, quod ius facile obtinuere collegia proprie religiosa. Revera in ipsa episcopi Adalberti constitutione, postquam statutus fuerit numerus clericorum quos reditus massae communis alere poterant, iisdem clericis nonnisi potestas conceditur quam : « ex se ipsis eligant personam aptam, quae canonicam ipsam et omnia eius pertinentia provideat intrinsecus et extrinsecus » ; Ronchetti *(loc. cit.).* Episcopus a. 1079 archidiaconatum contulit, et a. 1129 acris controversia enata fuit ob quorumdam clericorum admissionem ; lis autem definita fuit ab Honorio II per Litteras Apostolicas , quibus rem componens ius episcopi omnino confirmavit. Quia vero non exinde controversiae sopitae sunt, recursus iterum habitus est ad Pontificem ; ideoque, notat patronus, collationes semper fuerunt •controversae, ita ut pacifica consuetudo haberi non posset nsque ad a. 1383. Tunc temporis, pergit orator, iam S. Sedes sibi reservare coepit beneficiorum collationem, certis statutis regulis. Hae regulae primus mandavit scriptis Ioannis XXII a. 1330 sub nomine « Regularum Cancellariae ». Et capitulum bergomen., etiam his pontificiis Reservationibus resistere ausum est ; ita ut, quum a. 1447 Nicolaus V

Regulam mensium publicaverit, huic regulae subiacere noluerit. Haec autem resistentia adeo fuit tenax, ut a. 1572: Gregorius XIII per singulare Breve ad idem capitulum directum, renovare debuerit ac pro canonicis bergomen. confirmare reservationes mensium. Neque dicatur, instat orator, quod saltem in mensibus liberis capitulum tandem aliquando obtinuerit facultatem canonicos eligendi: episcopi enim, propria iura laudabiliter protuentes, omnibus viribus atque artibus utebantur, ne capitulo talis improbata audacia iuvaret ; solemne hac de re testimonium habetur ex relatione S. Visitationis in eccl. cath. peractae a S. Carolo Borromaeo a. 1575. A Visitatione S. Caroli Borromaei a. 1575 in posterum, notat orator, quamplurimos canonicatus collatos fuisse a S. Sede Apostolica, etiam in mensibus non reservatis, nec non ab ipsis Episcopis, tum potestate delegata vi specialis Indulti, tum etiam ordinaria potestate in mensibus liberis ; uti patet ex documentis a patrono allatis.

Ad haec, circa capituli collationes quae producuntur, animadvertit orator sedulo esse distinguendas collationes in vim asserti iuris capitularis expletas, ab illis quae ob specialem titulum, sive iurispatronatus ecclesiastici sive aliter, a canonico vel dignitate expleri potuerunt. Nam praebendae tali iure gaudentes, non deficiebant in cath. eccl. bergomen. uti in specie eruitur ex statutis capitularibus a. 1357, n. 33. Dein notat, esse notorium quod systematice capitulo bergomen. etiam ad brachium saeculare recurrere solebat ut scopum suum obtineret ; uti refert a. 1660 Card. Barbarigus occasione Visitationis ad S. Limina.

Veniens advocatus ad epocham rerum publicarum perturbationis a. 1798, animadvertit quod per concordatum a. 1803 ad novam vitam fuit revocatum capitulum, prout declaratur in decreto episcopi 26 Octobris 1805. Quapropter agitur, instat orator, de nova lege relate ad novos canonicatus qua, loco suppositi electionis iuris, quod in capitulo bergomen. viguisse fertur, ius ordinariae collationis suffe-

cium est. Aliqua immutatio effecta fuit, pergit orator, in concordato austriaco a. 1855; sed non ita, ut capitulo aliquid in re concessum fuerit, solum vero ut episcopus *Urnam* imperatori praesentare deberet. Quo in concordato, natura explicatur ac ratio novorum canonicatuum capituli bergomen., cum in eo diversimode disponatur iuxta diversam beneficiorum naturam. Sane, ad differentiam *art. 22,* ubi conceditur austriaco imperatori libera canonicatuum nominatio, absque ulla ex parte episcopi praesentatione ; in *art. 25* illi canonicatus excipiuntur « qui iuripatronatus ex Fundo Religionis seu studiorum derivanti subsunt »; quorum Summus Pontifex Pius IX nominationem quidem concedit Imperatori, sed a praesentatione episcopi limitatam ; cuius praecise *art. 25* dispositio applicata fuit canonicatibus ipsius cathedralis.

In hoc speciale ius concordatarium perpendit advocatus quod, cum ob Summi Pontificis concessionem, Regi datum fuerit privilegium solius nominationis , consequens est dicamus ad episcopum spectare canonicam institutionem conferre nominato a Rege. Eo vel magis quod tritum sit in iure, canonicam institutionem esse actum proprium superioris , eiusdemque potestati iurisdictionali adhaerere. Sed non ita sentit capitulum bergomen.; conqueritur orator, quod in nova etiam rerum ordinatione sibi vindicavit ius «canonicam institutionem conferendi. Unde capta occasione de facta a Rege nominatione novi canonici a. 1824 restitit episcopo, hoc ius sibi arrogans ; episcopus autem capitulo non restitit ne peiora mala evenirent. Verumtamen gubernium austriacum deinceps, toties quoties episcopo novum nominatum notificavit, ab eius *ordinaria auctoritate* postulabat canonicam institutionem.

Tertio loco disserens advocatus *de praebendae archipresbyteralis collatione, cui est adnexa cura animarum,* asserit iam dicta a fortiori applicari collationi huius praebendae ex communi DD. sententia : « Excipe dignitates Ecclesiarum Cath. quae de iure communi non smnt electivae*

adeoque earum collatio ad solum Episcopum spectat » ; (Pirhing, *Ius. Can. Un. Lib. III, tit. V, n. 85).* Quia vera contenditur, animarum curam esse penes capitulum, archipresbyterum vero nonnisi vicarium curatum existere, respondet advocatus per antiqua statuta duo exhiberi, nempe archipresbyterum vices episcopi gerere, et ecclesiam cath. utpote universalem parochiam fuisse consideratam ; adeo ut omnes fideles, qui ad eam convenissent, sacramenta per archipresbyterum recipere potuissent. Sed numquam ex his documentis erui potest, ait orator, ecclesiam cath. fuisse parochiam peculiarem cum proprio distincto territorio , ita ut penes capitulum resederit cura animarum, et eam archipresbyter exercuerit, utpote eiusdem capituli vicarius curatus; hoc explicite declaratur a S. Carolo Borromaeo in eius S. Visitât, a. 1575 qui refert: « Nullum onus curae animarum exercendae imminet cathedrali bergomen. nomine certae titularis paroeciae, etc. ». Et Card. Prioli episcopus bergomen. veram archipresbyteratus naturam declaravit edicens per sententiam iudicialem a. 1727 « archipresbytero ecclesiae cathedralis bergomen. in parochiis civitatis et dioecesis proprio parocho provisis seu provideri solitis nullum ius competere sacramenta administrandi aut alias functiones peragendi ». Quam sententiam rite confirmavit Nuntiatura ecclesiastica a. 1731 contra canonicos appellantes. Quapropter, pergit orator, omnibus in elenchis, occasione synodorum dioecesanarum compilatis, numquam inter parochias invenitur ecclesia cathedr.: nec unquam archipresbyter inter parochos civitatis numeratus fuit, collegium efformantes, et peculiari beneficio vulgo « *mensa de' parroci* » usufruentes.

Demum habetur, concludit patronus, praxis continua ab anno erectionis 1806, nempe per decretum episcopi Dolfini usque hodie, ita ut semper iuxta formam canonicam archipresbyter ab episcopo electus fuerit per concursum.

Postremo loco agit patronus de *collatione capellaniarum choralium, advertens de iure communi nullam esse inter*

Doctores controversiam quod et praefatum nominandi ius ad episcopum spectet. « Fallit sexto in beneficiis inferioribus ecclesiae cath.; haec enim potest Episcopus conferre solus sine consensu vel consilio Capituli » ; (Fagnanus in cap. *Cum Ecclesia Vulterrana,* n. 36). Sed opponit capitulum, capellanías chorales non esse in casu beneficia, sed officia tantummodo antiquis custodibus ac sacristis suffecta. Quod negat advocatus, examinans illorum et istorum naturam ; nam custodes et sacristae, ut ex eorum officiis constat pulsandi nempe campanas, lampadas accendendi etc., non fuerunt veri beneficiati, sed simplices officiales. Dum e contra, arguit orator, hodierni capellani chorales sunt veri beneficiati cum propriis praebendis, una cum illis canonicorum praebendis pariter depromptis ex Fundo Religionis, uti ex decreto episcopi a. 1805 liquet.

Verum quia capitulum, etiam antiquos custodes vel sacristas tamquam veros beneficiatus retinendus esse contendit, ideoque ut illos ita hodiernos capellanos ab ipso eligi debere ; respondet orator, quod forsan aliqua custodum vel sacristarum officia successu temporis in vera beneficia conversa fuerunt, et hac de causa episcopi solliciti fuerunt in sibi vindicando isto iure collationis; v. g. quaedam collationes ipsius episcopi ab a. 1551 ad a. 1626 inveniunt.

Demum quum Capitulum contendat officia saltem magistri chori et caeremoniarum neque modo esse beneficia; respondet patronus hanc intentionem laborare falso supposito, quia haec officia non constituunt aliquid a capellanus distinctum, sed inhaerent inseparabiliter eisdem ; dicitur enim in decreto episcopi a. 1805 « ... ex novem capellanis duo habere quoque debent munus caeremoniarum et magistri chori, etc. ». Quod ne in dubium quidem revocari posset, ait orator, quia res iampridem decisa est ab H. S. C. ipso capitulo instante in causa *Bergomen. - Resignationis et Missae Conventualis,* diei 8 Aug. 1863, in qua duo sunt decisa : *a) Capellanías chorales esse vera beneficia; b) Officia magistri chori et caeremoniarum determinatis capel-*

laniis inseparabiliter adhaerere. Quare mirum non est, pergit advocatus, si episcopus semper dictas capellanías libere contulit, et ita cum adnexis officiis chori ac caerimoniarum, lit novus capellanus ad aliam capellaniam transiens resignare pariter debuerit adnexum officium. In omnibus collationum actibus vocantur expresse : « capellaniae chorales liberae collationis episcopalis », et in sueta Bulla collationis ita exprimitur: « Te ad dictam Capellaniam beneficialem admisimus et admittimus, nominamus et instituimus ». Capitulum vero explicite ius episcopi recognovit ; archipresbyter enim, occasione cuiusdam vacantis capellaniae, modo unum, modo alterum sacerdotem coram episcopo commendare consuevit.

Interea dignabuntur Emi Patres, pro sueta iuris prudentia, infrascripta diluere

Dubia

I. *An ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Bergomen. ius spectet nominandi canonicos eiusdem Ecclesiae Cathedralis, exceptis Theologo ac Poenitentiario aliisque canonicatibus, de quibus aliter cautum est in tabulis fundationis in casu.*

II. *An ad idem Capitulum spectet instituere omnes Canonicos, non exceptis Theologo ac Poenitentiario, in casu.*

III. *An ad idem Capitulum spectet tum nominatio tum canonica institutio Archipresbyteri Capitularis, cui est adnexa cura animarum, salva approbatione Ordinarii, praevio examine, in casu.*

IV. *An ad idem Capitulum spectet ius nominandi Capellanos Chorales, Chori et Caeremoniarum Magistros, qui in eadem Ecclesia Cathedrali existant, in casu.*

Resolutio

S. Congregatio Concilii, re mature perpensa, rescripsit:

R. *Placere de concordia, et ad mentem.*

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 18 Iulii 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Congregatio Concilii in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure discutienda ; quaeque sequenti modo resoluta sunt :

PER SUMMARIA PRECUM

I. S. MINIATIS - CONGRUAE PAROCHIALIS.

R. *Dilata et ad mentem.*

II. VICTORIEN. - LEGATI MISSARUM.

R. *Ad mentem.*

IN FOLIO

I. PARISIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub secreto).*

R. *Affirmative.*

II. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

D. *An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

R. *Sententiam esse confirmandam.*

III. CRACOVIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub secreto).*

R. *Affirmative ad cautelam.*

IV. S. DEODATI - DISPENSATIONIS MATRIMONII.

D. *An sit consulendum SSñio pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

R. *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam.*

V. LUGDUNEN. - SUSPENSIONIS ET REMOTIONIS AB OFFICIO. *(reservata).*

R. *Prohibitionem et suspensionem sustineri.*

VI. VAL VEN. - REMOTIONIS A PAROECIA, *(sub secreto).*

R. *Sententiam esse confirmandam et ad mentem.*

VII. SYPONTINA - IURIUM.

D. 1. *An sententia Archiepiscopi diei 8 Ianuarii 1902 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

2. An statua S. Agnetis V. et M. sit restituenda sacerdoti Limongelli seu potius eidem sit restituenda summa, pro emenda statua, impensa in casu.

R. Ad 1um *Sententiam esse confirmandam iuxta modum et ad mentem.*

Ad 2um *Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.*

VIII. ASCULANA IN APULIA - CREDITI, *(extra ordinem).*

D. *Quamnam summam Archipresbyter Antenozio solvere debeat sacerdoti Conte in casu.*

R. *Ad E avum Praefectum cum Secretario.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

V

URBIS ET ORBIS

Decretum quo occasione iubilaei dogmaticae definitionis Immaculatae Conceptionis plura conceduntur privilegia.

Adventante anno quinquagesimo ab auspicatissima die 8 Decembris anni 1854, qua in maximo templo Vaticano de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis dogmatica definitio a S. M. Pio Papa IX solemniter pronunciata fuit ut huiusce iubilaei cursus in gloriam divini nominis, in eiusdem Deiparae Virginis honorem atque in fidei et pietatis incrementum verteret, Leo Papa XIII nuper vita functus et felicis recordationis, Commissionem ex quibusdam Emis Patribus Cardinalibus com-

positam instituit, quae fidelium cuiusque ordinis et coetus studia et opera ad hunc specialem finem dirigendo et provehendo prospiceret.

Nunc vero haec Sacrorum Purpuratorum Commissio suh novis faustisque auspiciis Sanctae Matris Ecclesiae coelesti Sponso et Capiti perenniter iunctae et post brevem viduitatis luctum altero visibili sponso et capite iucunde decoratae, communia complurium Pastorum et fidelium vota humilesque preces Apostolicae Sedi reverenter porrexit. Quas a subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario relatas, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, pro eo quo erga Deiparam Virginem studio et amore flagrai, benignissime excipiens, indulsit ut decurrente anno a proxime die festo Immaculatae Conceptionis B.M.V, computando, die octava cuiusque mensis, vel iustis de causis, Dominica eam immediate sequente, in Ecclesiis aut Oratoriis ubi, approbante loci Ordinario, quaedam exercitia pietatis fiant in honorem B. Mariae Virginis Immaculatae praeparatoria quinquagenariis solemniis enunciatae dogmaticae definitionis, unica Missa votiva, sive cum cantu sive lecta, de ipsius Sanctissimae Virginis Immaculatae Conceptione celebrari valeat cum eisdem privilegiis, quae competunt Missae votivae solemni pro re gravi et publica Ecclesiae causa iuxta Decretum n. 3922 *De Missis votivis* 30 Iunii 1896 § II, (1) quaeque concessa fuerunt Missae votivae de S. Corde Iesu pro prima feria sexta uniuscuiusque mensis ad normam Decreti n. 3712 *Urbis et Orbis* 28 Iunii 1889 (2) et subsequentium declarationum: ita ut huiusmodi Missa dicatur cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione, et dummodo non occurrat festum duplex primae classis aut Dominica item primae classis, aliquod festum eiusdem B. Mariae Virginis, Feria, Vigilia aut Octava ex privilegiatis: in quibus solummodo commemoratio fieri poterit per Orationem Missae votivae post Orationem Missae de die, sub unica conclusione.

Insuper eadem Sanctitas Sua supplici postulationi plene cumulateque satisfaciens hoc etiam liberaliter concessit, ut in praefatis Ecclesiis aut Oratoriis, praeter memoratam Missam votivam qualibet die octava mensis vel Dominica proxime sequenti indultam, ceteris Missis tunc addi possit commemoratio

(1) Vide Vol. XXXV, pag. 741.

(2) Confer Vol. XXI, pag. 694.

Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis ad instar Festi duplicis simplifican: servatis tamen in omnibus Rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 augusti 1903.

M. CARD. MOCENNI.

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

DIARIUM

Die 22 Augusti 1903,

Apud Emum et Rmum D. Cardinalem Dominicum Ferrata, loco ac vice Emi et Rmi D. Cardinalis Seraphini Cretoni, Praefecti S. Congregationis Rituum, atque Ponentis Causam Canonizationis Beati *Iosephi Oriot,* Sacerdotis Beneficiati ecclesiae S. Mariae Regum Barcinone, habita est Congregatio antepraeparatoria, in qua a Revmis Praelatis et Consultoribus theologis emissum est votum supra duo miracula, quae a Deo patrata asseruntur per intercessionem eiusdem Beati, quaeque pro eius Canonizatione proponuntur.

Die 1 Septembris 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum Ordinaria, in qua Emi et Revmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi infrascriptas causas retulerunt:

1. *Aesina* - Confirmationis cultus praestiti servo Dei Ioanni Baptistae a Fabriano, sacerdoti professo Ordinis Minorum, beato nuncupato ;
2. *Vercellen, seu Ordinis Praedicatorum* - Confirmationis cultus servi Dei Ioannis de Vercellis, sexti Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, beati nuncupati ;
3. *Segasien.* - Declarationis casus excepti a decretis Urbani VIII, necnon approbationis et concessionis lectionum II nocturni in honorem S. Iusti, monachi et martyris, patroni principalis totius dioeceseos et civitatis Segusien.;
4. *Armacana - Dublinen. - Cassilien. et Tuamen.* - Concessionis et approbationis officiorum et elogiorum Martyrologio inserendorum peculiarium Hiberniae sanctorum;

5. *Congregationis Missionis* - Concessionis et approbationis festi cum officio et Missa in honorem Patrocinii S. Vincentii a Paulo, fundatoris Congregationis Missionis et Puellarum a Charitate ;
6. *Buseoducen.* - Concessionis et approbationis Officii et Missae in honorem B. Mariae Virginis titulo *Dulcis Matris ;*
7. *Tullen.* - Concessionis et approbationis officii et Missae propriae in honorem B. Petri Dumoulin Borie, e Societate Missionum Exterarum pro dioecesi Tullen.;
8. *Meliten.* - Super revisione scriptorum servae Dei Adelaidis Cini, fundatricis Instituti a Sacro Corde Iesu in civitate Melitensi ;
9. *Neapolitana* - Super revisione secundae partis scriptorum servi Dei Ludovici a Casaurea, sacerdotis professi ex Ordine Minorum; fundatoris Fratrum a Caritate, vulgo *Bigi;*
10. *Super dubiis liturgicis,* praesertim vero super dubio de extensione privilegiorum, quae competunt Protonotariis Apostolicis Participantibus de numero, ad Canonicos Basilicarum Patriarchalium Urbis.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIA circa decimarum solutionem.

I.

Episcopus Urbaniae et Tiferni exponit quod in suis dioecesibus quidam parochi petierunt atque obtinuerunt a Gubernio supplementum congruae, in quo aestimatae sunt compensationes pro damnis ex decimarum abolitione progenitis. Cum christifideles non pauci solvere decimas pergant, ad E. V. Rmam recurrit quaerens, num dicti parochi queant libere frui decimis quae a fidelibus persolvuntur, et compensatione seu supplemento quod, pro decimis abolitis a Gubernio, percipiunt.

S. Poenitentiaria Episcopo Oratori respondit:

« Quatenus parochi supplementum accipiant a Gubernio in compensationem decimarum, et illud decimas, quas antea percipiebant, adaequet; reliquum quod a fidelibus praestatur, erogandum in pias causas iudicio Ordinarii ».

Datum Romae e S. Poenitentiaria, die 20 Novembris 1902.

A. CARC AN**i,** *Regens.*

A. MARTINI, *Secretarius.*

II.

« Parochus N. N., dioecesis Callien., suo suorumque collegarum nomine exponit quod sequitur:

Noster Episcopus die 24 Novembris 1900, litteras misit ad parochos dioecesis, ut quoad decimarum materiam uniformiter conscientias dirigeret.

In iis litteris normae continentur, circa quas hae declarationes requiruntur:

1. Quarta norma inculcat « *non oportere fidelibus aperire quod solvere decimas non tenentur, sed esse relinquendus in sua opinione».* **Nunc autem quaeritur: Quando datur casus, et is quidem non infrequens, quod parochus directe interrogetur a fidelibus de vigore aut cessatione obligationis, quid ipse respondere debebit?**

2. Parochi qui decenter vivere nequirent solis lib. 900, illique magis qui ante decimarum sacramentalium abolitionem reditum habebant excedentem lib. 900, obliganturne hodie, ex norma sub numero quinto expressa, *Episcopi dispositioni committere* **omnem decimarum proventum, quin ius habeant pro se retinendi vel illam partem quae necessaria esset ad antiquum proventum adaequandum ?**

3. In quocumque casu, ac praecipue quando contingit quod Gubernium minime supplet quantum supplere deberet ne solos gravaret meliores, nonne temperari posset norma sub numero sexto posita, simulque parochi necessitati subvenire, ad faciliorem praecepti adimpletionem. Domino Episcopo facultatem tribuendo ut aeque reducat, pro sua prudentia, antiquum tributum, ita ut hodie pro decima solvatur, v. gr. solum dimidia pars aut tertia eius, quod prius solvebatur?

S. Poenitentiaria Episcopo Callien. respondit:

« Quaesita quod spectat circa decimas, S. Poenitentiariae proposita a quodam parocho dioecesis Callien., hoc S. Tribunal iudicavit non expedire solutionem directe ipsi oratori mittere. Idem S. Tribunal, suae praxi insistens, simulque prae oculis habens iudicium expressum a D. V. Illma ac Rìia in epistola diei 4 augusti decurrentis, ad praedicta quaesita decernit:

1. Quoties parochus aut confessarius directe a fidelibus interrogetur de obligatione solvendi decimas etc., respondere debet obligationem adhuc existere, non obstante abolitione a lege civili decreta, cum haec minime competens sit in decernendis iis, quae ad Ecclesiam spectant. Pro casibus vero quibus fideles, praedicta obligatione non obstante, forent inquietandi, sequantur responsa data ab hac S. Poenitentiaria D. V. Illmae ac Rmae, die 8 martii 1898 (1), necnon Episcopo Montis Alti, die 7 martii 1899 (2).

(1) *En responsum diei 8 martii 1898:*

Episcopus Callien, et Pergulan. huic S. Poenitentiariae sequentia proposuit dirimenda dubia :

1. An iurisprudentia S. P. eadem perseverai ac anno 1887? quo nimirum, die *t* septembris, litteras ad Ordinarios Italiae dedit, declarantes fideles, non obstante civili lege abolitiva, ad decimas solvendas aeque teneri, adeoque renuentes non posse absolvi?

2. Si decimarum debitores fundum deponere velint ad se suosque bac obligatione liberandos, exigi ne debet tanta pecunia, ut eius reditus adamussim exaequet decimas ante persolutas, an aliqua concedi potest reductio?

5. Parochus potestne rogatus decimarum imminutioni consentire, dummodo ius decimandi agnoscatur a suis parochianis?

4. Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitentibus patribus-familias, quos certo scit vel dubitat nolle (etsi possint) decimas Ecclesiae persolvere, si ipsi hac de re in confessione sileant omnino?

5. porro Poenitentiaria die 8 martii 1898 reposuit:

« Ad 1. Affirmative.

« Ad 2. Quoties decimarum redemptio obtineri nequeat, et locus sit eompositioni, iuxta litteras S. P. diei 2 septembris 1887 num. % aequam reductionem concedi posse.

« Ad 3. Affirmative, dummodo renuntiatio sil personalis, neque praeiudicium inferat iuribus successorum.

« Ad 4. Confessarius se dirigat iuxta regulas a probatis auctoribus traditas, praesertim vero a S. Alphonso, Theol. Mor. lib. 6, n. 610 ».

(2) *En responsum diei 7 maii 1899:*

Episcopus Montis Alii exposuit quod in sua dioecesi nonnulli parochi expostularunt a civili Gubernio et obtinuerunt supplementum reditus, in quo com-

2. Parochi retinere possunt ex decimis, quae ipsis solvantur, eam partem quae necessaria est ad exaequandum integrum reditum paroeciae, quo fruebantur ante abolitionem, etiamsi hic lib. 900 excederet. Illi vero parochi qui nequirent decenter vitam transigere cum congrua lib. 900, notam facere debent Episcopo propriam conditionem, qui, si id necessarium iudicabit, poterit ipsis facultatem tribuere retinendi aut ex toto aut ex parte decimas, etiam si nunc earum summa excederet reditum^ quem antea habebant.

3. Quoad tertium quaesitum, queunt parochi, facultate a proprio Episcopo accepta, in casibus particularibus, ac ob speciales rationes, reducere temporanee fidelibus quantitatem decimarum quas deberent solvere, eam diminuendo usque ad dimidium ac etiam magis, attentis circumstantiis.

Haec D. V. Illma et Riña, iuxta opportunitatem modumque quem aptiorem reputabit, communicabit parochis et confessariis, ad declarationem et absolutionem litterarum iam editarum.

Datum Romae e S. Poenitentiaria, die 20 Novembris 1902 ».

A. CARCANI, ***Regens.***

A. **Can.** MARTINI, ***Secretarius.***

putata fuit compensatio pro damno emergente ex abolitione decimarum. Unde parochiani arbitrati sunt se non amplius teneri ad solvendas decimas, ea potissimum ratione, quod quum parochi a Gubernio iam recipiant aequivalentem compensationem, si ipsi tenerentur illas solvere, praedicti parochi easdem bis perciperent, scilicet una vice ex parte Gubernii, in numerata pecunia, et altera vice ex parte parochianorum, in natura. Hinc Episcopus Orator duo sequentia proposuit dubia:

1. Utrum parochi teneantur ad inducendos parochianos ut decimas solvant?

2. Utrum confessarii debeant negare absolutionem iis qui denegant solutionem in casu?

Porro S. Poenitentiaria, die 7 martii 1899 ita reposuit:

S. Poenitentiaria ad utrumque dubium respondet: fideles in casu non esse inquietandos neque a parochis, neque a confessariis, dummodo hae duae verificentur conditiones: t. quod supplementum aliunde a parochis acceptum, sit in compensationem decimarum et illas adaequet; 2. quod ipsi fideles parati sint stare mandatis Ecclesiae.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Qua Pius Papa X Commissionem Cardinalitiam pro quinquagesimo anniversario dogmaticae definitionis Immaculatae B. M. V. Conceptionis confirmat, atque orationem in eiusdem honorem adnexa indulgentia proponit.

Ai diletti Figli Nostri
VINCENZO **Gardinale** VANNUTELLI
MARIANO **Cardinale** RAMPOLLA DEL TINDARO
DOMENICO **Cardinale** FERRATA
GIUSEPPE CALASANZIO **Cardinale** VIVES

Signori Cardinali.,

Se è Nostro dovere di far tesoro in tutto dei documenti e degli esempi lasciatici dall' augusto Nostro Predecessore Leone XIII di s. m., lo dobbiamo in modo speciale in quei mezzi che riguardano l'incremento della fede e la santità del costume. Ora il venerato Pontefice pel cinquantesimo della definizione dogmatica dell' Immacolata Concezione di Maria Santissima, aderendo al desiderio dei fedeli di tutto il mondo, che questa ricorrenza venisse celebrata con solennità straordinaria, nello scorso maggio nominava una Commissione Cardinalizia che ordinasse e dirigesse i provvedimenti opportuni per commemorare degnamente il fausto avvenimento. Noi, compresi dai medesimi sentimenti di devozione alla SSma Vergine, e persuasi, che nelle vicende dolorose dei tempi che corrono, non ci restano altri conforti che quelli del Cielo, e tra questi T intercessione potente di quella Benedetta, che fu in ogni tempo *Y* aiuto dei cristiani, confermiamo Voi, Signori Cardinali, a membri di questa Commissione ; ben certi che le vostre sollecitudini saranno coronate dal più splendido successo, per l'opera altresì di quegli egregi i quali alle tante altre benemerenze sono ben lieti aggiungere ancor questa di mettersi in tutto a vostra disposizione per eseguire fedelmente le vostre decisioni.

Oh voglia il Signore in questo anno giubilare esaudire le preghiere, che gl' innalzeranno i fedeli per l'intercessione di Maria Immacolata, dalla Triade augustissima chiamata a parte di tutti i misteri della misericordia e dell' amore, e costituita dispensiera di tutte le grazie !

In questa cara speranza V'impartiamo ben di cuore, Signori Cardinali, l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano li 8 Settembre 1903.

PIUS PP. X.

Orazione

Vergine Santissima, che piaceste al Signore e diveniste sua Madre, immacolata nel corpo e nello spirito, nella fede e nelr amore ; in questo solenne giubileo della proclamazione del Dogma, che Vi annunziò al mondo universo concepita senza peccato, deh riguardate benigna ai miseri che implorano il vostro potente patrocinio! Il maligno serpente, contro cui fu scagliata la prima maledizione, continua purtroppo a combattere e insidiare i miseri figli di Eva. Deh Voi, o benedetta Madre nostra, nostra Regina e Avvocata, che fin dal primo istante del vostro concepimento, del nemico schiacciaste il capo, accogliete le preghiere, che uniti con Voi in un cuor solo vi scongiuriamo di presentare al trono di Dio, perchè non cediamo giammai alle insidie che ci vengono tese, così che tutti arriviamo al porto della salute, e fra tanti pericoli la Chiesa e la società cristiana cantino ancora una volta l'inno della liberazione, della vittoria e della pace. Così sia.

A quanti reciteranno la presente preghiera accordiamo per una volta al giorno V Indulgenza di 300 giorni.

Dal Vaticano li 8 Settembre 1903.

PIUS PP. X.

(Versio)

Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus

VINCENTIO VANNUTELLI
MARIANO RAMPOLLA DEL TINDARO
DOMINICO FERRATA
IOSEPHO CALASANCTIO VIVES

Eminentissimi Domini,

Si Nobis onus incumbit documentis atque exemplis a venerabili Praedecessore Nostro Leone PP. XIII sa. me. relictis magnopere consulendi, id eo magis mediis illis, quae in fidei incrementum ac morum sanctitatem vergunt. Re quidem vera, venerabilis Pontifex pro quinquagesimo dogmaticae definitionis Immaculatae B. M. **Virginis anniversario, totius mundi fidelium votis persolvens, ut haec commemoratio extraordinariis solemnitatibus celebraretur, mense maio transacto Cardinalitiam Commissionem constituerat ut omnibus, quibus ad solemnitatem quam dignissime commemorandam opus esset, studerent eaque dirigerent. Nos quoque, iisdem erga Beatam Virginem devotionis sensibus imbuti, persuasique quod in his temporum vicissitudinibus haud alia nisi illa coeli maneant auxilia, quae inter potens Benedictae illius intercessio, quae Christianorum auxilium semper evasit, Vos, Eminentissimi, huiusmodi Commissionis membra confirmamus ; fidentissimi quod vestra solertia exitu felicissimo coronabitur/etiam opera illorum illustrium virorum, qui cum iam multum bene mereantur, libentissime nunc laetantur hoc quoque opus praestantes quod arbitratui vestro omnino sese remittant, ut fideliter decisionibus vestris obtempèrent.**

Exaudiat Dominus hoc iubilari anno preces, quas intercessione Beatae Virginis Immaculatae ab augustissima Triade in sortem omnium mysteriorum misericordiae ac amoris vocatae ac dispensandi eis gratiarum omnium constitutae, ei fideles Offerent! **Interea de hac spe laeti, Apostolicam benedictionem Vobis, Eminentissimi Domini, peramanter impertimus.**

Ex Aedibus Vaticanis, die 8 Septembris anno 1903.

PIUS PP. X.

Oratio

Beatissima Virgo, quae Domino placuisti eiusque Mater fuisti, Immaculata corpore, spiritu, fide atque amore; in hoc solemni iubilaeo proclamationis dogmatis, quod Te universo mundo sine labe conceptam praestitit, respice quaesumus miseros tuum potens patrocinium implorantes! Dirus serpens, in quem primitus eiecta est maledictio, miseros filios Hevae persequi atqueinsidiare iugiter pergit. O Mater nostra benedicta, Regina et Ad vocata nostra, quae iam a primo tuae conceptionis instanti,, hostis caput contrivisti, preces recipe, quas Tibi corde coniuncti Te rogamus Deo offeras, ne tentis insidiis unquam obstringamur, ita ut omnes ad salutis portum pervenire possimus ; atque tot inter pericula Ecclesia ac christiana societas liberationis, victoriae pacisque hymnum iterum concinant. Amen.

Omnibus vero hanc orationem recitantibus Indulgentiam 300 dierum semel in die lucrandam concedimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII **Septembris anno** MCMIII.

PIUS PP. X.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. G. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ROMANA

LIBERATIONIS ONERUM

Die 6 Februarii 1903.

Compendium facti

Anno 1875 Comes Franciscus Senni publicae licitationi emit latifundum, vulgo nominatum *delia Maglianella,* extra portam Oavalleggeri Romae situm, a Fisco iam usurpatum vi legis conversionis proprietatis ecclesiasticae et spectans ad Capitulum S. Michaelis in Foro Piscium, quod Comitem precibus ad hanc emptionem impulerat. Acquisitio facta fuit de licentia auctoritatis ecclesiasticae et cum notis S. Poenitentiariae conditionibus.

Comite Francisco defuncto, et bonis paternis divisis inter haeredes, latifundus Maglianella assignatus fuit corniti filio Vincentio, qui suas res oeconomice ordinare cupiens definitivo modo, die 16 septembris 1900 supplicem libellum ad S. C. Episc, et Reg. obtulit pro liberatione et absolutione a conditionibus a S. Poenitentiaria impositis. Super hoc libello interrogatum fuit Capitulum S. Michaelis in Foro Piscium, quod consensum praestare denegavit nisi sub' conditione congruae compensationis. Ast haec conditio omnino reiecta fuit a Comite Vincentio Senni.

Allegationes Capituli

Capitulum, praemisso quod reapse impulit defunctum Franciscum Senni ad emendum latifundum Maglianella, ne praedium in manus speculatorum reciderit, observat quod emptor conditionibus sibi a S. Poenitentiaria impositis non paruit, et praesertim tertiae conditioni, nempe *erogandi redditus bonorum* (emptorum) *qui facta proportione excedunt solutum pretium in favorem personarum aut locorum piorum ad quae dicta bona de iure pertinent.* Siquidem Capitulo a familia Senni ab anno 1875 usque ad praesens nihil persolutum est, et quamvis Capitulum ignoret libros administrationis, quia hi nunquam a defuncto Francisco Senni vel ab eius haeredibus exhibiti sunt, attamen pro certo habet non tenue lucrum ex praefato contractu in emptorem derivasse : quod ita Capitulum probandum aggreditur.

In comperto est quod latifundus a Francisco Senni emptus publica licitatione fuit pro 298, 000 libellis ; quibus si addantur libellae 2687, 50 pro redemptione census favore Praelaturae ßiancheri et insuper libellae 17. 000 pro expensis emptionis et redemptionis nec non libellae 4000 pro melioramentis a lege praescriptis, resultat summa totalis libel. 321. 687, 50. Atqui, ait Capitulum, longe alius et maior est latifundi Maglianella realis valor ! id enim ex eo resultat quod ante pseudo-legem pro conversione proprietatis ecclesiasticae actum fuerat pro eo latifundo vendendo haeredibus Serafini in libell. 400. 000, aliunde cum publica licitatio aperta fuerit in libellis 280. 000 id aperte portendit fundi realem valorem pertingere quatuorcentum millia libellarum, cum commissio liquidationis assis ecclesiastici in usu haberet aperiendi licitationes pretio tertia parte infra realem valorem. Quin imo si ratio habeatur modi censendi valorem fundorum, nempe triplicandi eorum censum vulgo *estimo,* cum census latifundi Maglianella

an. 1821 fuerit in libellis 142.927, calculo ducto in praesens eius valor constaret in libell. 428. 783, non pensatis melioramentis a Capitulo in fundo adductis ab an. 1821.

At Comes Senni obiicit ex praefato latifundo damnum oeconomicum persensisse : et profert exemplum Capituli Vaticani et S. Mariae in Via Lata, quae canones reduxerunt. Huic obiectioni Capitulum contradictor ita respondet: ipso Senni fatente, proventus nitidus annuus, media facta, est in libell. 12. 673, quae summa respectu solutae pecuniae repraesentat interesse in libell. 4 pro singulis centenis, quod aequale est interesse in versuris publicis italicis: hinc conquestum damnum, iuxta Capitulum, in eo est quod Comes Senni pinguius lucrum ferre vellet : exempla autem adducta nihil proficere, cum praetensae canonum reductiones abfuerint : quin imo Capitulum S. M. in Via Lata emphyteusim iniit cum quadam societate pro concessione fundorum in libell. 40.000, dum prius retracta summa ex contractu cum quodam Piacentini non exceclebat libell. 24. 000. Concludit itaque Capitulum contradictor: lucrum reportatum a Comite Senni in emptione latifundi Maglianella fuit in libell. 100. 000. De hoc lucro Capitulum petit sibi pro bono pacis adiudicari medietatem, nempe libell. 50.000, quae summa inserviet ad compensandum damnum quod sibi obveniet ex proxima conversione pro reductione redditus publici ad libell. 3 % in singula centena.

Allegationes Comitis

Comes Vincentius Senni observat quod Capitulum impliciter errat : 1. vel nescit facta, 2. vel exaggerat valorem latifundi, 3. vel ex erroneis praemissis trahit falsas consequentias. Concedit utique emphyteusim convenientiorem esse quam alienationem assis ecclesiastici ; attamen subiungit quod in praesens etiam Capitula Vaticani et S. M. in Via Lata spinte aut sponte sub condonationis specie imminuunt suorum bonorum canonem emphyteuticum. Etenim pretium locationis operae personarum et publicae gabellae

auctae sunt, dum e contra imminutus est valor fructuum terrae.

Quoad latifundum Maglianella, Comes Senni asserit ipsum solvisse libellas 321.687, 50 pro illius acquisitione; hoc est: libell. 298.000 pro pretio publicae licitationis, libell. 2687, 50 pro redemptione census favore Praelaturae Biancheri, libell. 17. 000 pro expensis emptionis et redemptionis et libell. 4000 pro melioramentis a lege praescriptis. Error est. latifundum Maglianella habuisse vel etiam nunc habere valorem 400. 000 libellarum. Defuit enim semper tam prodigus emptor, et pretium publicae licitationis inferius valori reali esse non potuit libell. 100.000. Quando Comes Senni emit fundum, invenit contractum locationis inter Capitulum et quendam Gasparri, quem contractum servare debuit per duos annos. Hoc tempore, Comes Senni obtinuit libell. 10.625, iuxta locationis pactum. Postea iniit alium locationis contractum sub annuo pretio libell. 14. 500 nitidarum. Post 9 annos iniit novum contractum locationis sub annuo pretio lib. 15.500, sed statim debuit hoc imminuere usque ad 12. 500 libellarum. Usque dum et ipse Comes coactus fuit conducendi ex sese latifundum Maglianella, cum annuo redditu minimo libell. 7266 et maximo libell. 14. 932. Videtur ergo quod pretium antiquae locationis inter Capitulum et Gasparri, in libell. 10. 625 est melior probatio valoris latifundi, scil. 200. 000 libellarum, minime vero 400. 000 lib. ut Capitulum iactat.

Quod si Comes Senni emit fundum pro annua rata, ipse statim adnotat se solvisse interesse, ratione 6 libell, pro singulis centenis. Hoc posito, dum ipse ex latifundo primis tribus annis habuit redditus 10. 625 libell., e contra debuit solvere libell. 16.084,35, pro tota sorte libellarum 321. 687, 50. Insuper Comes Senni asserit annuum redditum latifundi, proportione facta, esse libell. 12. 673, quae repraesentant sortem libell. 253. 460. At pro acquisitione latifundi Maglianella solutae sunt libell. 321.687,50, cuius sortis foenus est libell. 16.084,35. Ex altera parte

Comes Senni habuit annuos redditus, medietate facta, libell. 12. 673, ac propterea annuatim perdidit lib. 341.1,35, et ideo post 28 annos, quia tanto tempore ipse est dominus latifundi, amisit summam totalem libell. 95.517, 80, quae magis augeretur, si adiungantur foenora, uti dicuntur, composita, *(interessi composti).* Error igitur est latifundum Maglianella habuisse vel habere valorem lib. 400.000 et comitem Senni indebite accepisse per 28 annos redditus sortis libell. 120. 000.

Adiungit comes Vincentius Senni quod « ille qui nunc possidet huiusmodi latifundum non est ille ipse qui relationes habuit cum Capitulo et cum S. Poenitentiaria.... ac propterea nullum vinculum iuridicum aut morale idipsum obstringit ». Sed obstet Art. 5 a S. Poenitentiaria Corniti Francisco Senni impositum, h. e.: « certiorandi haeredes et successores de huiusmodi obligationibus per syngrapham subscriptam ad hoc, ut et ipsi sciant ad quid teneantur ». Unde Comes Vincentius teneretur saltem vinculo conscientiae ad conditiones servandas, iam acceptatas a suo parente. — Concludit Comes Senni quod si possibilis foret retrocessio latifundi. Capitulum deberet ei solvere 1. 321.687,50 et insuper libell. 95.517,80, condonatis foenoribus compositis; uti patet, summam totalem libell. 417.205,30.

Denique Comes Senni adnotat quod nunc valor latifundi Maglianella quam maxime imminutus est, quia invenitur intra fines bonificationis agri Romani.

Nunc remanet ab EE. PP. solvendum

Dubîu m

An et quomodo acceptandus sit supplex libellus Comitis Vincentii Senni in casu.

Resolutio

S. C. die 6 mensis Februarii 1903, respondit:

Placere de concordia.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CAUSAE

IN FOLIO

Num. I.

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (1)

Die 16 Maii 1903.

Sess. 24, c. 1, De ref. matr.

Species facti

Parisiis die 29 Maii 1877 religiosum inierunt matrimonium Robertus de C____a. 25 et Margarita de B.... 17 a. nata ; exitu tamen infelicissimo. Margarita enim, uti fertur, non libere nupsit Roberto, contra quem invincibili antipathia detinebatur, dum amorem erga alium iuvenem fovebat. Ipsa coacta fuit, uti asseritur , ab avia Marchionissa de M___, utpote quae, non solum supremam exercens auctoritatem in universa familia, sed huiusmodi matrimonium ob Roberti nobilitatem et divitias firmiter volens, quibuslibet mediis voluntatem neptis frangere conata est.

Initis nuptiis, nec amore nec sollicitudinibus usus est vir ad sibi captandam mulieris repugnantis benevolentiam, quinimo ipsam fastidire coepit, atque contumeliis et iniuriis afficere ; donec a. 1886, cum coniugale consortium propter iurgia contentionesque impossibile evasisset, mulier virum reliquit et apud matrem se recepit.

(i) *Confer* Summarium Causarum *relatum in volumine XXXV, pag. 689, in folio, n.* ***I.***

Tunc Robertus a civili tribunali petiit et obtinuit separationem, quae a. 1889, ad eiusdem instantiam, iuxta legem gallicam in divortii sententiam conversa est. Deinde a. 1900 Margarita a Curia Parisiensi enixe flagitavit ut suum matrimonium declararetur nullum ex *capite vis et metus.* Curia vero, rite confecto processu, die 16 Augusti a. 1901 sententiam dedit : *Non constare de nullitate matrimonii m casu.*

Contra quam sententiam mulier ad S. Sedem recursum habuit ; quapropter causa huic S. Tribunali definienda proponitur sub dubio : *An sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis diei 16 Augusti 1901 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Animadversiones Patroni

Margaritae patronus suam orationem in duas partes dividit ; in quarum prima de metu in genere et de reverentiali in specie, in altera vero de coactione puellae illata disserit.

Et ad primam partem quod attinet, ipse praemittit principium, quod matrimonium, utpote contractus inter liberas personas, opus esse debeat voluntatum liberarum ; atque ad rem affert verba Alexandri III *(Cap. 14 de Spons.):* « Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut, ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet illa securitate gaudere, cuius et animus indagandus ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire ». Iamvero, inquit patronus, libertati opponitur coactio sive physica sive moralis, quae constituitur actione super voluntatem exercita a causa externa. Si haec causa adeo potens est ut se quodammodo substituat voluntati, voluntas non erit amplius causa principalis et responsabilis actus, quia hic non est liber ac proinde quolibet valore iuridico destituitur. Ex quo patrocina-

tor aliud deducit principium, nullum nempe esse contractum coacti ve positum, quum libertas necessaria in contrahentibus deficiat. Coactio vero exercetur per metum, nam voluntas ad vitandum malum, quod timet, actum ponit, quem sine coactione non posuisset. Unde metus erit gravis ac matrimonium irritans, si coactio fuit causa determinans et principalis coniugii.

Quae principia, contendit orator, applicanda esse metui reverentiali, qui a metu ordinario non differt, nisi ex persona a qua infertur, et definitur : « futuri mali existimatio, quod nobis ab iis metuimus in quorum legitima potestate sumus, et quos cultu et honore dignamur ». Quapropter etiam metus reverentialis erit gravis ac matrimonium irritans si extitit causa principalis et determinans contractus ; quod in singulis casibus iudicandum est, habita ratione personarum, circumstantiarum et ambitus in quo metus exercetur. Unde, iuxta advocatum, summopere erraret qui crederei ad metum reverentialem gravem requiri verbera vel saevitias vel minas vel verba contumeliosa. Timor enim reverentialis stipatus esse potest aliis circumstantiis, videlicet precibus instantibus, suasionibus diuturnis et importunis, imperiosis verbis ; quae secundum naturam et indolem agentis vel patientis non minus urgere atque vexare solent. Ex quibus in animo patientis oritur suasio odii et indignationis superioris ; quod malum grave est, et quo voluntas compellitur. Quae est etiam iurisprudentia recentissime recepta, nimirum diuturnas atque importunas persuasiones, imo preces assidue repetitas de proposito matrimonio contrahendo cum timore reverentiali coniunctas, sine minis quoque et verberibus constituere metum gravem, efficacem ad infirmandum coniugium. Ita Pignatelli *(Tom. 9, cons. 130, n. 19);* Gonzales *(Lib. IV Decret., tit. I, de spons. et matr., cap. 15);* S. Rota coram Emerix *(Decis. 870, n. 7):* « Suasiones et preces habentur loco compulsionis et coactionis, et ingerunt metum cadentem in virum constantem, maxime quando veniant a patre, et aliis superioribus ». Item

S. Rota coram Royas *(Decis. 491, n. 8):* « Ad hunc effectum irritandi matrimonium persuasiones et importunas instantias cum metu reverentiali coniunctas, provenientes ab eo quem reveremur satis esse probant Sánchez, Barbosa etc.; praedictis enim concurrentibus nec minae desiderantur ». Idipsum tradunt Schmalzgrueber *(Tom. 4,p.* 7, *tit. 1, § 315);* D'Annibale *(Summa Theol. mor. p. 3, § 315, et proleg. §§ 138, 14, etc.);* ReifFenstuel *(lib. 1, tit. 40, n. 95).* Item Conscius *(De separatio?}e tori, lib. 3, cap. 4, n. 87):* « Matrimonium est nullum sive consensus deficiat propter minas et violentias, sive propter suspicionem tantum indignationis parentum». Huius principii rationem affert S. R,ota coram Ludovisio *(Decis. 374, n. 7):* « Iusta metus suspicio sufficit pro metu *(Bald. cons. 165, lib.2)* ex eo quod in matrimonio animus debet esse liber non solum a compulsione, sed etiam a timore compulsionis ». Hunc in sensum ius dixit S. Rota coram Gregorio *(Decis. 326, n. 5):* « Concurrunt importunae et continuatae persuasiones, quibus nomine patris sollicitabatur, quae sufficiunt sine minis et verberibus ». Idem confirmatur ab hac S. Congregatione in *Lünen, seu Sarzanen. — Nullitatis matrimonii, 22* Iunii 1833, quae firmiter retinuit : « Quum filiae modesta repugnantia neque prodest, neque iuvat, timor reverentialis pro metu gravi habendus est, qui nullum reddit matrimonium ». Et in *Ianuen. — Dispensationis matrimonii, 21* Aprilis 1844; *Casanadien.— Matrimonii,* 30 Iulii 1863; et *S. Iacobi — Nullitatis Matrimonii,* 26 Novembris 1863 : « Et ratio est quia, cum concurrunt et auctoritas metum inferentis et timiditas metum passae, satis sunt ad producendam matrimonii nullitatem ».. Pirhing *(Lib. IV, tit. 1, § 4, n. 119);* Santi *(L. IV, tit. i, n. 143);* D'Annibale *(Eoe I. 22 De ritu nupt. S. Alphonsi Tom. VI, n. 1036) ;* Gasparri *(De Matr. Tom. II, n. 815)* etc. Quae doctrina multo magis locum habet, si metum incutiens plenam habeat auctoritatem, et metum patiens sit aetate minor, indolis submissae, etc.

In *altera orationis parte* ad moralem coactionem ac pro-

inde matrimonii nullitatem demonstrandam patronus probare nititur :

1. Marchionissam fuisse indole absoluta; e contra puellam indole dulci, et aviae omnino submissam.
2. Aviam nuptias firmiter voluisse; neptem ab iis abhorruisse.
3. Illam omnia adhibuisse media ad puellae voluntatem frangendam ; hanc vero omnibus modis restitisse et nonnisi circumventam et oppressam detestatum matrimonium subii sse.

Quod *Marchionissa fuerit indole absoluta* probat orator •ex depositione tum oratricis tum testium septimae manus, qui affirmant ipsam in familia absolutum imperium semper exercuisse, ita út, etiam vivente viro, non solum filiae sed filii, quamvis ratione aetatis emancipati, eiusdem voluntati omnino subditi fuerint. Quae auctoritas maxima erat, cum Marchionissa ingentem fortunam possideret, qua potuisset pro lubitu unum vel alterum ditare ; hinc in familia voluntas eius erat lex absoluta et observata, ita ut nemo ei contradicere auderet.

E converso, ait patronus, *Margarita fuit indole dulci et aviae omnino submissa;* uti colligitur ex depositionibus eorundem testium. Velle autem non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini : unde *(L. I, ff. Quarum rerum actio, § Quae onerandae)* irrité» declaratur promissio liberti domino facta : « Si liquido appareat, Ubertum metu solo, vel nimia patroni reverentia ita subiecisse ».

Quod *Marchionissa hunc matrimonium firmiter voluerit,* patrocinator ostendit ex eo quod plures fatentur eam continua coactione neptem ad illud contrahendum induxisse.

E contra, pergit advocatus, *Margarita propositas nuptias abhorruit;* nam plures testes asserunt ipsam fovisse antipathiam adversus Robertum. Et merito quidem, ait patronus ; etenim puellam certe non latebat natura et mores viri, qui vino deditus erat et convivebat cum quadam muliere, ex qua ipse filios habuit.

Insuper ex iurata actricis fide et septimae manus testimonio probat orator *puellam pro viribus restitisse et nonnisi circumventam et oppressam nuptias subiisse.* Marchionissae voluntas lex fuit inflexibili modo imposita , et lex ferebatur in personam prorsus dominatam, ita ut modesta contradictio ad nihilum valeret et de resistentia ne cogitari quidem potuisset. Iterum atque iterum unaquaque die per tres integras hebdomadas sive Marchionissa, sive amita, sive patruus, qui alias nuptias propugnaverant, hoc aliud matrimonium puellae imponebant ; sed iterum atque iterum protestationes et lacrymis puella impositum coniugium reiiciebat, donec viribus fracta, febri oppressa qua totidem noctibus urebatur, animo defecit, ab inutili resistendi conatu destitit, atque in statum desolationis ac desperationis cecidit. Haec testatur actrix, cui plures alii testes concinunt. Iamvero S. Rota *(Decis. 405, n. 8, part. 18 recent.)* haec tradit : « Ex parte vero mulieris dicitur probatus metus, si testes deponant de ipsius lacrymis et querelis praecedentibus matrimonium ».

Nec alia resistentia potuisset opponi a puella vix septemdecim annos nata , adnotat orator , dum universa familia, praecipue eius mater, pupilla et ipsa atque vidua, a Marchionissae voluntate tamquam a lege penderet. Nec ad aliquem potuisset confugere, dum Marchionissa dominio et terrore omnes premebat. Cumque hic rerum status stabilis esset ac permanens, puella rationabiliter sperare non poterat, familiae et aviae praesertim indignationem diu, immo semper non duraturam.

Praeterea Marchionissa minabatur quod si Margarita oblatas nuptias respuisset, nullas alias contractura foret ; qui timor, ait patronus, est gravis imo gravissimus.

Ex quibus omnibus iam patet, concludit orator, auctoritate, instantibus ac importunis precibus, consiliis, imo iussu et minis consensum puellae extortum fuisse , ideoque matrimonium ab ipsa initum nullum fuisse.

Huc perducta oratione , advocatus solvit difficultatem,

quae erui posset ex verbis nonnullorum testium deponentium : « *quod resistentia puellae perduravit ad mensem..*? postea cessavit...; quod tandem Margarita se submisit...* ». Et imprimis notat quod ipsa verba sumpta, prout sonant, non indicant consensum praestitum sed cessationem defensionis ; etenim cum ille, qui vim vi repellit, dicitur cedere seu a resistendo desistere, intelligitur vi cedere, non consentire. Insuper praesumptio est quod qui testatur, de eo intelligatur velle testari, quod ei constat. Iamvero quod constat ex facto cessationis a resistentia, est quod a resistendo puella destiterit, non quod consenserit ; nam utrum cesserit quia consenserit, est alia quaestio, circa quam non admittitur iudicium testium, nisi afferant facta quibus innituntur. Facta autem quae afferuntur a testibus nihil probant ; etenim postquam narraverint, puellam semper et constanter consensum negasse, quia alium virum in corde habebat, addunt tandem cessisse quum Comes de L..., amicus patri puellae, dixerit non solum ad consentiendum eam teneri, sed hanc ipsius patris, si in vivis esset, voluntatem fore. Unde, pergit advocatus, ipsa cessit non consensit; qui enim consentit non desperat, et vix cogitari potest ut ad id quod cum totius vitae tranquillitate et ordine componi nullo modo posse quis noverit, et in propriam verti ruinam, consentire possit.

Insuper, ait orator, qualis puellae animus fuerit cum a resistendo destitit, ex factis clare apparet. Sane postquam viribus fracta et febri oppressa a resistendo destiterit, actrix suam voluntatem patefecit vel ipso viro, protestans se aliam in animo affectionem habuisse.

Ceterum testes, qui illa verba protulerunt, ea explicarunt iuxta sensum superius traditum, nempe de cessatione a resistentia exteriori non autem ab interna repugnantia.

Deinde refert advocatus hanc Praesidis Tribunalis Parisiensis adnotationem : « Unum tantum addendum , omnes scilicet testes a Curia auditos omni exceptione maiores esse, et plures, praesertim Marchionem de B,.., sincera voce ac

profunda conscientiae persuasione, iudicum mentes vehementer movisse, ut patet ex nota Tribunalis adiuncta processui ».

Postremo patrocinator refert litteras matris Margaritae ad Curiam Parisiensem missas , ex quibus patet, omnibus puellam viribus restitisse.

Et ulterius progrediens patronus ex circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus probare satagit matrimonium fuisse nullum. Circumstantiae antecedentes et concomitantes habentur in moestitia et lacrymis usque ad extremum a puella effusis, in protestatione a puella Roberto facta circa eius affectum erga aliam personam, in eius agendi ratione indifferenti erga sponsum. Inter circumstantias subsequentes potissima habetur in facto, quod matrimonium nonnisi post quatuor annos consummatum est. Aliae circumstantiae habentur in universa coniugum consuetudine , quae nunquam fuit intima et cordialis sed difficilis et veluti impossibilis et ad evitanda scandala. Unde, scribit advocatus , in casu sequutus est exitus qui, uti inquit Alexander III, de invitis nuptiis provenire solet, idest discordia, contentiones, actuum coniugalium absentia et separatio.

Demum pergit patronus ad confutationem sententiae Curiae Parisiensis , praetermittens ea, quae sententia habet circa metum reverentialem purum ; agitur enim , ipse inquit, non de metu reverentiali puro, sed de metu reverentiali precibus instantibus, suasionibus importunis, imperio, iussu, minis, iniquis conspirationibus coniuncto, qui ab omnibus Theologis et Canonistis gravis censetur, ac proinde irritans matrimonium, praesertim quum agatur de puella septemdecim annorum, timida etc. ex una parte, et de persona absoluta, auctoritativa, imperiosa ex altera.

Sed silentio praeterire non potest orator quae sententia Curiae Parisiensis habet circa ius propinquorum in ordine ad matrimonium vel potius circa applicationem principii in casu : « Attendentes in hac causa, neque de coactione, ne-

que etiam de vi moveri quaestionem, sed tantum de coactione morali illa agi quae a propinquis prudentibus de coetero in adolescentulam vitae imperitam et constanti voluntate destitutam, ad familiae decus tuendum legitime adhiberi solet etc. ». Iamvero sedulo inquirendum est, observat orator, quaenam sit moralis illa coactio quae legitime a propinquis adhiberi possit , quaeque cum actu libero possit componi. Proprie loquendo, cum coactio vi vocabuli per se excludat libertatem, dici deberet nullam coactionem ab ipsis legitime in matrimoniis adhiberi posse ; at si per illam coactionem moralem intelligi debet coactio improprie dicta, non excludens libertatem, tunc quaerit orator quid per istam coactionem impropriam intelligatur. Quod si per hanc coactionem intelligatur, posse propinquos impedire, ne imperita puella coniugium ineat evidenter perniciosum, vel posse ipsos uti consiliis et persuasionibus, hoc concedit orator ; sed non admittit posse propinquos, postquam attentis parentum consiliis, contrahens nolit matrimonium ab ipsis propositum inire, hoc matrimonium ut legem imponere et ad hoc impellere et cogere. Atqui ex dictis constat, prosequitur advocatus, propinquos Margaritae suo iure suaque auctoritate abusos fuisse, praesertim vero Marchionissam, quae matrimonium non proposuit sed imposuit. Ergo, concludit patronus, patet infìrmandam esse in casu sententiam Curiae Parisiensis.

Animadversiones Defensoris Vinculi

Ex adverso Sacramenti vindex contendit non constare de nullitate matrimonii in casu. Et in primis adnotat doctrinam, quae tenet matrimonium ex metu initum de iure naturae vitiari, esse quidem communiorem et veriorem, non autem certam, prouti ait patronus ; imo esse prorsus falsam eiusdem assertionem, qui scribit disputare auctores an impedimentum metus sit iuris naturalis tantum vel etiam iuris positivi ecclesiastici, quia Theologi et Canonistae omnes

consentiunt hoc impedimentum esse de iure ecclesiastico, quamvis dubitent plurimi, an sit quoque vel minus ad ius naturale referendum. Et optime sane, inquit patronus ; nam si hoc impedimentum est tantum de iure ecclesiastico, in iudicio ferendo de metu attendenda sunt quae Ecclesia hac in re constituit e. g. quoad metus entitatem, probationem...; dum si formaliter est de iure naturali (licet iure positivo firmatum) tunc attendendum erit quod natura immutabiliter edixerit.

Insuper vinculi defensor concedit quidem metum reverentialem esse aptum iustas nuptias solvendi ; sed haud satis esse ut metus reapse intercesserit, requiri praeterea ut ille evidenter probetur. Idque non solum quia res facti, praesertim vero impedimenta matrimonialia (maxime inito iam coniugio) sunt probanda , sed et quia agitur de facto delictuoso ; constat quippe metum non posse inferri sine crimine ob gravissimam, qua ita percellitur singulorum libertas, iniuriam. Verum, urget orator, quam difficilis sit probatio metus reverentialis nemo est qui statim non videat, quum agatur de re eminenter subiectiva, circa quam testium auctoritas multo minus valet ac circa metum ordinarium. Et reapse huiusmodi metus ob singularem eius naturam, seu quia illatum a parentibus, in concreto est talis, quod tamquam impedimentum occultum haberi debeat. Unde exurgit consectarium ; nempe celebrato iam invalide coniugio ex metus reverentialis causa, facile posse ipsum sanari per subsequutam cohabitationem et praesertim per copulam carnalem. Notum quippe est tali modo firma fieri posse matrimonia irrite celebrata ob occultum impedimentum, etiam in locis ubi viget Decretum *Tametsi* Conc. Trid., et quin ad defectum purgandum iterum uti opus sit opera parochi et testium. Iam age in casu Margarita ex metu reverentiali erga aviam nuptias cum Roberto celebravit, quocum et cohabitavit per decem annos et copulam habuit ; imo, quod magis est, Curia Parisiensis hac de causa primam actricis instantiam negativo responso dimisit.

Quod si actricis patronus obiiciat acta suppletiva seis acta confecta post primum processum Curiae Parisiensis ;. vinculi defensor haec acta valde suspecta habet. Certo certius, ait ipse, huiusmodi acta, si rite et ex debita potestate perfecta, non impingunt in litteram regulae Clementis V *(Clém. II De testibus)* seu,: «Testibus rite receptis et eorum attestationibus publicatis, sicut non licet super iisdem vel directe contrariis articulis alios vel eosdem testes in principali causa producere, sic non debet in appellationis causa licere, cum non minus in appellationibus quam in principali causa subornatio sit timenda ». Verum, si descriptis in adiunctis acta suppletiva sunt legitima, manent tamen semper suspecta, seu talia quibus magna cum prudentia sit utendum, quia potiusquam praecedentium respousionum explicationes esse possunt cerebrinae inventiones personarum subornatarum aut fallaciter deceptarum.

Deinde gradum faciens sacramenti defensor ad quaestionis meritum duo probare aggreditur, videlicet metum in casu haud fuisse talem, qui nuptias irritare posset ; non solum sed etiam posito talem fuisse, probabiliter saltem; purgatura fuisse et hinc nuptias invalide in hypothesi celebratas ex post facto convaluisse.

Et ad primum caput quod attinet, animadvertit orator, quod si casui huic aptetur regula S. C. Sancti Officii 20 Iunii 1883: « Gravitas metus oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur », desperandum est de actricis intentione, quia praetensus metus in nihilum resolveretur. Sane metus proficiscebatur nec a patre, nec a matre, sed ab avia et quidem sene Marchionissa, quae fatentibus testibus fuit regina in suos, non autem tyranna neptem quasi victimam ad holocausti aram impellens.

Praeterea actrix cum nupsit Roberto in ea aetate erat ut, quamvis indole miti praedita, facile aviae resistere potuisset, apprime sciens se plena frui libertate praesertim in

ordine ad nuptias, imo tandem aliquando aviam instantiis precibusque fuisse cessuram.

Ceterum minae. ad hoc reducuntur, quod forsan actrix aliis nuptiis caruisset opera aviae atque dotis augmentum ab ea minime habuisset ; verum cum iunior esset neptis et avia senex, multa alia coniugia ei praesto esse potuissent, et insuper ad Margaritam pars illa, quae *legitima* appellatur, loco ac vice defuncti patris semper spectabat. Unde, concludit orator, metus reverentialis in casu non fuit talis, qui iuxta Sacrorum Canonum statuta valori nuptiarum obesse potuisset.

Deinde procedens Sacramenti vindex ad alterum caput observat quod, etiamsi metus reverentialis nuptias irritaverit, tamen purgato metu ex post facto illae convaluerunt. Etenim attento iure Decretalium *(Can. XXI De sponsal. et matr.)* necnon etiam hodie, ubi non viget Caput *Tametsi* Conc. Trid., coniugium licet notorie nullum validatur per spontaneam cohabitationem et praecipue per copulam ; adeo ut qui tempore opportuno matrimonium suum uti nullum non accusaverit, non sit postea audiendus. Unde ad rem citata *Instructio* S. Officii, 20 Iunii 1883: « Circa impedimentum quod *vis et metus* dicitur , ante omnia advertendum occurrit, reiici (ab impugnatione) eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas ac opportunitas reclamandi non defuerit, ita ut si liber iam a metu sua sponte in coniugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coactione mature, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso animo fecerat. Unde inprimis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, ut dicitur, utili facta sit ; et si hoc iam Auxerit, quaerendum erit, quanam de causa hoc acciderit, ut iudicari possit, utrum accusatio admittenda an reiicienda sit ». Iamvero in casu sponsa cum sponso cohabitationem fovit, matrimonium cum ipso consummavit nec nisi serius illud uti nullum di-

xit ; quare praesumptio oritur ipsam defectum purgasse ***et*** matrimonium antea forsan nullum facto suo ratificasse.

Advocatus autem obiicere potest : duo requiri ut fiat locus huic theoriae, nempe ut causa metus iam cessaverit, et ut metus fuerit occultus, nam in Gallus quum adhuc vigeat Caput *Tametsi* Conc. Trid., matrimonium nullum ex defectu consensus sanari non potest nisi servata forma eiusdem Synodus. Sed vinculi defensor observat primam difficultatem minime sustineri quia, quum metus processerai ab avia, vel haec supponitur demortua infra decennium et tunc, sublata metus causa, concludendum erit renovatum, apte fuisse consensum ; vel supponitur eadem adhuc in vivis esse et tunc concludendum alio ex capite causam metus cessasse, quia ob pessimos mores Roberti in sponsae moerorem et in familiae dedecus vergentes, avia ipsa adiuvisset Margaritam ad infelices nuptias disrumpendas. Item omni vi caret altera difficultas, prosequitur patronus, quum impedimentum praesertim ex metu reverentiali facile praesumitur esse occultum, sive quia voluntas patientis ex nolente mutari potest in volentem, sive quia influxus metus in patientem demetiri nequit.

Tandem Sacramenti vindex ex quibusdam actricis verbis concludit vel ipsam matrimonium sponte celebrasse cedendo aviae argumentis, vel saltem ex post facto libere consensisse in coniugium antea nullum , ita consensus defectum purgando.

Rebus sic stantibus, diluendum propositum fuit

Dubium

An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio

Sacra Concilii Congregatio, omnibus mature perpensis, respondendum censuit :

Sententiam esse infirmandum.

Colliges

1. Libertas essentialiter requiritur in omni contractu, praesertim vero in matrimoniali, quum agatur de contractu indissolubili.
2. Libertati opponitur metus gravis, iniustus, a causa libera et extrinseca illatus, et directus ad extorquendum assensum.
3. Metus dicitur *ordinarius,* si ab extraneis personis ; *reverentialis,* si a parentibus vel ab aliis superioribus incutatur.
4. Metus reverentialis appellari potest *purus,* si ex sola reverentia erga parentes vel alios maiores concipiatur ; *vestitus,* si aliis circumstantiis sit coniunctus , nempe iurgiis, minis, verberibus, verbis contumeliosis etc., vel saltem precibus instantibus, diuturnis et importunis suasionibus, verbis imperiosis etc.
5. In foro externo metus reverentialis *purus* regulariter non praesumitur esse gravis et sufficiens ad irritandum matrimonium ; *vestitus* autem censetur gravis ac proinde efficax ad coniugium infirmandum, quia in animo patientis recte supponitur exurgere suasio gravis indignationis et offensionis ex parte superioris.
6. In casu satis constare videtur Marchionissam de M___ in neptem intulisse metum reverentialem gravem et quidem aliis gravibus circumstantiis *vestitimi,* quae nuptias irritare praesumuntur.
7. Demum ratificato matrimonii ex parte Margaritae admitti posse non videtur, sive quia minime constat ipsam defectum consensus postea purgasse, sive quia, etiam admissa eius occulta acquiescentia, semper tamen requirebatur renovatio formae Conc. Tridentini, quum impedimentum metus in casu publicum fuerit.

IN FOLIO
Num. VI

CINGULANA

ELECTIONIS (1)

Die 16 Maii 1903.

Sess. 25, cap. 9, de ref.

Species facti

Cinguli in ecclesia cathedrali ob promotionem proprii titularis ad canonicatum vacavit praebenda mansionaria, in quam sodalitas a S. Maria Gonfalonis iuspatronatus sibi vindicat. Quapropter die 15 iunii 1902, indicto a confraternitatis Moderatore conventu pro novi mansionarii electione, convenerunt numero 48 confratres, quibus praefuit Vicarius Generalis Episcopi iure duorum suffragiorum fruens. Ex quatuor candidatis maiora vota tulerunt sacerdotes Franciscus Matalicani et Guillelmus Malazampa, quum ille 34 favorabilia, hic 31 supra quinquaginta habuerit vota. Ideoque electus renunciatus est presbyter Matalicani ; qui, litteris electionis acceptis, Bullam institutionis a S. Dataria Apostolica expetivit, cui hae vice ex manuum appositione affecta erat praebenda. Sed reverendus Malazampa Bullae expeditioni *nihil transeat* apposuit, contendens electionem quatuor defectibus infectam esse, nempe carentia iurispatronatus, vitio simoniae, defectu libertatis et tandem exclusione votantium. Ex adverso sacerdos Matalicani adversarium reconveniens arguit, simoniae vitio laborare presbyteri Malazampa electionem.

Quare hodie controversia huic Sacro Tribunali discutienda proponitur sub rogandi formula : *An mansionaria ecclesiae cathedralis sit conferenda sacerdoti Matalicani seu potius sacerdoti Malazampa in casu.*

(1) Cfr. Summarium causarum, *Vol. XXXV, pag. 690, in folio, n. 6.*

Rationes Malazampa

Advocatus sacerdotis Malazampa imprimis contendit *ius-patronatus sodalitatis S. Mariae de Gonfalone extinctum esse.* Sane ipsa confraternitas per leges napoleónicas suppressa est. Hinc cum a. 1810 quoddam vacasset ecclesiasticum beneficium, cuius Priores sodalitatis una cum aliis erant compatroni, ad novi titularis nominationem sine Priorum interventu deventum est ; imo et sodalitas declarata est suppressa , eiusque patronatus pars iure accrescendi in ceteris patronis consolidata recognita est. Insuper Administrator Apostolicus Cinguli, ex officio ab hac S. Congregatione requisitus super precibus Municipii cingulani de nova via struenda, quamobrem ecclesia S. Mariae novae , olim confraternitati de Gonfalone concredita, erat evertenda, ita suam aperuit sententiam : « Bonis omnibus queis confraternitas de Gonfalone potiebatur devenditis, de sodalitate in pristinum evocanda nihil unquam ab uno nemine hucusque actum fuit ob defectum dotis. Haec ecclesia, una cum altera S. Marci, modo ad revmam Cameram Apostolicam pertinet, quae tamen voluntatem suam mihi aperuit, ecclesias istiusmodi uni vel alteri piae confraternitati, sive privatis etiam personis lubenter donandi. Cum neutra dictarum ecclesiarum neque a sodalitate aliqua, neque a privata quavis persona sit hucusque expetita, sequitur rev. Cameram Apostolicam unicam adhuc esse partem super hac re interesse habentem ».

Factum autem suppressionis ab auctoritate ecclesiastica recognitum est, vi conventionis inter Pium VII et Rempublicam italicam a. 1803 initae, qua statutum est servari capitula ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium, quibus pro convenienti dote assignabantur mansionariorum bona in massam communem conflata^ In casu igitur non tantum de facto sed etiam de iure extincta est confraternitas Gonfalonis ; ideoque liberae collationis effecta est praebenda mansionaria.

Triginta post annos a suppressionis die ab episcopo petitur ut dignetur sodalitium restituere, confratribus concedens eosdem honores *(non iura),* quibus ipsi in antecessum fruebantur. Episcopus confratribus , qui denuo nomen dare sodalitati declaraverant, spopondit editurum decretum repristinationis. At huiusmodi decretum nunquam latum fuit; extant enim preces, quibus repristinatio invocata est ; acta non desunt, quae ab Ordinario et ab oratoribus in ordinem ad repristinationem gesta referunt ; litterae Ordinarii asservatae sunt, quibus ipse novum confici sodalium album iubet : igitur extare deberet decretum quoque episcopale repristinationis, si revera editum fuisse.

Verum, etsi daretur episcopum denuo restituisse sodalitatem, tamen iuspatronatus iterum *ex privilegio* concedere non potuisset, quia haec privilegia abrogata censentur a S. Tridentina Synodo *(Sess. 25, cap. 9, de ref.),* ita ut concors sit Doctorum sententia : « relate ad privilegium non sufficere concessionem episcopi »; Santi *(Praelect. Iuris Can, L.1Í1, t. 33, de Iur epa t r.).*

Nec huiusce concessionis fundamentum esse poterat quod iuspatronatus in casu ante suppressionem inerat sodalitati; nam hodierna confraternitas est nova sodalitas, veteri prorsus extincta, adeo ut lex postliminii nullimode applicari possit.

Demum neque ipsa consuetudo seu frequentia praesentationum invocari potest, vi cuius iuxta citatum Tridentini textum per praescriptionem iuspatronatus acquiri valet.

Praeterea sac. Malazampa patronus probare nititur *electionem rev. Matalicani simoniace peractam esse.* Sane *(Decret, cap. 13, de Simonia)* regula firmatur ut in rebus spiritualibus, vel spiritualibus adnexis, dandis vel accipiendis, omnis pactio absit, omnis conventio cesset. Vi huius regulae, quae hodie teste D'Annibale *(III, n. 111-112)* solum quoad beneficia obtinet : « in beneficiis quidvis pacisci simonia est ; et fit maxime tribus modis, quoties nempe aliquod beneficium confertur impure, aliquo scilicet adiecto

pacto vel conventione, quae onus seu obligationem imponunt quae non inest iure, aut fundationum tabulis, vel alias iure canonico reprobata ». Iamvero nihil deest in casu ad pactum vere simoniacum constituendum, quia sacerdos Matalicani in supplici libello, quem sodalitati obtulit pro sua electione ad mansionariatu, non solum se adimpleturum esse spopondit omnia onera praebendae inhaerentia, sed alia quoque mere voluntaria *sub strictae obligationis vinculo,* celebrandi nempe 25 missas, recitandi Rosarium et Litanias singulis sabbatis, necnon inserviendi ecclesiae S. Marci etiam infra hebdomadam, quatenus utile vel necessarium iudicetur. Quam promissionem libenter acceptavit confraternitas, eamque in conventionem authentica scriptura firmatam convertit , eum praeterea taxando dimidia libella unaquaque vice aliquam ex dictis obligationibus non implevisset.

Quod pactum inter rev. Matalicani et dictam sodalitatem eo magis est reprobandum, quia obligationem imponit, quae neque iure neque vi fundationis inest. Etenim lex est ut « beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur », *(Decret. III, cap. 12; Conc. larici, sess. 25, cap. 5,de ref or.)* ita ut nec episcopus nec alius inferior collator beneficio vacanti et futuro eius successori nova onera imponere possit; *(Cap. 8, de consuet.; cap. 7; de cens. Fagnanus ad capj. XI de praeb. n. 3; Santi, L. III, tit. 12, n. 2);* et pro diminutione beneficii vel ipsa determinatio diei et horae habeatur, quibus Missa celebrari debeat, ubi huiusmodi onus in fundatione statutum non sit ; *(S. H. C. in una Pisaur., 2 aprilis 1647, et 17 maii 1633; Floren. 18 aprilis 1683, 1865 et alias).*

De cetero complures Cinguli personae electionem Matalicani simoniacam fuisse diiudicarunt, ita ut de eadem evasit publica fama.

Ex adverso Matalicani sacerdos crimine simoniae rev. Malazampa incusat, dicens matrem ipsius confratri Aloysio Scalpelli decem promisisse libellas , si votum ille dedisset pro filio, eamdemque se sociam mandatario Valentino Ba-

gliani iunxisse ad invitationes singulis consödalibus deferendas.

Sed sacerdotis Malazampa mater unum et alterum absolute negat, et sub iuramenti vinculo coram Vicario Generali et episcopali cancellario deponit se nunquam aliquid promisisse confratribus pro electione mansionarii, nec unquam se sociam iunxisse sacrestano in deferendis invitationibus electionis. Cui concinit ipse Malazampa, qui voluit coram Vicario Generali sua sponte cum iuramento deponere, se nihil nec per se nec per matrem confratribus unquam promisisse. Huiusmodi attestationes sunt vero conformes ; nam Aloysius Scalpelli et Valentinus Bagliani sunt infensiores adversarii sacerdotis Malazampa, quapropter vix concipi potest, matrem rev. Malazampa cum eis pacta fuisse. De pietate autem, honestis moribus , deque absoluta peierandi incapacitate matris Malazampa amplissimum testimonium reddunt viri, omni exceptione maiores, tum laici tum sacerdotes. E contra Aloysius Scalpelli talis est vir qui nullam mereatur fidem, quum sit venalis et non bona fama apud concives suos gaudeat, ac denique ab ipso Malazampa pecuniam extorquere tentasset ; imo semetipsum dementitus est, quia testes referunt ipsum asseruisse nihil a sac. Malazampa accepisse pro voto.

Insuper *duobus aliis vitiis laborare electionem rev. Matalicani* sustinet patrocinator ; haec enim sunt electionis requisita : « Ac praeprimis omnes, qui ius suffragandi habent, vocandi sunt; *(Decr. cap. 18, 35 et 42, de elect.)* ita ut si unus vel alter sit spretus, hic agere possit ad irritandam electionem peractam; *(Glossa in cap. 8 de elect. in VI; Fagnanus in cap. 41 eiusdem tituli; Reiffenstuel in cap. 42 de elect., n. 115).* Quaecumque itidem electio libera omnino esse debet, ita ut aliter facta sit ipso iure nulla *(Decr. cap. 14 de elect.; cap. 3 eiusdem tit. in VI, § Coeterum, ibi).* Cessat electio, dum libertas adimitur eligendi ; huiusmodi vero libertas deesse censetur etiam in casu subornationis, quae fit importunis precibus, comminationibus, vitu-

perationibus, donis, promissis , aliisque mediis, artibus et modis illicitis sufficientibus ad commovendum, seu moraliter cogendum ad dandum suffragium uni determinato ». *Iamvero non omnes qui ius suffragandi habebant ad votum edendum admissi sunt.* Carolus enim Prancioni et Antonius Chiatti fuerunt expulsi, quia in albo confratrum, qui electioni die 15 iunii interfuere , eorum nomina desiderantur. Uterque coetui 8 iunii primae convocationis intervenit ; sed uterque fuit exclusus : imo Antonius Chiatti ad coetum rediit et secundae convocationis diei 15 iunii, et tamen iterum fuit exclusus. Et hi duo non tantum sodalitati adscripti sunt, sed inter antiquiores confratres adnumerantur.

Dein addit advocatus quod complures suffragium dedere, qui iuxta sodalitatis statuta nequibant. Decernitur enim in Constitutionibus confraternitatis quod « confratres sodalitatis de Gonfalone esse non possunt, qui adscripti iam sunt uni vel pluribus aliis civitatis sodalitiis, quae publicis processionibus interesse tenentur ». Quod confirmatur a littera quadam episcopi Benvenuti a. 1834. Verum ex documentis manifestum est complures eorum qui coetui diei 15 iunii, adfuerant, ad confraternitatem Gonfalonis non pertinere,, quum vel sodalitati Suffragii vel S. Ioannis Decollati vel utrique adscripti sint : quae duae sodalitates processionibus publicis interesse debent. Dum e contra confratres Francioni et Chiatti in albo aliarum sodalitatum non inveniuntur sed tantum confraternitatis de Gonfalone. Notatur quoque, quod Eraclius Sannucci et Torquatus Cavallini, qui auctores fuerunt dictae expulsionis , sunt aliarum sodalitatum officiales.

Electio tandem libera non fuit, quia preces imo et imposi tiones votantibus factae sunt pro rev. Matalicani sive ante electionem sive in ipso electionis actu. Sane de precibus testantur Marchio Felici-Puccetti et Orestes Frontaloni ; quibus concinit Dominicus Francioni deponens Aloysium Scalpelli ipsum invitasse in electionis momento ad suf-

fragium pro Matalicani edendum. Item impositiones exercuerunt nonnulli confratres apud eos, qui aliquo modo subiecti sibi erant. Imo Valentinus Bagliani, sacrestanus S. Mariae Gonfalonis, restitit ipso Vicario Generali, qui, timens ne votatio libera esset , urnam super tabulam praesidentialem collocari volebat. Idem sacrestanus , asserentibus testibus, confratribus additabat locum , in quo reponenda erant suffragia pro votatone mansionarii, atque iisdem dicebat votandum esse pro sacerdote Matalicani.

Rationes Matalicani

Ex adverso autem patronus rev. Matalicani imprimis sustinet *iuspatronatus in dubium vocari non posse.* Patet enim ex Bulla Cardinalis episcopi Auximani et Cingulani, qui a. 1736, obtenta a S. Congregatione Concilii facultate, intuitu cuiusdam annuae praestationis solvendae ius tribuit confraternitati S. Mariae de Gonfalone ad tres mansionarias nominandi. Hic titulus sufficiens est ad iuspatronatus adquirendum ; nam in acquirendo patronatu duos praecipuos titulos, fundationis nempe et dotationis, agnovit Conc. Tridentinum. Sane *(Sess. 14, -cap. 12, de ref or.)* decrevit : « Nemo etiam cuiusvis dignitatis ecclesiasticae , vel saecularis, quacumque ratione , nisi ecclesiam, beneficium , aut capellani de novo fundaverit et construxerit ; seu iam erectam quae tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, iuspatronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat ». Doctores autem hunc canonem interpretantes unanimiter docent solam sufficere dotationem ad patronatum obtinendum ; ita scribit Gagliardi *(De iure patronatus, cap. 5, de f und. ac dot. n. 19):* « Verumtamen dotato sola ad solidum ecclesiae vel capellae per alium constructae patronatum acquirendum sufficit ex Patrum Tridentinorum sententia, quae luce meridiana clarior est ex verbis supra relatis n. 5: *qui enim iam erectam* (aiunt) *ecclesiam quae tamen sine sufficienti*

dote fuerit, competenter dotaverit, patronatum non modo impetrare possit, sed obtinere debeat. Verbum hoc *debeat* necessitatem innuit, qua Dioecesanus, velit nolit, dotatori iam quaesitum ipso facto iuspatronatus iustitiae adiudicare cogitur, ac denegare nequit ullimode aut refraenare ».

Insuper ab a. concessionis 1736 usque in praesentem diem confraternitas semper atque continuo polluit iuspatronatus, ita ut si hoc ex fundatione vel dotatione consecuta non sit, certe ex centenaria, imo fere bis centenaria consuetudine obtinuit. Sic Pitonius *(Discept, eccles. IX, n. 23)* docet quod praxis centenaria « fungitur vice principis valentis tollere et dare, praesumendo meliorem titulum de mundo ; praesumit per consequens novum privilegium, seu novam bullam.... omnemque alium titulum magis proficuum et necessarium ».

Leges autem napoleonicae, a S. Sede non confirmatae, vim habere nequeunt confraternitatem cum suo iuspatronatus abolendi.

Praeterea regula « *beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur* » non facit ad rem, quia sac. Matalicani novum onus non suscepit. Tria enim numerantur in dicto libello ; videlicet onus celebrandi 25 Missas , inserviendi ecclesiae etiam infra hebdomadam quatenus utile vel necessarium iudicetur, et tandem recitandi Rosarium ac Litanias singulis sabbatis.

Ad Missarum celebrationem quod attinet, hoc statuitur in Bulla erectionis : « Cumque dictae confraternitati S. Mariae Gonfalonis inhaereat onus perpetuum animarum Missarum 156, huic quoque oneri satisfaciendum erit absque alia eleemosyna a praedictis quatuor mansionariis , aequaliter inter eos diviso hoc onere ».

Proinde vi fundationis ab unoquoque mansionario celebrandae sunt 39 Missae ; cum autem tractu temporis beneficium S. Mariae Tribulatorum adiunctum fuerit massae mansionariorum, auctum etiam in eis fuit onus Missarum. In posterum tamen ex Apostolico rescripto numerus Missa-

rum fuit imminutus et ad 25 limitatus pro unoquoque mansionario. Cum autem arbitrio mansionariorum ultimis annis alia obtenta fuerit Missarum reductio , quin votum exquireretur confraternitatis , eadem reductio pene occulta remansit.

Quare sac. Matalicani, communem secutus opinionem, ultra vires oneris promittere non intendit Missarum celebrationem, sed Missas 25 celebrare promisit , quia tantam putabat existere obligationem.

Quod autem spectat onus inserviendi ecclesiae confraternitatis occasione functionum, in Bulla erectionis obligatur mansionarius inter alia ad munus capellani in dicta ecclesia exercendum : « Debeat insuper exercere officium capellani dictae confraternitatis S. Mariae Gonfalonis ». Igitur etiam hoc in puncto sac. Matalicani nihil aliud in suo libello petitionis effecit, nisi illud declarare, quod tamquam onus mansionariorum est plane recognitum.

Relate denique ad Rosarii recitationem, quamvis revera huiusmodi onus in Bulla erectionis nullo modo nominetur, pluribus tamen abhinc annis haec devotio a mansionariis libenter fuit exercita. Occasione enim translationis alicuius imaginis B. M. Virginis de Misericordia a publica via ad ecclesiam confraternitatis, mansionarii illius temporis, fidelium desiderio adhaerentes, singulis in sabbatis Rosarium ac Litanias coram dicta B. M. Virginis imagine recitare usi fuerunt. Et quamvis interdum haec praxis interrupta fuerit, denuo restituta fuit per eosdem mansionarios et hodie adhuc viget. Quibus declaratis, dictum libellum nullam difficultatem facessit, quia sac. Matalicani duplici modo sese obligat ad omnia onera mansionariae adimplenda, primo in genere, deinde in specie.

Praeterea ad omnes penitus dissipandas dubietates , sedulo est animadvertendum quod in dicto conventu diei 15 iunii 1902 duae peractae fuerunt distinctae votationes. In prima actum est de electione mansionarii , absque speciali onerum mentione, ita ut sac. Matalicani nominatus fuerit

absolute ad niansionariam ; confratres enim eligen tes minime sese appellarunt ad illa onera, quae rev. Matalicani in suo petitionis libello appellaverit, quum non supplices libelli sed concurrentium tantum nomina, ad normam edicti concursus, in pretio habita fuerunt. Solum autem his absolutis confraternitas , ad petitionem confratris mulctam proponentis, aliam aggressa est votationem. De hac autem altera votatione notandum est quod aut multa cent. 50 respicit tantummodo illa onera in beneficii erectione imposita, et hoc sensu suo iure usa est confraternitas ; aut eadem muleta extendi vult etiam ad alia maiora supposita onera, et tunc vel nullius valoris dicta votatio declaranda est, vel tantum valet respective ad onera , quae legitima sunt. Ceterum hac altera votatione nonnisi proprio muneri confraternitas satisfecit ; nam ipsa erectionis Bulla cavet : « si quis autem ex dictis mansionariis negligens fuerit in adimplendo praedicto officio capellani utriusque societatis, subeat qualibet vice poenam duorum obulorum applicandorum ad commodum eiusdem societatis respective ». Qua de re iam in alia mansionarii nominatione a. 1858 eadem multa statuta fuit in mansionarios negligentes.

Quod vero *ad simoniae accusationem* spectat animadvertendum est, accusationem forsan fundari in facto quod Matalicani nova onera suscepit. Sed haec nova onera minime existunt, quum praeterea in materia beneficiaria plane recognoscitur simonia a temporali utilitate (sive sit a manu, sive sit ab obsequio, sive sit a lingua), quam lucratur beneficii collator in electione peragenda. Ad rem docet Cardinalis De-Luca *(De canonicis, disc. 29, n. 6):* « Tunc infecto simoniaca intraret quando utilitas redundaret ad commodum singulorum eligentium, secus autem ubi respicitur aliquod bonum ecclesiae in universum ». Sed nulla utilitas temporalis habetur in confratribus electoribus, cum promissiones sac. Matalicani in re spirituali omnino versentur.

Quare confratres quasi unanimiter sub iuramenti sanctitate testantur *se libere ac sponte votum dedisse,* et nemi-

nem sua usum fuisse auctoritate vel industria vel pactionibus ut eos adstringeret uni potiusquam alteri ad suffragium dandum.

Demum nihil valet obiectio *circa duorum fratrum exclusionem.* Cum enim plures confratres demortui essent vel eorumdem ambigua nomina extarent, validitatem actuum confraternitatis in posterum tutandi causa , novus confratrum catalogus in dicto conventu diei 8 iunii 1902 disceptata fuit atque adprobatus, adeo ut ab illa die collegium confraternitatis a sodalibus tantum eo in catalogo relatis censeri deberet efformatum et non aliter. Iamvero nec Carolus Francioni nec Antonius Chiatti in hoc novo catalogo inscripti inveniuntur ; nullum exinde habere poterant ius interessendi in subsequenti conventu pro mansionarii electione ac votum ferendi ; ipsi enim membra confraternitatis amplius reputari non poterant. Nec valet quod unus interfuit conventui 3 iunii 1888 et alter conventui 17 iulii eiusdem anni ac proinde iniuria non fuerint in novo albo adscripti; rector enim confraternitatis testatur quod ab a. 1850 ad a. 1902 inveniri non potuit eorum electio in confratres. Quapropter, licet verum sit talia nomina reperiri in dictis conventibus, tamen dubitatum fuit per errorem fuisse conscripta.

Ceterum, etiam dato et non concesso, quod praedicti duo confratres iniuria a conventu fuerint exclusi, electio tamen sacerdotis Matalicani semper valida fuit : « Quamvis autem aliquis a suffragio dando immerito prohibitus fuerit, idcirco tamen actus capitularis vitio nullitatis non laborat ; indubitati enim iuris est, cum aliquis capitularis exclusionem passus est, seu ut vulgo dicitur, contemptus fuit, actum capitularem per se non nullum sed validum esse » ; *(De Herdt, Praxis capitularis, cap. XXXII, § 20, num. 2).* Nec officit doctrina Louvre x ab eodem De Herdt in 1. c. relata, contra Fagnanum quod nempe « contempti computari debent in numero eorum qui faciunt capitulum, non tantum in actu electionis sed in omnibus actibus collegia-

Uter explicandis » ; nam in casu nostro, duobus illis confratribus etiam inclusis, electio sac. Matalicani semper sustineretur, cum etiam hac in hypothesi votorum maioritas eius favore verificetur.

Relate vero ad factum mandatarii, qui cum urna circumiit in excipiendo singulorum voto, notandum est quod hic modus peragendi votationem in confraternitate Gonfalonis iam oritur ex vetustissima praxi et adhuc est in viridi observantia pro omnibus negotiis nec unquam interrupta fuit. Quare ex huius moris ignorantia actualis Vicarius Generalis prima vice uti praeses in similibus deliberationibus adsistens, urnam supra scannimi manendam esse putavit, adeo ut confratres, unus post alium, ad eam convenire deberent ad votum deponendum ; ipse enim Vicarius Generalis cum probe novisset consuetudinem quae circa rem vigebat, libenter assensit ac iuxta solitum procedi posse decrevit.

Quae sub iuramenti sanctitate testantur 41 confratres, qui asserunt quoque sacrestanum nullam exercuisse vim alicui, sed tantum ad aliorum petitionem diversam electionis urnam indicasse.

Ceterum ipse Vicarius Generalis dioeceseos uti praeses sedebat in conventu, ut omnia rite fierent, et tamen in facto ipse nihil observandum invenit ; imo, coetu stante, omnia regulariter processisse declaravit, ita ut propria voce electum Matalicani proclamare non dubitaverit. Tandem conventus, uti in libris relatus fuit, habetur uti plane legitimus, quia nemo tempore utili pro testatus est.

Modo dignentur Emi ac Rmi Patres infrascriptum diluere

Dubium

An mansionaria cathedralis sit conferenda sacerdoti Matalicani vel potius sacerdoti Malazampa in casu.

Resolutio

Emi Patres Purpurati reposuerunt :

Mansionarium conferendam esse sacerdoti Matalicani.

IN FOJLIO

Num. VII

VARSAVIEN, SEU LUBLINEN.

SEPARATIONIS TORI ET COHABITATIONIS (1)

Die 16 Maii 1903.

Species facti

Varsaviae, die 26 novembris 1892, Halina P... et Ioannes B.... religiosum inierunt coniugium, ex quo deinceps filium susceperunt. At pax coniugalis diu non perduravit, imo adeo perturbata est ut uxor a. 1895 Curiam Varsavien, adivit, perpetuam expetens separationem a toro et cohabitatione. Discordiarum causas mulier uni viro attribuebat, qui contumeliis et minis eam insectabatur, quia ab eius patre non fundos dotales, sed iuxta fidem datam annuum 400 rubellorum foenus, quamvis ab ortu filii aliis 100 rubellis annuis adauctum, recipiebat.

Curia Varsavien., infelici exitu concordiam inter coniuges inire prius experta, dein sententia definitiva diei 30 maii 1896 ex causa durae tractationis uxoris per maritum conventum temporalem separationem ad quinquennium tantum concessit. Utraque pars recursum interposuit apud Curiam Lublinen., quae die 28 octobris 1896 appellatam sententiam confirmavit. Verum Halina persuasa sibi non fas esse, etiam elapso quinquennio, coniugalem vitam instaurare et animo in dies magis a marito alienata, ad tempus indeterminatum expostulans separationem, iterum recurrit ad Curiam Varsavien., quae hanc definitiva sententia diei 15 decembris 1900 decernit, eo quod temporalis separatio nocentem virum ad resipiscendum non induxit, quum ipse?

(1) *V. Summarium Causarum,* vol. XXXV, pag. 689, n. VII, in folio.

"violentiam indolis non temperaverit, patrem male affecerit, matris insectantis auctoritatem non declinaverit et demum alimenta denegaverit uxori. Sed vir appellationem instituit apud Curiam Lublinen., quae die 20 iunii 1901 rescidit infirmavitque sententiam Varsavien.

Quare Halina, ut Curiae Lublinen. sententia rescinderetur, ad hanc S. Congregationem detulit appellationis instantiam, modo apud Emos Patres agitandam sub rogandi formula: *An confirmanda sit sententia archiepiscopalis Curiae Varsavien, die 15 decembris 1900, vel potius illa episcopalis Curiae Lublinen. 20 iunii 1901 in casu.*

Defensio Mulieris

Halinae advocatus recolit imprimis, quaenam sit sententia Doctorum quoad casus decernendae perpetuae separationis. Reiffenstuel *(lib. 4, tit. 19, de Divori, n. 17)* proposita quaestione : « Quomodo fieri possit divortium ob saevitiam viri ? » ; respondet : « Potest fieri divortium ob viri saevitiam, si tanta est ut uxor absque periculo vitae, vel gravis damni corporalis viro cohabitare non valeat. Unanimis ac certa claris iuribus *cap. Ex transmissa 8, et cap. Litteras 13, de Restii. Spoliât.* Ratio est, quia ius naturale ac divinum cuivis concedit facultatem adversus vim iniustam, ex qua imminet periculum vitae aut gravis damni corporalis, *argum. leg. Ut vim, 3 ff. de Inst. et iure* ». Imo iuxta eumdem doctorem sufficit etiam timor atrocis tractationis ad separationem concedendam. Sane *n. 41, loc. cit.* ait : « Propter, probabilem timorem et periculum gravis verberationis, aut crudelis vel atrocis tractationis futurae, etiam excluso vitae periculo, valide et tacite potest fieri divortium quoad torum et coabitationem; Sánchez *(lib. 10, disp. 18, n: 16);* Engel *(h. I.* ***n.*** *23);* Layman *(hoc tit.* ***n.*** *10, et Novella 22, cap. 15).* Ratio est, tum quia gravis aut atrox verberatio vel crudelis tractatio causant metum cadentem in virum constantem, tum quia coniuges cum

tanto periculo non censentur se obligasse ad cohabitationem ». Demum *(n. 12)* addit, sufficientem divortii causam adesse etiam « si ex viri genio, passione, colera, nimia ira, aut aliis circumstantiis , probabile periculum gravis venerationis aut crudelis vel atrocis tractationis appareat ».

Cosci *(de separat, tori, lib. 2, cap. 7', n. 9)* disserens de separationis causis ait : « Eiectio uxoris a maritali lecto, facta ab irato marito, ne illa secum dormiat, quae non solum saevitia dicitur, sed etiam dementia, *(Farinacc. quaest. 143, n. 152),* et generaliter expulsio ipsius uxoris sine causa ». Porro in nostro casu vir nedum e maritali lecto, sed ab ipsa domo uxorem, absque ulla rationabili causa, expulit. Idem auctor *(lib. et cap. cit. n. 48)* addit, ad aestimandam gravitatem saevitiarum habendam prae oculis semper esse conditionem personae, quae illas patitur. Hinc saevitiae leviores in foeminam honestissimam et summo loco natam evadunt «graviores, quae in humilioribus essent leviores » ; Reiffenstuel *(Ius Can. lib. 4, tit. 19, n. 44, Rot. cor. Coccin, decis. 2011, n. 29 etc.).*

Actrix insuper pietate ac integris moribus erat, uti ex parochi et Archiepiscopi testimonio constat ; ideoque omni fide digna prae viro habenda est. Porro ipsa narrat, paulo post nuptias virum coepisse eam male habere ; atque maximam diffidentiam erga eamdem ostendisse, cum fere omnia ei occulfasset, ita ex. gr. mutari iussit claustrum in sua arca vestiaria, ne ibi mulier aliquid vel quaerere vel videre posset. Cum enim vir speraret pinguissimam uxoris dotem se accepturum esse, cumque sua spe frustratus foret, quia parentes annuum tantum foenus solvebant, eos uti hostes habebat, atque insuper coepit ferociter, insolenter eamdem tractare, humillando coram omnibus, fere in quovis passu; eamque deprimendo contumeliis et querelis, quae propter minimas causas in apertas insolentissimasque lites mutabantur. Permittebat, prosequitur actrix, suae matri ipsam offendere, nullumque pro eius defensione interponebat verbum, dum videbat matrem suam cum uxore omnino iniuste-

agere. Ultimis mutuae cohabitationis momentis, res ad extremum erant adductae, ita ut immanitas, crude Ii tas, inurbanitas et furor mariti cum tota vi eam opprimebant ; quinimo die 21 decembris 1895 maritus inexpectatam omnino litem instituit, atque conabatur uxorem percutere ita ut ipsa plurimas effunderet lacrymas. Deinde vir coepit pugnis ipsae minari, atque asserebat se crudelissimo morali veneno ipsae infecturum, ac esse paratum eam de domo sua eiicere et omnia ad hoc necessaria remedia adhibiturum. Altera die similiter loquebatur de suo animo uxorem eliciendi de domo sua; et coram cognatis, ex. g. coram G___, haec minime negabat. Praeterea summa praeditus erat avarilia, ac proinde omnibus maxime necessariis rebus eam destitutam faciebat. Imo maritus erat filius degener, quia patrem suum, aetate provectum, dure et inepte fractabat : quo igitur pacto, quaerit actrix , fidere potuerim indoli hominis, qui scelus irreverentiae et contumeliae erga proprium patrem patrat, adeo ut pater ipse filium suum degenere m vocat ? His demum addit actrix, quod mater viri, vitam indecentissimam gerere assuefa, in adulterii crimine mergitur, illudque minime occultat, ita ut ratione eius scandalosissimi cum amasio agendi modi ad Praetorium vocata est.

Mulieris attestationibus concinunt alii testes. Ita mater conqueritur de miserrima conditione suae filiae, et praeter alia , haec genero scribit : « Solemnissime spopondisti bonam imo optimam uxoris tractationem : quanto hoc nos afficiat dolore, fere impossibile est verbis exprimere...; filia nostra amat te vehementer, ardentissime. Fere impossibile est credere, quod tandem post aliquod tempus ad completam ruptionem inter vos deveniri possit , quae disiunctio fere morti pro Halina aequiparetur ».

Deinde orator recolit, quod si reapse vir reconciliationem cum uxore sincere optasset, debuisset alimenta, in prima sententia statuta, uxori accurate exhibere. At hic, qui captandi gratia uxoris bona instaurari coniugale consortium semper enixus fuit, nedum alimenta denegavit, sed

etiam non erubuit factis ostendere, se soceri obitum vehementer optare, ut dein plena facultas ipsi foret de uxoris bonis disponendi. Sane actrix coram iudice, praeter alia conqueritur quod ille « non obstantibus iuris canonici et civilis praescriptis, declarata legitima separatione, nulla mihi solvit alimenta ». Narrat etiam quod vir « adibat nostros famulos eosque interrogabat de cursu morbi : certissime hoc non faciebat sollicitudine et amore ductus , sed intentione meam haereditatem cum foenoribus post mortem patris sumendi ». Queritur etiam actrix, viri matrem immoralem vitam agere, ac illum sub huius influxu vivere.

Unde conqueritur advocatus quod Lublinen. Curia sententiam Varsaviensis Curiae infirmavit, quin rationabiles causas adduceret. Porro ad quatuor reducuntur reprehensionis causae, a Curia Lublinen. allatae ; asseritur nempe quod actrix, in temporali separatione vivens, nec tempus nec occasionem habuit cognoscendi an vir, sufficienter emendatus, ad pacificam cohabitationem capax evaserat ; quae a testibus, in hac nova actione auditis, narrantur nihil ponderis instantiae actricis addunt ; quod denegatio alimentorum nequit marito culpae verti, quia uxor interventu iudicis civilis eadem non exposcebat ; quod dura tractatio patris per filium, item facta degenerationis moralis matris parum ad rem pertinere censenda sunt.

At haec argumenta, iuxta patrocinatorem, tum ab actrice tum ab Archiepiscopo refutantur. Ait enim Halina in supplici libello ad S. Sedem dato : « Verum equidem est me nunc separatam ad quinquennium a mutua cum marito habitatione et penes parentes meos degentem, nil ab eodem saevitiarum passam esse : at facta dirae tractationis , irreverentiae et contumeliarum mariti mei erga proprium patrem, iuratis depositionibus testium probata, nonne demonstrant aperte, ut in quarto motivo iudicium archiepiscopale non modo cessare impetuosum ingenium eius, verum etiam invaluisse ? Quid sperare possum, tot opprobriis et'conviciis tempore triennalis cohabitationis a marito affecta, qui pro-

prio patri suo adeo nefas et degener filius extitit ? Denegatio, seu potius non suppeditatio alimentorum in meam ac filii nostri sustentationem, lege etiam civili in separatione cauta, nonne est documentum, maritum nullo teneriore affectu me prosequi ? Quidne igitur, culpa mihi imputanda est, quia ope brachii iudiciorum civilium non extorquebam id, quod ut recte iudicium Archiepiscopale in tertio motivo notat : maritus ante omnia curare debuisset, si serio ad vitam coniugalem restituendam contenderet Ì »

Dein Halina innuit, separationem ad tempus indeterminatum necessariam omnino esse tum, praeter alia, ad consulendum christianae educationi unici filii, tum ad impediendum ne vir omnibus suis bonis potiatur, eamque absque ullis mediis relinquat. Et subdit : « In hac tristissima sorte unica solatio, unicus finis meus est religiosa, proba et honesta educatio filii. Iamvero nec cogitare valeo, quod si mihi separatio indefinita denegetur, filius impúber noster in tam sordida peste morali, in qua maritus cum matre sua versatur, educandus est ».

Archiepiscopus vero in suis litteris advertit : « Motiva, quibus Halina ducebatur in innovanda instantia, quaeque iudicium meum iusta agnovit haec sunt : defectus amoris et honestatis erga uxorem ex parte rei conventi, qui nec opprobriorum et conviciorum, quibus triennalem vitam communem uxori molestissimam reddidit, veniam petiit. Nec ipse vel per amicos et notos sibi haec condonari, confectumque maritale restitui serio curavit. Imo in defensione enuntiata, dum instantia secundo proponebatur , declaravit se paratum esse assentiri ut separatio ad aliquot annos protrahere tur ex mutuo consensu, non ex culpa ipsius ; id vero effatus est, non ut placabiliorem sibi reddat uxorem , sed quia iuxta leges civiles separatio ad tempus determinatum, etsi longissimum, decreta, omnia iura marito reservat quum ad bona etiam uxoris propria administranda, tum ad prolem educandam. Quod posterius Halina nullatenus admittere potest, ut nempe impúber filius suus in tam sordida

peste morali, in qua maritus cum matre sua versatur, educandus sit ut ipsa etiam ope brachii saecularis, marito postulante, in domum ipsius adducatur, nihilque sine arbitrio eius agere valeat, destituta omnibus in vindictam processus, quem instituere ausa est. Unum adhuc meo iudicio addere necessarium puto. Si separatio ad correctionem rei conventi aliquid conferre valeat, hoc perficere potest solummodo separatio ad tempus indefinitum ; liberando enim partem innocentem ab auctoritate coniugis culpabilis, hunc posteriorem quodammodo ad resipiscentiam cogit, morumque correctionem ac emendationem ; quo fit ut pars innocens ipsa postulet sententiae separationis extinctionem vitaeque communis, ut christianos coniuges decet, restitutionem. E contra vero separata ad tempus determinatum mulieris innocentis conditionem peiorem reddit ; nam praeter quod separatim a viro agit vitam et pensionem alimentorum saepissime difficulter percipit, auctoritati eius in omnibus subiecta manet, nihilque quod personam eius ipsiusque bona et educationem prolis spectat, per se sola aggredi valeat, adeo ut litteras commeationis, in casu urgentissimae etiam necessitatis, e. g. recuperandae sanitatis in quodam sanatorio aut balneis gratia, absque licentia mariti obtinere non possit, ut facile colligere est ex citatis in supplici libello articulis Legis civilis in provincia hac nostra obligantis. Insuper, quod non raro evenit, maritus tempore decretae separationis semet occultat ; terminata vero separatione, cum uxor in domum ipsius revertitur, duplicai in illam molestias durasque tractationes, in vindictam peracti processus ; caute solummodo procedendo ne testes iniquae ipsius actionis adsint. His dictis, oratricem clementiss.imae benignitati commendo ».

Animadversiones ex Officio

Lacrymabilis quidem est mulieris conditio, quam atris coloribus pingit in citatis litteris Archiepiscopus ; nihilo secius non minus est habenda ratio conditionis viri, et se-

dulo perpendendum est an ipse revera sit tantorum maiorum auctor vel locorum potius ratio et non minima pars sit attribuenda ipsi mulieri, quae vel exaggeravit mariti vitia vel non satis recordata est matris munerum in coniugali consortio. Siquidem quocumque in negotio unicuique suum.

Curia Varsavien, ad mulieris instantiam duplicem edidit sententiam, sed dubito secundam sententiam, hodie in controversiam deductam, nullam habere vim iuridicam. Etenim in prima instantia Halina expetebat a tribunali ecclesiastico perpetuam separationem a viro concedere ; et iudex sententia 30 maii 1896, separationem ex culpa mariti ad quinquennium decernit vigore huius definitivae in prima instantia latae sententiae, hisce praecise verbis : « Attento quod ex iuratis depositionibus testium àb actrice inductorum eruitur plenum argumentum durae tractationis actricis per reum conventum, qui ne verbis contumeliosis, adversus eius parentes quidem pepercerit, id quod actrici, spectata eius conditione sociali, cohabitationem reddebat molestam ; attento, quod in ius vocatus per inquisitionem reprobatoriam minime debilitavit recriminationes sibi ab actrice factas ; testes enim per eum inducti minime confirmarunt facta ab ipso determinata ; attento quod probata iudicialiter in ius vocati delicta, non sunt adeo gravia, ut possint eiFectuare decretum separationis indefinitae, bene vero sufficiunt ad pronuntiandam separationem temporalem ; ideo atque ad mentem *par. 2, art. 62 Cod. de Matrimonio ex anno 1836,* iudicium Archiepiscopale Varsaviense separationem Ioannis et Halinae coniugum a mensa, toro et cohabitatione ex culpa in ius vocati mariti ad quinquennium decernit vigore huius definitivae in prima instantia latae sententiae ».

Curia Lublinen. hanc sententiam ratam habuit. At mulier temporanea separatione non contenta iterum petiit a Curia Varsavien, perpetuam separationem, quam instantiam benigno vultu excepit Curia Varsavien., eamdemque sententiam diei 15 decembris 1900 ratam habuit, edicens sepa-

rationem concedi *ad tempus indefinitum ex culpa in ius vocati mariti vigore huius definitivae in prima instantia latae sententiae.* En eius verba : « Attento quod iudicia tam archiepiscopale Varsavien, quam Delegatitium Apostolicum Lublinen. sententiis suis de die 30 maii et 28 octobris 1896 decreverint separationem coniugum Halinae et Ioannis ex titulo durae tractationis uxoris per maritum ad quinquennium dumtaxat eo fine ut temporalis separatio cogeret nolentem ad resipiscendum, ad temperandam violentiam indolis et ad convincendam uxorem de ipsius emendatione, sicque eadem marito omnium anteactarum iniuriarum veniam daret, eique pacifice, prout lex praecipit divina , in charitate cohabitaret ;

Quod quum iam ex priore processu de separandis coniugibus evidens fuerit Iudicio, matrem in ius vocati, causam praebuisse dissidiis coniugum, obligatio incumbebat marito, si serio voluisset restitutionem convictus cum uxore post expirationem termini separationis, matris auctoritatem •et insectantiam declinare. Interim vero ex depositione testium non modo ab actrice citatorum, verum etiam illius, quam in ius vocatus induxit, palam fit, maritum conventum secutum fuisse in omnibus arbitrium et instinctus matris, quam testes sub iuramento aiunt, saepe extimulasse filium adversus uxorem ac declamitasse se, quamdiu vixerit, nunquam admissuram, ut filius cum uxore in gratiam redeat ;

Quod denegatio alimentorum uxori, id quod in ius vocatus confessus est> probat, eum nihil curare uxorem quodque, si serio ad restituendam vitam coniugalem contenderet, ante omnia id in cura uxoris exprimeretur ;

Quod depositionibus testium demonstrata et probata sunt <ex vita in ius vocati, facta et relationes erga patrem, ipsi tamquam culpa imputanda, quae actrici sufficiunt ad concipiendam persuasionem, impetuosum ingenium mariti non solum non cessasse, sed etiam invai uisse, ita ut nullus omnino sit locus coniugali reconciliationi ;

Quod depositionibus supranominatorum testium demonstrata sunt facta, quae in actrice iustum erga maritum eiusque proximos excitare possunt odium ;

Quod ex Iure canonico eiusque Commentatoribus odium invincibile, si certis fundetur factis, sufficit ad pronuntiandam separationem *(Cosci, De separ. lib. 2, cap. IO, nn. 17-20, 54, 61 et 64; cap. Ii nn. 1, 30 et seq. item n. 100);*

Quod in expositione huius causae hodie procurator rei conventus ipsius nomine declaravit : - mandantem suum, uti bona et pacifica indoles ac voluntas ipsius manifestetur, assentiri ad aliquot annorum separationem decernendam ex mutuo coniugum consensu, sed non ad tempus indefinitum...; id quod Iudicio praesumptionem aifert et concludere cogit, in ius vocatum respicere dumtaxat commodum suum materiale , nimirum nolle amittere ius ad bona uxoris, quod necessario sequetur in casu separationis ad tempus indefinitum ;

Quod cum haec ita sint, rationes ab actrice in petitione de separandis ad tempus indefinitum coniugibus citatae, tam iuridice quam moraliter fundatae censeri debent. Ideo Iudicium Archiepiscopale Varsavien, separationem a mensa, toro et mutua cohabitatione Ioannis et Halinae ad tempus indefinitum, ex culpa in ius vocati mariti, decernit vigore huius definitivae in prima instantia latae sententiae ».

Atqui in conspectu *huius duplicis sententiae definitivae* super eadem instantia in oculos insilit substantialis defectus, quippe de eadem instantia iudicii non fas est nisi semel ius dicere, edita sententia sive bene sive male iudex functus est munere suo. Bouix *(de iud. 11, pag. 236)* tradit: « sententiam definitivam a se latam nequit iudex revocare aut corrigere. Quae regula generalis omnino, certa est, et ab omnibus admissa ».

Sane Schmalzgrueber *(tit. de sent. et de re iud. n. 87)* ad quaestionem « quem effectum sententia producat ex parte iudicis » respondet: « facit ut iudex officio suo censeatur functus, sic ut sententiam a se latam revocare aut corri-

gere nequeat nisi vel interlocutoria simplex vel omnino fuerit nulla ». Ita Pirhing *h. t. n.85.*

Ex ipso autem tenore sententiae clare patet quomodo in errorem lapsa sit Curia. Cavet enim sententia, Curiam Varsavien, et Lublinen. decrevisse « separationem coniugum... ad quinquennium dumtaxat eo fine ut temporalis separatio cogeret nocentem ad resipiscendum ». Iamvero si haec fuit iudicis mens, nempe adhibere temporaneum remedium et temperamentum ; sententia non dicenda erat definitiva sed tantum interlocutoria seu provisoria ut tunc facultas iudicis non perimebatur quoad meritum causae definiendum.

Secunda vero definitiva sententia non solum contradicit primae quoad formam iudicialem sed contradicit quoque in substantia. Nam in prima edictum fuerat : argumenta actricis « non esse adeo gravia ut possent secumferre separationis definitivae decretum ». Sed in secunda instantia novae probationes quoad substantiam deductae non sunt.

Quem defectum substantialem secundae sententiae visus est vir persentiisse, quum ab acceptatione instantiae mulieris apud Curiam Varsavien, appellaverit ad Curiam Lublinen. ; at appellationem non admisit Curia Varsavien., rescribens die 2 aprilis 1900: «Iudicium Archiepiscopale Varsavien, appellationi per reum conventum interpositae... non defert ».

Curia autem Varsavien, quae libenter indulsit instantiae Halinae, videtur facile quoque aures praebuisse omnibus attestationibus ab eadem productis, nihili pene faciens adversa viri argumenta. Porro attestationes exceptae in secunda inquisitione et ipsa iudicialis sententia et litterae inde datae ab Archiepiscopo maxime inculcant et repetunt , virum pene indignum esse , qui vel audiretur in iudicio, quippe qui saevitiis et contemptu afficiebat suum senem patrem eumdemque graviter infirmum. Eritne amans, sollicitus uxoris et filiorum qui suum patrem senem, infirmum despicit, pessumdat, saevitiis insectatur ? Revera alia fieri non potest gravior accusatio ; attamen vir ad repellen-

dam a se tantam infamiam produxit patris attestationem datam die 5 iunii 1900.

Accusationes autem uxoris editae in virum sive in supplici libello seu in responsionibus ad vindicem, conatur refutare vii- in scriptis responsionibus iudici datis.

Utrum vero pacis et concordiae coniugalis inimicum animum magis gerat ipsa uxor quam vir, non dubie definiri videtur ex attestatione Adami, testis ab actrice propositi, qui refert : « Ex mea parte faciebam paternas admonitiones, quibus motus vir accessit ad uxorem, osculavit eius manum et petebat ut illi pareat omnia quaecumque contra illam habet » uxor respondit : « se plus aequo a marito esse offensam , humiliatam et afflictam ; praeterea aiebat, se omnino nullam dare fidem eius promissis de emendatione in posterum facienda : quapropter non suscipere eius petitionem veniae ». Sed osculum ad manum a viro datum uxori coram pacis arbitro, viro gravissimo ; humilis veniae petitio suntne tam levia argumenta in viro, animi emendati et devoti adversus uxorem ut sperni debeant et nihili, saltem ad experimentum, fieri debeant ?

Eo magis quod si Halina alte conqueritur de viro cuius improbitatem dicit se expertam esse post separationem, quum iste nihil rependerit sibi et filio ratione alimentorum, attamen respondet vir, uxorem neque iudicialiter neque extraiudicialiter haec expetiisse, imo inchoatam petitionem sponte sua deseruisse. Unde non immerito vir arbitrari potuit, alimenta uxorem nolle repetere ; quia si alimenta petiisset pro filio , vir reconvenisset uxorem ut sibi filium traderet ad praescriptum legis. Codex enim civilis polonus ad art. 217 iubet: « Tutela filiorum durante causa separationis a mensa et toro ad maritum spectat, nulla consideratione habita illius, qui prius causam promovit ». Atqui si vir esset improbi ingenii, nedum alimenta non exhibuisset sed uxorem saevissime vexasset, expetens in iudico tutelam filii.

Modo prudentia et sapientia Emorum Patrum dignetur deliberare, quonam responso dimittendum sit

Dubium

An confirmanda sit sententia Archiepiscopalis Curiae Varsavien, die 15 decembris 1900, vel potius illa Episcopalis Curiae Lublinen. 20 iunii 1901 in casu?

Resolutio

Sacra Concilii Congregatio, omnibus ad trutinam vocatis, respondere censuit :

Sententiam Curiae Varsavien, esse confirmandam.

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 5 Septembris 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Congregatio Concilii in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure discutienda ; quaeque sequenti modo resoluta sunt :

PER SUMMARIA PRECUM

I. S. SEVERINAE - INDULTI.

R. *Attentis peculiaribus circumstantiis expositis, pro gratia dispensationis a residentia ad triennium, si tamdiu, amissis distributionibus inter praesentes et firma obligatione peragendi lectiones scripturales.*

II. LIMBURGEN. - APPLICATIONIS MISSARUM.

Ad 1um *Providebitur in 2°.*

Ad 2um *Attentis omnibus pro gratia reductionis oneris ad dicas missas in singulis mensibus, perdurantibus hodiernis circumstantiis, et reductio ponatur in tabella.*

IN FOLIO

I. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

D. *An sit stand um vel recedendum a decisis in casu.*

R. *In decisis.*

II. POSNANIEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

D. *An sententia Curiae Archiepiscopalis Posnaniensis sit confirman da vel infirmanda in casu.*

R. *Dilata, et compleantur acta iuxta instructionem dandam a Defensore matrimonii, examinato actricis patre.*

III. VESZPRIMIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub secreto).*

R. *Affirmative.*

IV. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII, *(sub secreto).*

R. *Sententiam esse in firmandam.*

V. IACIEN. - DISMEMBRATIONIS.

D. *An et quomodo sit locus dismembrationi in casu.*

R. *Affirmative, servata rnatricitate Ecclesiae Archipresbyteralis loci* **Giarre,** *recognoscenda cum aliquo obsequii signo.*

VI. APAMIEN. - DECRETI SUSPENSIONIS, *(sub secreto).*

R. *Sacerdotem Lambert incurrisse irregularitatem et ad mentem.*

VII. PARMEN. - CURAE ANIMARUM.

D. *An decretum Episcopi Parmensis diei30 Octobris 1899 sustineatur in casu.*

R. *Dilata et reproponatur cum voto Consultoris.*

VIII. MATRITEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII, *(sub secreto - extra ordinem).*

R. *Affirmative.*

EX S. C. S. R. ET U. INQUISITIONIS

DECRETUM. Non licet Sacra Olea transmittere per publica officia postalia.

Beatissime Pater,

Episcopus . . . . in Brasilia, ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit, quod in propria dioecesi plures parochi, propter immensas distantias, viae ferreae defectum, atque consequentes difficultates magnasque itineris expensas, aliquando omittere aut saltem diu retardare annuam Sacrorum Oleorum renovationem coguntur. Proinde humiliter expostulat facultatem transmittendi per publica officia postalia *(posta)* dicta Olea, maxima cum decentia et omnimoda profanationis causa vitata.

Feria IV, ii Ianuarii 1903.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus generalibus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt :

Ut in Leacenworthien. feria IV, die 1 Maii Î901,

Porro citatum decretum in Leacenworthien. sic se habet :

« I. Licetne Sacra Olea transmittere ad Sacerdotes per *The Express*, seu societatem quamdam mercatoriam ex acatholicis, ut plurimum, et ethnicis, quae res varias exportandas recipit ?

II. Licetne eadem Sacra Olea ad Sacerdotes mittere per viros laicos, quo ipsorum Sacerdotum convenientiae consulatur?

Suprema haec S. C. respondit :

Ad I. Non licere.

Ad II. Deficientibus clericis, affirmative, modo constet de laicorum, qui ad id deputantur, fidelitate ».

Sequenti vero Feria V, die 15 eiusdem mensis et anni, SSmus D. N. Leo PP. XIII, per facultates Eiïio Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum adprobare dignatus est.

I. Can. MANCINI, ***S. R. et U. I. Notarius.***

DECRETUM. Conceditur facultas delegandi Sacerdotem ad Sacramentum Confirmationis administrandum.

Beatissime Pater,

Episcopus SSmae Conceptionis de Chile, ad pedes S. V. provolutus exponit, quod in sua dioecesi, in qua decies centena millia hominum numerantur, non potest ipse administrare omnibus Christifidelibus Sacramentum Confirmationis; quapropter S. V. orat, ut sibi concedat facultatem benevisum Sacerdotem delegandi, qui inter limites suae dioecesis dictum Sacramentum conferre valeat.

Feria IV, 4 Martii 1903.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus generalibus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Iuxta decretum 9 Maii 1888, quod ita se habet: Supplicandum SSmo pro facultate subdelegandi unum vel alterum presbyterum, concedenda per Sacram Congregationem Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositam non solum Episcopis petentibus, sed etiam aliis qui in similibus circumstantiis reperiantur, durante eorum munere.

Sequenti vero Feria V, die 5 eiusdem mensis et anni, SSmus D. N. Leo PP. XIII, per facultates Emo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum approbare dignatus est.

1. Can. MANCINI, *S. R. et U. 1. Notarius.*

DUBIUM. An valida sit Ordinatio presbyteralis, in qua quinta pars aquae in calicem cum vino infusa est.

Beatissime Pater,

Occasione cuiusdam Sacrae Ordinationis, compertum fuit in calicem qui ad Ordinationem Presbyterorum fuerat adhibitus, a ministris infusum fuisse cum vino tantum aquae, ut ere-

datur haec paulo superasse quintam partem. Hisce positis,,, quaeritur :

I. ***Utrum' valida censeri possit Ordinatio praefata ?***

II. ***Quatenus negative, quid sit agendum?***

Feria IV, die 11 Martii 1903.

In Congregatione Generali coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Revmi Patres respondendum mandarunt :

Acquiescat.

Sequenti vero Feria V, die 12 eiusdem mensis et anni, SSmus D. N. Leo PP. XIII, per facultates Emo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum adprobare dignatus est.

I. Can. MANCINI, ***S. B. et U. I. Notarius.***

NORMAE circa admissionem puellarum ad matrimonium, quarum aetas ignoratur.

Feria IV, 18 Martii 1903.

Huic Supremae Congregationi S. Officii proposita fuerunt enodanda sequentia dubia :

I. An quando ignoratur aetas iuvenculae, quae matrimonium inire cupit, possit et debeat parochus vel missionarius confidere illius exterioribus signis, praesertim quoad conformationem pectoris etc.?

II. In casu vero quo praedicta pubertatis signa deficiant, et aetas ignoratur, matrimonium iam initum considerarine potest et debet ut invalidum, aut ad minus uti dubium?

In Congregatione Generali coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt :

Ad I. Affirmative et ad mentem — Mens est quod Missionarii puellas, de quibus in casu, ad matrimonium non admit~~

tant, nisi postquam Ordinarius vel Vicarius Apostolicus ex prudenti iudicio compertum habeat eas nubiles existere, ac proinde malitiam in illis aetatem supplere declaret.

***Ad** II. **Ut proponitur, negative; ideoque si aliquis huius generis matrimonii casus Missionariis occurrerit, illud nullum nequaquam declaretur, nisi prius a Vicario Apostolico confecto processu, indubiis probationibus puellam, de qua agitatur quaestio, ante duodecimum aetatis suae annum, iugali vinculo fuisse sociatam, et in ea, tempore quo nuptui data fuit, revera malitiam non supplevisse aetatem certo constet. Aut si de matrimonio ageretur quod o, puella, antequam christianae religioni nomen daret, fuit celebratum, nullum non pronuncietur, nisi prius Missionarii, iisdem supranotatis probationibus, certiores fiant, puellam illam, dum huiusmodi nuptias contraxit, non fuisse doli capacem. Et detur Decretum de die 10 Decembris 1885, relatum in Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide sub n. 1383** (i).*

Sequenti vero Feria V, die 19 eiusdem mensis et anni, SSrhus D. N. Leo PP. XIII, per facultates Emo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum adprobare dignatus est.

I. Can. MANCINI, ***S. R. et U. 1. Notarius.***

(1) *En citati decreti tenor:*

« 1. Quando coniuges in infidelitate relicti matrimonio nondum consummato fidem amplecti nolunt, matrimonia eorum in impubertate contracta, haberine poterunt tamquam mera sponsalia de futuro pro coniuge ad fidem converso?

2. Quando contrahentes neophyti puberes sunt, ad eorumdem matrimonium dissolvendum requiriturne duplex aut nulla interpellatio vel sufficit unica, utrum videlicet velint baptizari?

R. Ad 1. Dummodo constet nullum fuisse impedimentum iuris naturalis vel divini, et praesertim contrahentes verum consensum praestitisse, non esse sponsalia sed vera matrimonia.

Ad 2. Quatenus huiusmodi matrimonia probentur irrita ob aliquod impedimentum iuris naturalis vel divini, et praesertim ob defectum veri consensus, non esse locum interpellationi. Secus interpellationem esse faciendam an velit baptizari ; et quatenus negative, an saltem velit cohabitare absque iniuria Creatoris. In casibus autem particularibus, si occurrat gravis difficultas, recurrat ad S. Sedem ».

DUBIUM quoad legitimationem prolis in articulo mortis.

Feria IV, 8 Iulii 1903.

Huic Supremae Congregationi S. Officii propositum fuit enodandum sequens dubium :

Utrum per literas diei 20 Februarii 1888 (1), quibus locorum Ordinariis facultas conceditur dispensandi aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos super impedimentis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus firmis conditionibus et exceptionibus in iisdem uteris expressis, ac per posteriores literas diei 1 Martii 1889 (2), quibus declaratur huiusmodi facultatem parochis subdelegari posse, intelligatur concessa etiam facultas declarandi ac nunciandi legitimam prolem spurianv forsitan a concubinariis, vigore dictae facultatis dispensandis, susceptam, prout a S. Sede in singulis casibus particularibus dispensationum matrimonialium concedi solet; an contra pro susceptae prolis legitimatione necesse sit novam gratiam a S. Sede postea impetrare.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Revmis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Affirmative quoad primam partem, excepta prole adulterina et prole proveniente a personis Ordine Sacro aut solemni Professione Religiosa ligatis, facto verbo cum SSmo. Quoad secundam partem, provisum in prima.

Sequenti vero Feria V, die 9 eiusdem mensis et anni, SSmus D. N. Leo PP. XIII, per facultates Emo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem Emorum ac Reviîiorum Patrum adprobare dignatus est.

I. Can. MANCINI, ***S. R. et U. I. Notarius».***

(1) Cfr. Vol. XX, pag. 545.
(2) Cfr. Vol. XXI, pag. 696.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

AESINA

DECRETUM confirmationis cultus praestiti Servo Dei Ioanni Baptistae a Fabriano, sacerdoti professo Ordinis Minorum beato nuncupato.

Fabriani e nobili gente *Righi* anno circiter 1469 ortum duxit Servus Dei Ioannes Baptista a natali civitate cognomen habens, sacerdos professus Ordinis Minorum. Parentum curis et pietati respondere, christianae Fidei ac Legis mysteria et praecepta addiscere, preces domi et in templo effundere, pauperes sermone et opere sublevare, puero et adolescentulo in deliciis erat. Ad perfectionem vitae statum vocatus et Sancti Francisci Assisiensis vita, gestis et amore captus, eiusdem Institutum Fratrum Minorum ingressus est; in quo per aliquod temporis spatium probatus, etiam solemnia vota nuncupavit. In conventu Forani prope oppidum Appinianum Marchiae Anconitanae, primos religionis annos peregit, ceteros Massatii, intra fines Aesinae dioeceseos, quod nunc Cupramontana dicitur, in loco vulgo « *La Romita* » ubi invenit nemus et specus sibi satis aptum ad caelestia contemplanda et ad Christum pro nobis passum recogitandum. Admirabilis in eo eluxisse fertur in obediendo alacritas, in perferendo molestias patientia, in contemptu sui humilitas, in victu et vestitu paupertas et austeritas cum integritate atque innocentia vitae coniuncta. Ioannes Sanctorum Patrum libris perlegendis maxime delectabatur, unde colligebat doctrinae et pietatis fructus etiam ad proximorum emolumentum. Omnes enim qui sanctum virum consultum adibant, salutaria monita et consilia cum exultatione referebant. Laboribus et poenitentiis magis quam aetate consumptus, hic Dei Famulus die 11 Martii anno 1539 piissime obiit. Acta processualia testantur statim auditum fuisse aeris campani sonum, nemine pulsante, et sodales aliosque ad cellam Ioannis accurrentes illum reperisse exanimem eiusque corpus stupefactos vidisse candidum et resplendens. Quod exequiali ecclesiae ritu elatum et ad templum coenobii S. Iacobo sacrum deductum, in sepulchro Fra-

tram Minorum depositum fuit. Progressu temporis, aperto tumulo et recognitione peracta, ut ipsum corpus in digniorem locum transferretur, nedum sanum et incorruptum sed et suavem efflans odorem repertum, in eodem templo sub ara SSmi Crucifixi collocatum est, inibi apposita effigie Ioannis depicta et epigraphe inscripta: « *Benedictio Domini super caput iusti* ». Interim fama sanctitatis Servi Dei in vita et post obitum magis magisque in dies clara, signis etiam prodigiisque, uti asseritur, confirmata et cultus publicus ecclesiasticus eidem Servo Dei iugiter exhibitus, causam dederunt ut Processus Ordinarius super huiusmodi cultu seu super casu excepto a decretis Urbanianis, in ecclesiastica Curia Aesina institueretur et cum sententia Iudicis Ordinarii exinde prolata ad Sacram Rituum Congregationem deferretur. Quamplura testimonia atque argumenta ibi congesta sunt ad praedictum cultum erga Ioannem Baptistam Fabrianensem, titulis, imaginibus, tabellis votivis aliisque honoribus qui tantum Beatis et Sanctis competunt, decoratum, iuxta decreta Summorum Pontificum Urbani VIII et Alexandri VII comprobandum. Eapropter, instante Rmo P. Dionisio Schuler, Ministro Generali Ordinis Minorum, per R. P. Cyrum a Pisauro Postulatorem Generalem, attentisque litteris postulatoriis Rmorum Antistitum Archiepiscopi Camerini et Episcoporum Aesinae et Fabrianensis dioecesium, una cum obsequentissimis precibus curionum ipsius Aesinae dioeceseos ac praesertim parochi et syndici oppidi Cupramontanae, olim Massatii, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit : *An sententia Iudicis a Rmo Episcopo Aesino delegati super cultu publico ecclesiastico praefato Dei Famulo exhibito, seu super casu excepto a decretis sa: me: Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur Ì* Porro Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuerunt : *Attentis peculiaribus adiunctis, Affirmative seu sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo placuerit;* die 1 Septembris 1903.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio

Papae X per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 7 eisdem mense et anno.

S. CARD. **CRETONI,** *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** *Secret.*

VERCELLEN.

DECRETUM confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Ioanni De Vercellis, sexto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum beato nuncupato.

Viris insignioribus quibus tam S. Eusebii perantiqua Civitas Vercellensis quam S. Patris Dominici Familia merito gloriantur, accensendus est Ioannes de Vercellis, Ordinis FF. Praedicatorum sextus Magister Generalis, Beatus nuncupatus. Qui quidem ex familia Garbella, oppidi quod dicitur Moxum a S. Maria, dioecesis olim Vercellensis nunc Bugellensis, ortus perhibetur, primo quinquennio saeculi XIII. Adhuc adolescens, cum optimae indolis et excellentis ingenii praeberet indicia, Lutetiam Parisiorum missus est ut studiis, praesertim sacris, operam navaret. Mox ex discípulo egregio factus magister, in illa celebri Universitate Iuris Romani et Canonici cathedram ingenti cum audientium concursu tenebat. At dissidiis quibusdam gravissimis exortis, Ioannes Lutetia discessit, Iuris scholam, quam ibi cum singulari laude inceperat, in ipsa Civitate Vercellensi eodem profectu continuaturus. Nec tamen ad altiora vocantem Deum sequi vel tantisper dubitavit. Cum enim illo ipso tempore Vercellas venisset Beatus Iordanus, S. Dominici in regimine FF. Praedicatorum successor, ac plures e Ioannis discipulis arcana quadam eloquentiae et sanctitatis vi in Ordinem veluti traxisset, tandem et magistrum lucrifecit, qui ad eius pedes provolutus, *Dei sum ego !* **ingeminabat, illacrymans vehementer, nec aliud quidquam promere valens. Ad haec B. Iordanus :** *Quoniam igitur Dei es, in eius te trado manus,* **et extemplo erectum sacro Praedicatorum habitu induit, cumque Vercellis nullus adhuc extaret sui Ordinis Conventus, Bononiam**

misit, ubi prope sepulchrum S. Patris Dominici ad Regularium mores informaretur. Ioannes porro, ex quo semel manum ad aratrum miserat, iam retrospicere nefas duxit, sed semper ad ea quae ante ipsum erant perfectionis culmina, indefessus se extendit. Unde mirandum non est si, qui caeteros omnes regularis disciplinae studio, sapientia, virtute antecedebat, mox etiam electus fuit, qui caeteris praeesset, ut Prior quidem primum in Conventu Vercellensi, ad quem mndandum ipse cum Fratre Philippo de Charisio a. 1233 destinatus fuerat, deinceps vero et Bononiae et in aliis maioribus Lombardiae Conventibus, donec a. 1256 in Provinciali Capitulo Novariensi in Priorem totius Provinciae Lombardicae assumptus fuit. Iam maiores premebant curae, sed vir ad maxima natus munia sane gravissima quae Priori Provinciali incumbebant, egregie obi vit, dum omnes Conventus sibi subiectos pedester visitavit, fratrum profectum unice quaerens. Capitulis etiam Generalibus, qui interea celebrabantur, nunquam non adstitit, cum viris praeclarissimis qui tunc florebant, B. Alberto Magno, S. Thoma Aquinate, Beato Petro de Tarantasia, operi a S. Dominico fundato iugiter perficiendo intentus. Simul vero iam tunc a Summis Pontificibus, quos eius fama minime latuerat, ad graviora Ecclesiae negotia tractanda adhibitus, fiduciae eorum cumulate respondit, praesertim cum agebatur de nova expeditione contra Nominis Christiani hostes paranda, duce S. Ludovico Francorum rege. Interim adveniente a. 1264, Lutetiae Parisiorum celebratum est Capitulum Generale, in quo Ioannes Diffinitorum suffragiis in Magistrum Generalem totius Ordinis Praedicatorum electus fuit. Quae vero tanto munere auctus deinceps in utilitatem Ecclesiae ac fratrum suorum perfecit, plane singularia sunt ac summa laude digna. Iam non unius Provinciae sed totius Ordinis late per Europam diffusi Conventus visitât Ioannes, baculo suo insistens, paucisque sociis adhibitis. Praeterea singulis annis Capitula Generalia ipse coram moderatur, zelo, sapientia, constantia mirabili. Saepius etiam a consilio fuit Summorum Pontificum, praesertim Clementis IV, cui fideliter adhaesit ab omnibus fere derelicto, Beati Gregorii X qui eum inter alios praeclaros viros ad Concilium Lugdunense II vocaverat, Ioannis XXI, Nicolai Iii et Martini IV, atque Apostolica auctoritate nobilissimis legationibus perfunctus, sequester pacis inter Principes ac Reges magnasque Italiae Respublicas Vene-

tarn, Genuensem, Pisanam, dissidentium animos composuit- Oblatam porro a Nicolao III Patriarchae Hierosolymitani dignitatem totis viribus recusavit, imo vel ipsum Magisterium Generale ea occasione ultro dimisit, sed toto Ordine postulante atque ipso Summo Pontifice interveniente", iterum suscepit et usque ad vitae exitum retinuit. Quod ut fideliter pristino more adimpleret, variis rursus Europae regionibus perlustratis, ex Hungaria denique per Germaniam in Galliam transiit, ut mense Iunio a. 1283 Montispessulani Capitulo Generali praeesset. In encyclica epistola, quam celebrato Capitulo ad universos Ordinis sodales de more direxit, datur mirari virum qui coelo proximus mundo valedicit. Religiosae familiae quam per annos viginti rexerat, coelum indigitet et rationes illud assequendi, Auspicatur omnibus vitam pacis et humilitatis solatio recreatam. Exercitium commendat illius in Deum et proximos caritatis, qua idem ipse tantopere sodalibus exemplo suo produxerat. — Quodque vir Dei animo praesenserat, reapse post breve contigit; nam die 30 Nov. eiusdem anni 1283 in Coenobio Montispessulani pie ad superos evolavit. Funera devotissime persoluta magnam confirmarunt opinionem sanctitatis, quam non modo apud sodales Ordinis, verum apud omne hominum genus consecutus fuerat. Unde et in Coenobii ecclesia ad dexteram maioris arae sepultus est, tumulo tanto viro digno, quem proh dolor! furentes neoterici saeculi XVI una cum ecclesia funditus everterunt. Nec tamen ideo memoria beati viri ex hominum mentibus evanuit. Imo, quae statim ab eius obitu prodierant, publici et ecclesiastici cultus signis in dies succrescentibus et ad haec usque tempora perdurantibus, hodiernus Rrnus Archiepiscopus Vercellensis, Fr. Laurentius Carolus Pampino,. Ord. Praedicatorum, non minus ad Ordinis sui decus quam ad Ecclesiae suae Vercellensis ornamentum et gloriam, processum Ordinarium super Casu excepto a Decretis Urbanianis seu super Cultu immemoriali eiusdem Servi Dei instituendum curavit, unaque cum sua sententia in Urbem transmisit. Cum vero omnia in promptu essent, atque uti valida haberentur ad praedictum Cultum probandum argumenta ex monumentis scriptis, sculptis et depictis necnon ex plurium testium depositionibus deprompta atque exhibita : instante Rmo Patre Andrea Frühwirth, Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, per Postulatorem Generalem R. P. Maurum M. Kaiser, attentisque Litteris postulato-

riis Rmorum Antistitum utriusque provinciae Ecclesiasticae Taurinensis et Vercellensis, praeeuntibus Emo Cardinali Archiepiscopo Taurinensi et Rmo Archipraesule Vercellensi, necnon RR. PP. Ministri Generalis Ordinis Minorum et praefati Magistri Generalis cum sodalibus Provinciarum Pedemontanae et utriusque Lombardia e, Ordinis Praedicatorum, Emus et Riïius Dnus Cardinalis Raphaël Pierotti, Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit : « *An sententia lata a Rmo Dno Archiepiscopo Vercellensi super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Servo Dei, seu seper casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur Ì* » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relatioaem Emi Cardinalis Ponentis audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis rescribere rati sunt: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo placuerit.* Die 1 Septembris 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et approbavit, die 7 eisdem mense et anno.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. % S.

f DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

INDULGENTIAE quas SSmus D. N. Plus Papa X impertitur Christifidelibus qui retínente» aliquam ex coronis, rosariis, crucibus crucifixis, parvis statuis, numismatibu» ab eadem Sanctitate Sua benedictis praescripta pia opera adimpleverint.

Ut quis valeat Indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Pius X impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis,, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis requiritur:

1. Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enunciatis obiectis.

2. Quod si id minime fiat, requiritur ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3. Excluduntur ab apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4. Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel iam consueta forma canoniza ti, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce praehabitis Indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis obiectis retinet, et pia opera quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam vel aliquam ex coronis B. V. Mariae aut rosarium eiusve tertiam partem aut divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum, aut septem psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos, vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut missae interesse, eamve peragere si fuerit Sacerdos : quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SSmae Trinitatis, Corporis Do-

mini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Iosephi Sponsi eiusdem B. Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, et Omnium Sanctorum; eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum extirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum Plenariam Indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero, corde saltem contritus, haec omnia perege rit in aliis festis Domini et B. V. Marine quolibet dictorum dierum Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis Dominica vel alio anni festo Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Praeterea quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis, vel fidelium defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos poenitentiales cum litaniis adiectisque precibus, quoties id peregerit centum dierum Indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Constitut, quae incipit *Pia, Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et S. Communione refectus, •et si id nequiverit, saltem contritus invoca verit corde, si labiis impeditus fuerit, SSmum Nomen Iesu, Plenariam Indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel Sanctae Communionis, aut recitationi divini officii, vet officii parvi B. V. Mariae, toties quinquaginta dierum Indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in Ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum Indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini,* aut eas ignorans recita verit *Pater noster* et *Ave Maria, vel* pariter sub primam noctis horam, edito pro defunctorum suffragio campanae signo, dixerit psalmum *De profundis,* aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria,* centum dierum Indulgentiam acquiret.

Eamdem pariter consequetur Indulgentiam, qui Feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini Nostri Iesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recita verit.

Is qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria* in honorem SSmae Trinitatis, aut in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi quinquies pronunciaverit *Pater noster* et *Ave Maria,* centum dierum Indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria,* quinquaginta dierum Indulgentiam consequetur.

Omnes Indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum Purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex supradictarum indulgentiarum concessione, nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus Suis iam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Iubet deinde idem Summus Pontifex Indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis obiectis, iuxta decretum sa: me : Alexandri VII editum die 6 Februarii 1657, non transire personam illorum pro quibus benedicta fuerint, vel illorum quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, iuxta decretum

S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Iunii 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum sa: me : Benedicti XIV editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitae, non intelligi Privilegio gaudere altaria ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter Missas quas Sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis iisdem impertíantur cum huiusmodi Crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis in id provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata Constitut. ***Pia Mater.***

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit praesentem elenchum indulgentiarum pro maiori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen ut pro quolibet elencho, qui ubicumque, et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione, aut dispositione in contrarium etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 28 Augusti 1903.

A. CARD. **TRIPEPI,** ***Praefectus***

L. * S.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden., Secr.

Iosephus M. Can. Coselli, ***Subst.***

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA ENCYCLICA

Sanctissimi Domini Nostri divina providentia Pii Papae X ad Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. X

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem

E supremi apostolatus cathedra, ad quam, consilio Dei inscrutabili, evecti fuimus, vobis primum eloquuturos, nihil attinet commemorare quibus Nos lacrymis magnisque precibus formidolosum hoc pontificatus onus depellere a Nobis conati simus. Videmur equidem Nobis, etsi omnino meritis impares, convertere in rem Nostram posse quae Anselmus, vir sanctissimus, querebatur quum, ad versans et repugnans, coactus est honorem episcopatus suscipere. Etenim quae ille moeroris indicia pro se afferebat, eadem et Nobis proferre licet, ut ostendamus quo animo, qua voluntate Christi gregis pascendi gra-

vissimum officii munus exceperimus. *Testantur,* sic ille (1), *laerymae meae et voces et rag ¿tus a gemitìi cordis mei, quales nunquam de me, ullo dolore, memini exiisse ante diem illam, in qua sors illa gravis archiepiscopatus Cantuariae visa est super me cecidisse. Quod ignorare nequiverunt illi qui, ea die, vultum meum inspexerunt... Ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore et dolore pallebam. Huic autem de me electioni, imo violentiae, hactenus, quantum potui, servata veritate, reluctatus sum. Sed iam, velim nolim, cogor fateri quia quotidie iudicia Dei magis ac magis conatui meo resistunt, ut nullo modo videam me ea posse fugere. Unde iam, non tam hominum quam Dei, contra quam non est prudentia, victus violentia, hoc solo intelligo me uti debere consilio, ut, postquam oravi quantum potui, et conatus sum ut, si possibile esset, calix iste transiret a me ne biberem illum... meum sensum et voluntatem "postponens, me sensui et voluntati Dei penitus commi t tam.*

Nec plane repugnandi causae, multae, et maximae, defuerunt Nobis. Praeterquam enim quod honore pontificatus, ob tenuitatem Nostram, nullo pacto Nos dignaremur; quem non moveret ei se successorem designari, qui, cum ecclesiam sex fere ac viginti annos sapientissime rexisset, tanta valuit alacritate ingenii, tanto virtutum omnium splendore, ut vel adversarios in sui admirationem traduxerit et memoriam sui nominis factis praeclarissimis consecrant ? — Dein, ut praetereamus cetera, terrebat Nos, quam quod maxime, ea quae modo est humani generis conditio afflictissima. Quem enim lateat, consociationem hominum gravissimo nunc, supra praeteritas aetates, atque intimo urgeri morbo; qui in dies ingravescens eamque penitus exedens ad exitium rapit? Morbus qui sit, intelligitis, Venerabiles Fratres; defectio abscessioque a Deo : quo nihil profecto cum pernicie coniunctius, secundum Prophetae dictum: *Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt* (2). Tanto igitur malo, pro pontificali munere quod demandabatur, occurrendum esse Nobis videbamus: arbitrabamur enim Dei iussum ad Nos pertinere: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et aedifices et plantes* (3) ; verum conscii

(1) Epp. 1. m, ep. **i.**

(2) Ps. **Lxxii,** 26.

(5) Ierem. I, 10.

Nobis infirmitatis Nostrae, negotium, quod nihil simul haberet morae et difficultatis plurimum, suscipere verebamur.

Attamen, quoniam numini divino placuit humilitatem Nostram ad hanc amplitudinem potestatis provehere ; erigimus animum *in eo qui* Nos *confortât,* Deique virtute freti manum operi admoventes, in gerendo pontificatu hoc unum declaramus propositum esse Nobis *instaurare omnia in Christo* (1), ut videlicet sit *omnia et in omnibus Christus* (2). — Erunt profecto qui, divina humanis metientes, quae Nostra sit animi mens rimari nitantur atque ad terrenos usus partiumque studia detorqueri His ut inanem spem praecidamus, omni asseveratione affirmamus nihil velle Nos esse, nihil, opitulante Deo, apud consociationem hominum futuros, nisi Dei, cuius utimur auctoritate, administros. Rationes Dei rationes Nostrae sunt; pro quibus vires omnes vitamque ipsam devovere decretum est. Unde si qui symbolum a Nobis expetant, quod voluntatem animi patefaciat; hoc unum dabimus semper: *Instaurare omnia in Chris toi*

Quo quidem in praeclaro opere suscipiendo urgendoque illud Nobis, Venerabiles Fratres, alacritatem affert summam, quod certum habemus fore vos omnes strenuos ad perficiendam rem adiutores. Id enim si dubitemus, ignaros vos, non sane iure, aut negligentes putaverimus nefarii illius belli, quod nunc, ferme ubique, commotum est atque alitur adversus Deum. Vere namque in Auctorem suum *fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania* (3) ; ut communis fere ea vox sit adversantium Deo: *Recede a nobis* (4). Hinc extincta omnino in plerisque aeterni Dei reverentia, nullaque habita in consuetudine vitae, publice ac privatim, supremi eius numinis ratio: quin totis nervis contenditur omnique artificio, ut vel ipsa recordatio Dei atque notio intereat penitus.

Haec profecto qui reputet, is plane metuat necesse est ne maiorum, quae supremo tempore sunt expectanda, sit perversitas haec animorum libamentum quoddam ac veluti exordium; neve *filius perditionis,* de quo Apostolus loquitur (5), **iam in hisce terris versetur. Tanta scilicet audacia, eo furore religionis**

(1) Ephes, i, 10.
(2) Coloss, tu, il.
(3) Ps. II, 1.
(4) Iob XXI, 14.
(5) II Thess, n, 5.

pietas ubique impetitur, revelatae fidei documenta oppugnantur, quaeque homini cum Deo officia intercedunt tollere delere prorsus praefracte contenditur! E contra, quae, secundum Apostolum eundem, propria est *Antichristi* nota, homo ipse, temeritate summa in Dei locum invasit, extollens se *supra omne quod dicitur Deus;* usque adeo ut, quamvis Dei notitiam extinguere penitus in se nequeat, Eius tamen maiestate reiecta, aspectabilem hunc mundum sibi ipse veluti templum dedicaverit a ceteris adorandus. *In templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus* (1).

Enimvero hoc adversus Deum mortalium certamen qua sorte pugnetur nullus est sanae mentis qui ambigat. Datur quidem homini, libertate sua abutenti, rerum omnium Conditoris ius atque numen violare; veruntamen victoria a Deo semper stat: quin etiam tum propior clades imminet, quum homo, in spe triumphi, insurgit audentior. Haec ipse Deus nos admonet in Scripturis sanctis. *Dissimulât* scilicet *peccata hominum* (2), suae veluti potentiae ac maiestatis immemor: mox vero, post adumbratos recessus, *excitatas tamquam potens crapulatus a vino* (3), *confringet capita inimicorum suorum* (4); ut norint omnes *quoniam rex omnis terrae Deus* (5), *et sciant gentes quoniam homines sunt* (6).

Haec quidem, Venerabiles Fratres, fide certa tenemus et expectamus. Attamen non ea impediunt quominus, pro nostra quisque parte, Dei opus maturandum nos etiam curemus: idque, non solum efflagitando assidue: *Exsurge, Domine, non confortetur homo* (7); verum, quod plus interest, re et verbo, luce palam, supremum in homines ac naturas ceteras Dei dominatum adserendo vindicandoque, ut Eius imperandi ius ac potestas sancte colatur ab omnibus et observetur.— Quod plane non modo officium postulat a natura profectum, verum etiam communis utilitas nostri generis. Quorumnam etenim, Venerabiles Fratres, animos non conficiat trepidatio ac moeror, quum

(1) II Thess, n, 4.
(2) Sap. xi, 24.
(S) PS. LXXVII, 65.
(4) Ib. LXVH, 22.
(5) Ib. XLvi, 7.
(6) Ib. ix, 20.
(7) Ib. IX, 19.

îiomines videant, partem maximam, dum quidem humanitatis progressus haud immerito extolluntur, ita digladiari atrociter inter se, ut fere sit omnium in omnes pugna? Cupiditas pacis omnium, profecto pectora attingit, eamque nemo est qui non invocet vehementer. Pax tamen, reiecto Numine, absurde quaeritur : unde namque abest Deus, iustitia exsulat; sublatâque iustitia, frustra in spem pacis venitur. *Opus iustitiae pax* (1). — Novimus equidem non paucos esse, qui studio pacis ducti, *tranquillitatis* nempe *ordinis,* in coetus factionesque coalescunt, quae ab *ordine* nominant. Proh tamen spes curasque inanes! Partes *ordinis,* quae pacem afferre turbatis rebus reapse queant, unae sunt: partes faventium Deo. Has igitur promovere necesse est, ad easque quo licebit plures adducere, si securitatis amore incitamur.

Verum haec ipsa, Venerabiles Fratres, humanarum gentium ad maiestatem Dei imperiumque revocatio, quantumvis licet conemur, numquam nisi per Iesum Christum eveniet. Monet enim Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus* (2). Scilicet unus ipse est, *quem Pater sanctificavit et misit in mundum* (3); *splendor Patris et figura substantiae eius* (4), Deus verus verusque homo: sine quo, Deum, ut oportet, agnoscere nemo possit; nam *neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui -voluerit Filius revelare* (5). — Ex quo consequitur, ut idem omnino sit *instaurare omnia in Christo* atque homines ad Dei obtemperationem reducere. Huc igitur curas intendamus oportet, ut genus hominum in Christi ditionem redigamus : eo praestito, iam ad ipsum Deum remigraverit. Ad Deum inquimus, non socordem illum atque humana negligentem, quem *materialistarum* deliramenta effmxerunt; sed Deum vivum ac verum, unum natura personis trinum, auctorem mundi, omnia sapientissime providentem, iustissimum denique legis latorem, qui sontes plectat, praemia proposita virtutibus habeat.

Porro qua iter nobis ad Christum pateat, ante oculos est: per Ecclesiam videlicet. Quamobrem iure Chrysostomus: *Spes*

(1) Is. XXXII, 17.
(2) I Cor. m, 11.
(3) Io. x, 36.
.(4) Hebr. i, 5.
<S) Matth, xi, 27.

***tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia* .(I)- In id namque illam condidit Christus, quaesitam sui sanguinis pretio ; eique doctrinam suam ac suarum praecepta legum commendavit, amplissima simul impertiens divinae gratiae munera ad sanctitatem ac salutem hominum.**

Videtis igitur, Venerabiles Fratres, quale demum Nobis vobisque pariter officium sit demandatum; ut consociationem hominum, a Christi sapientia aberrantem, ad Ecclesiae disciplinam revocemus; Ecclesia vero Christo subdet, Christus autem Deo. Quod si, Deo ipso favente, perficiemus, iniquitatem cessisse aequitati gratulabimur, audiemusque feliciter *vocem magnam de coelo dicentem: Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potestas Christi eius* (2). — Hic tamen ut optatis respondeat exitus, omni ope et opera eniti opus est ut scelus illud immane ac detestabile, aetatis huius proprium, penitus eradamus, quo se nempe homo pro Deo substituit: tum vero leges Evangelii sanctissimae ac consilia in veterem dignitatem vindicanda; adserendae altius veritates ab Ecclesia traditae, quaeque eiusdem sunt documenta de sanctitate coniugii, de educatione doctrinaque puerili, de bonorum possessione atque usu, de officiis in eos qui publicam rem administrant; aequilibritas demum inter varios civitatis ordines christiano instituto ac more restituenda. — Nos profecto haec Nobis, Dei nutui obsequentes, in pontificatu prosequenda proponimus, ac pro virili parte prosequemur. Vestrum autem erit, Venerabiles Fratres, sanctitate, scientia, agendorum usu, studio cum primis divinae gloriae, industriis Nostris obsecundare; nihil aliud spectantes praeterquam ut in omnibus *formetur Christus* (3).

Iam quibus ad rem tantam utamur adiumentis, vix dicere oportet; sunt enim de medio sumpta. — Curarum haec prima sunto, ut Christum formemus in iis, qui formando in ceteris Christo officio muneris destinantur. Ad sacerdotes mens spectat, Venerabiles Fratres. Sacris namque quotquot initiati sunt, eam in populis, quibuscum versantur, provinciam sibi datam norint, quam Paulus suscepisse testatus est amantissimis iis verbis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chri-*

(1) Horn, *de capto Eutropio,* n. 6.
(2) Apoc. zìi, 10.
(3) Gal. iv, 19.

***stus in vobis* (1). Qui tamen explere munus queant, nisi priores ipsi Christum induerint? atque ita induerint, ut illud Apostoli eiusdem usurpare possint: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus* (2). *Mihi vivere Christus est* (3). Quamobrem, etsi ad fideles omnes pertinet hortatio *ut occurramus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (4); praecipue tamen ad illum spectat qui sacerdotio fungitur; qui idcirco dicitur *alter Christus,* non una sane potestatis communicatione sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem praeferat.**

Quae cum ita sint, quae vobis quantaque, Venerabiles Fratres, ponenda cura est in clero ad sanctitatem omnem formando! huic, quaecumque obveniant, negotia cedere necesse est. Quamobrem pars potior diligentiarum vestrarum sit de seminariis sacris rite ordinandis moderandisque, ut pariter integritate doctrinae et morum sanctitate floreant. Seminarium cordis quisque vestri delicies habetote, nihil plane ad eius utilitatem omitientes, quod est a Tridentina Synodo providentissime constitutum. - Quum vero ad hoc ventum erit ut candidati sacris initiari debeant, ne quaeso excidat animo quod Paulus Timotheo perscripsit: *Nemini cito manus imposueris* (5); illud attentissime reputando, tales plerumque fideles futuros, quales fuerint quos sacerdotio destinabitis. Quare ad privatam quancumque utilitatem respectum ne habetote; sed unice spectetis Deum et Ecclesiam et sempiterna animorum commoda, ne videlicet, uti Apostolus praecavet, *communieetis peccatis alienis* (6). - Porro sacerdotes initiati recens atque e seminario digressi industrias vestras ne desiderent. Eos, ex animo hortamur, pectori vestro, quod coelesti igne colere oportet, admovete saepius, incendite, infiammate ut uni Deo et lucris animorum inhient. Nos equidem, Venerabiles Fratres, diligentissime providebimus ne homines sacri cleri ex insidiis capiantur novae cuiusdam ac fallacis scientiae, quae Christum non redolet, quaeque, ñica tis astutisque argumentis, *rationalismi* aut *semirationalismi*

(1) Gal. iv, 19.
(2) Gal. ii, 20.
(3) Philipp, i, 21.
(4) Ephes, iv, 13.
(5) I Tim. v, 22.
(6) Ibid.

errores invehere nititur; quos ut caveret iam Apostolus Timotheum monebat, scribens: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittences circa fidem exciderunt* (1). Hoc tamen non impedimur quo minus laude dignos existimemus illos e sacerdotibus iunioribus, qui utilium doctrinarum studia, in omni sapientiae genere, persequuntur, ut inde ad veritatem tuendam atque osorum fidei calumnias refellendas instructiores fiant. Veruntamen celare haud possumus, quin etiam apertissime profitemur, primas Nos semper delaturos iis qui, quamvis sacras humanasque disciplinas minime praetereunt, proxime nihilosecius animorum utilitatibus se dedant, eorum procuratione munerum, quae sacerdotem deceant divinae gloriae studiosum. *Tristitia* Nobis *magna est et continuus dolor cordi* Nostro (2), quum cadere etiam in aetatem nostram conspicimus Ieremiae lamentationem: *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangerei eis* (3). Non enim de clero desunt, qui, pro cuiusque ingenio, operam forte navent rebus adumbratae potius quam solidae utilitatis: at verum non adeo multi numerentur, qui, ad Christi exemplum, sibi sumant Prophetae dictum : *Spiritus Domini unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et coecis visum* (4). — Quem tamen fugiat, Venerabiles Fratres, quum homines ratione maxime ac libertate ducantur, religionis disciplinam potissimam esse viam ad Dei imperium in humanis animis restituendum ? Quot plane sunt qui Christum oderunt, qui Ecclesiam, qui Evangelium horrent ignoratione magis quam pravitate animi! de quibus iure dixeris: *quaecumque ignorant blasphémant* (5). Idque non in plebe solum reperire est aut in infima multitudine, quae ideo in errorem facile trahitur; sed in excultis etiam ordinibus atque adeo in iis, qui haud mediocri eruditione ceteroqui polleant. Hinc porro in plerisque defectus fidei. Non enim dandum est, scientiae progressibus extingui fidem, sed verius inscitia; ut idcirco ubi maior sit ignorantia,

(1) I Tim. vi, 20 s.
(2) Rom. ix, 2.
(3) Thren. iv, 4.
que les nouveaux prêtres, qui sortent du séminaire, n'échappent pas pour cela aux sollicitudes de votre zèle. Pressez-les, Nous vous recommandons du plus profond de notre âme, pressez-les souvent sur votre cœur, qui doit brûler d'un feu céleste, réchauffez-les, enflammez-les, afin qu'ils n'aspirent plus qu'à Dieu et à la conquête des âmes. Quant à Nous, Vénérables Frères, Nous veillerons avec le plus grand soin à ce que les membres du clergé ne se laissent point surprendre aux manœuvres insidieuses d'une certaine science nouvelle qui se pare du masque de la vérité et où l'on ne respire pas le parfum de Jésus-Christ; science menteuse qui, à la faveur d'arguments fallacieux et perfides, s'efforce de frayer le chemin aux erreurs du rationalisme ou du semirationalisme et contre laquelle l'Apôtre avertissait déjà son cher Timothée de se prémunir, lorsqu'il lui écrivait: *Garde le dépôt, évitant les nouveautés profanes dans le langage, aussi bien que les objections d'une science fausse, dont les partisans avec toutes leurs promesses ont défailli dans la foc* (1). Ce n'est pas à dire que Nous ne jugions ces jeunes prêtres dignes d'éloges, qui se consacrent à d'utiles études dans toutes les branches de la science, et se préparent ainsi à mieux défendre la vérité et à réfuter plus victorieusement les calomnies des ennemis de la foi. Nous ne pouvons néanmoins le dissimuler, et nous le déclarons même très ouvertement, Nos préférences sont et seront toujours pour ceux qui, sans négliger les sciences ecclésiastiques et profanes, se vouent plus particulièrement au bien des âmes dans l'exercice des divers ministères qui siéent au prêtre animé de zèle pour l'honneur divin. *C'est pour Notre Cœur une grande tristesse et une continuelle douleur* (2) de constater qu'on peut appliquer à nos jours cette plainte de Jérémie: *Les enfants ont demandé du pain et il n'y avait personne pour le leur rompre* (3). il n'en manque pas, en effet dans le clergé qui, cédant à des goûts personnels, dépensent leur activité en des choses d'une utilité plus apparente que réelle; tandis que moins nombreux peut-être sont ceux qui, à l'exemple du Christ, prennent pour eux-mêmes les paroles du Prophète: *L'Esprit du Seigneur m'a donné l'onction; il m'a envoyé évangéliser les*

(1) I. Tim. vi, 20 s.
(2) Rom. ix, 2.
(5) Thren. iv, 4.

pauvres, guérir ceux qui ont le cœur brisé, annoncer aux captifs la délivrance, et la lumière aux aveugles **(1). Et pourtant, il n'échappe à personne, puisque l'homme a pour guides la raison et la liberté, que le principal moyen de rendre à Dieu son empire sur les âmes, c'est l'enseignement religieux. Combien sont hostiles à Jésus-Christ, prennent en horreur l'Eglise et l'Evangile bien plus par ignorance que par malice! et dont on pourrait dire:** ***Ils blasphèment tout ce qu'ils ignorent*** **(2). Etat d'âme que l'on constate non seulement dans le peuple et au sein des classes les plus humbles que leur condition même rend plus accessibles à l'erreur, mais jusque dans les classes élevées et chez ceux-là mêmes qui possèdent, par ailleurs, une instruction peu commune. De là, en beaucoup, le dépérissement de la foi; car il ne faut pas admettre que ce soient les progrès de la science qui l'étouffent, c'est bien plutôt l'ignorance; tellement que là où l'ignorance est plus grande, là aussi l'incrédulité fait de plus grands ravages. C'est pour cela que le Christ a donné aux Apôtres ce précepte:** ***Allez et enseignez toutes les nations*** **(3).**

Mais pour que ce zèle à enseigner produise les fruits qu'on en espère, et serve à ***former*** **en tous** ***le Christ,*** **rien n'est plus efficace que la charité; gravons cela fortement dans notre mémoire, o Vénérables Frères; car** ***le Seigneur n'est pas dans la commotion*** **(4). En vain espérerait-on attirer les âmes à Dieu par un zèle empreint d'amertume; reprocher durement les erreurs et reprendre les vices avec âpreté cause très souvent plus de dommage que de profit. Il est vrai que l'Apôtre, exhortant Timothée, lui disait:** ***Accuse, supplie, reprends,*** **mais il ajoutait,** ***en toute patience*** **(5). — Rien de plus conforme aux exemples que Jésus Christ nous a laissés. C'est lui qui nous adresse cette invitation:** ***Venez à moi, vous tous qui souffrez et qui gémissez sous le fardeau et je vous soulagerai*** **(6). Et, dans sa pensée, ces infirmes et ces opprimés n'étaient autres que les esclaves de l'erreur et du péché. Quelle mansuétude,**

(1) Luc. iv, 18-19.
(2) lud. 10.
(5) Matth. XXVIII, 19.
(4) III. Reg. xix, i1.
(5) II. Tim. iv, 2.
(6) Matth, xi, 28.

en effet, dans ce divin Maître! Quelle tendresse, quelle compassion envers tous les malheureux! Son divin Cœur nous est admirablement dépeint par Isaïe dans ces termes: *Je poserai sur lui mon esprit; il ne contestera point et n'élèvera point la voix; jamais il n'achèvera le roseau demi-brisé et n'éteindra la mèche encore fumante* (1) — Cette charité *patiente et bénigne* (2), devra aller au devant de ceux-là même qui sont nos adversaires et nos persécuteurs. *Ils nous maudissent,* ainsi le proclamait S. Paul, *et nous bénissons, ils nous persécutent et nous supportons, ils nous blasphèment et nous prions* (3). Peut être après tout se montrent-ils pires qu'ils ne sont. Le contact avec les autres, les préjugés, l'influence des doctrines et des exemples, enfin le respect humain, conseiller funeste, les ont engagés dans le parti de l'impiété; mais au fond leur volonté n'est pas aussi dépravée qu'ils se plaisent à le faire croire. Pourquoi n'espérerions-nous pas que la flamme de la charité dissipe enfin les ténèbres de leur âme et y fasse régner, avec la lumière, la paix de Dieu ? Plus d'une fois le fruit de notre travail se fera peut-être attendre; mais la charité ne se lasse pas, persuadée que Dieu mesure ses récompenses, non pas aux résultats, mais à la bonne volonté.

Cependant, Vénérables Frères, ce n'est nullement Notre pensée que, dans cette œuvre si ardue de la rénovation des peuples par le Christ, vous restiez, vous et votre clergé, sans auxiliaires. Nous savons que Dieu a recommandé à chacun le soin de son prochain (4). Ce ne sont donc pas seulement les hommes revêtus du sacerdoce, mais tous les fidèles sans exception, qui doivent se dévouer aux intérêts de Dieu et des âmes: non pas, certes, chacun au gré de ses vues et de ses tendances, mais toujours sous la direction et selon la volonté des Evêques: car le droit de commander, d'enseigner, de diriger, n'appartient dans l'Eglise à personne autre qu'à vous, *établis par l'Esprit Saint pour régir l'Eglise de Dieu* (5) — S'associer entre catholiques dans des buts divers, mais toujours pour le bien de la religion, est chose qui depuis longtemps a mérité

(1) IS. XLII, 1 S.
(2) I. Cor. XIII, 4.
(5) Ibid. iv, 12 s.
(4) Eccli. XVII, 12.
(o) Ad. XX, 28.

l'approbation et les bénédictions de Nos Prédécesseurs. Nous non plus nous n'hésitons pas à louer une si belle oeuvre et nous désirons vivement qu'elle se répande et fleurisse partout, dans les villes comme dans les campagnes. Mais en même temps, Nous entendons que ces associations aient pour premier et principal objet de faire que ceux qui s'y enrôlent accomplissent fidèlement les devoirs de la vie chrétienne. Il importe peu, en vérité, d'agiter subtilement de multiples questions et de disserter avec éloquence sur droits et devoirs, si tout cela n'aboutit à l'action. L'action, voilà ce que réclament les temps présents; mais une action qui se porte sans réserve à l'observation intégrale et scrupuleuse des lois divines et des prescriptions de l'Eglise, à la profession ouverte et hardie de la religion, à l'exercice de la charité sous toutes ses formes, sans nui retour sur soi ni sur ses avantages terrestres. D'éclatants exemples de ce genre donnés par tant de soldats du Christ auront plus tôt fait d'ébranler et d'entraîner les âmes, que la multiplicité des paroles et la subtilité des discussions: et l'on verra sans doute des multitudes d'hommes foulant aux pieds le respect humain, se dégageant de tout préjugé et de toute hésitation, adhérer au Christ et promouvoir à leur tour sa connaissance et son amour, gage de vraie et solide félicité. Certes, le jour où, dans chaque cité, dans chaque bourgade, la loi du Seigneur sera soigneusement gardée, les choses saintes entourées de respect, les sacrements fréquentés, en un mot tout ce qui constitue la vie chrétienne remis en honneur, il ne manquera plus rien, Vénérables Frères, pour que nous contemplions la restauration de toutes les choses dans le Christ. Et que l'on ne croie pas que tout cela se rapporte seulement à l'acquisition des biens éternels; les intérêts temporels et ïa prospérité publique s'en ressentiront aussi très heureusement. Car, ces résultats une fois obtenus, les nobles et les riches sauront être justes et charitables à l'égard des petits, et ceux-ci supporteront dans la paix et la patience les privations de leur condition peu fortunée; les citoyens obéiront, non plus à l'arbitraire, mais aux lois; tous regarderont comme un devoir le respect et l'amour envers ceux qui gouvernent, et dont *le pouvoir ne vient que de Dieu* (1). Il y a plus. Dès lors il sera

(1) Rom, XIII, 1.

manifeste à tous que l'Eglise, telle qu'elle fut instituée par Jésus Christ, doit jouir d'une pleine et entière liberté, et n'être soumise à aucune domination humaine; et que Nou smêmes, en revendiquant cette liberté, non-seulement nous sauvegardons les droits sacrés de la religion, mais nous pourvoyons aussi au bien commun et à la sécurité des peuples: *la piété est utile d tout* (1), et là où elle règne, *le peuple est vraiment assis dans la plénitude de la paiœ* (2).

Que Dieu *riche en miséricorde* (3), hâte dans sa bonté cette rénovation du genre humain en Jésus-Christ: puisque ce n'est l'oeuvre *ni de celui qui veut ni de celui qui court, mais du Dieu des miséricordes* (4). Et nous tous, Vénérables Frères, demandons lui cette grâce *en esprit d'humilité* (5), par une prière instante et continuelle, appuyée sur les mérites de Jésus-Christ. Recourons aussi à l'intercession très puissante de la divine Mère. Et pour l'obtenir plus largement, prenant occasion de ce jour où Nous vous adressons ces Lettres, et qui a été institué pour solemniser le S. Rosaire, Nous confirmons toutes les ordonnances par lesquelles Notre Prédécesseur, a consacré le mois d'octobre à l'auguste Vierge et prescrit dans toutes les églises la récitation publique du Rosaire. Nous vous exhortons en outre à prendre aussi pour intercesseurs le très pur Epoux de Marie, patron de l'Eglise catholique, et les Princes des Apôtres Saint Pierre et Saint Paul.

Pour que toutes ces choses se réalisent selon Nos désirs et que tous vos travaux soient couronnés de succès. Nous implorons sur vous, en grande abondance, les dons de la grâce divine. Et, comme témoignage de la tendre charité dans laquelle Nous vous embrassons, vous et tous le fidèles, confiés à vos soins par la divine Providence, Nous vous accordons en Dieu, de grand coeur, Vénérables Frères, ainsi qu'à votre clergé et à votre peuple, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, près S. Pierre, le 4 octobre de l'année 1903, de Notre Pontificat la première.

PIE X PAPE

(1) 1. Tim. iv, 8.
(2) Is. xxxii, 18.
(3) Ephes, ii, 4.
(4) Rom. ix, 16.
(5) Dan. ni, 39.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. C. S. R. ET U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad cautiones exigendas etc. in matrimoniis mixtis.

Beatissime Pater,

Cautionibus ab Ecclesia requisitis de conditionibus implendis ad hunc usque diem scriptis satisfactum est. Attamen magna oritur difficultas pro obtinendis hisce cautionibus, quando mulier catholica matrimonium inire intendit cum milite acatholico in gradu saltem maiore constituto. Viget enim in regionibus N.... decretum regium sub gravibus poenis prohibens quominus milites ullas cautiones praestent per litteras reversales, sive per iuramentum, sive per simplicem promissionem. Quare ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Ordinarius N... directionem certam hisce in casibus expostulat, et quidem quaerit :

I. An ab impedimento mixtae religionis dispensan possit, si pars acatholica, quaecumque est, cautiones requisitas per litteras reversales, sive per iuramentum, sive per promissionem saltem, omnimode recuset?

II. An sufficiat assertio partis catholicae sub iuramento data, partem acatholicam de cautionibus implendis sibi fidem praestasse ?

III. An permitti possit, ut ante vel post matrimonium pars catholica etiam coram ministello acatholico ad praestandum consensum matrimonialem se sistat, si pars catholica in scriptis declaraverit mere passive se gerere et nullo modo ritui protestantico adhaerere velle ?

Et Deus....

Feria IV, 10 Decembris 1902.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, Emi ac Revmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum

Generales Inquisitores, propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito voto RR. DD. Consultorum, respondendum decreverunt:

Ad I. ***Negative, et detur Instructio 15 Novembris 1858*** **(1).**

Ad II. ***Per se et generatim negative, et ad mentem.*** **Mens est : quod si in aliquo casu extraordinario talia concurrant adiuncta, ut episcopus valeat sibi comparare moralem certitudinem tam de huiusmodi cautionum sinceritate pro praesenti, quam de earum adimplemento pro futuro, specialesque omnino adsint rationes impedientes ne consueto modo cautiones praestentur, ipsius conscientiae et prudentiae. Caeteroquin non obstante decreto regio, opportunae exhibeantur in scriptis cautiones, sicut hucusque factum est; neque detur dispensatio nisi episcopus moraliter certus sit eas impletum iri.**

Ad III. ***Negative, et detur Instructio 17 Februarii 1864*** **(2).**

Feria VI, die 12 Decembris 1902.

Facta autem a R. P. D. Adsessore S. O. relatione de his omnibus SSmo D. N. Leoni PP. XIII, idem SSmus D. N. Emorum Patrum resolutionem approbavit.

Can. MANCINI, **S.** ***R. et U. I. Notarius.***

DUBIA circa competentiam in causis matrimonialibus.

Ordinarius Colonien, ad pedes S. V. humiliter provolutus sequentia dubia enodanda proponit:

I. Num in omnibus causis matrimonialibus, in quibus de validitate matrimonii agitur, praeter forum domicilii mariti, etiam forum contractus et forum connexionis sive continentiae tamquam sufficiens sit habendum ; et quatenus affirmative :

II. Num aliquis ordo sit servandus, ita ut prae ceteris Ordinariis, quibus ratione contractus vel continentiae procedere fas sit, is Episcopus sit competens et processum instruere debeat, in cuius dioecesi maritus domicilium habeat.

(1) Cfr. Vol. VI, p. 456.

(2) Cfr. Vol. XVI, p. 207.

Feria III loco IV, die 23 Iunii 1903.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, re mature perpensa, praehabitoque DD. CC. voto, Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales decreverunt : ***Standum Instructioni pro Statibus Foederatis Americae anno 1883 editae*** **(1)** ***et ex Decreto S. O. anno 1891 ad dioeceses Regni Borussici extensae ac responsioni ad 1. in Decreto S. O. lato feria V loco IV, die 30 Iunii 1892, quae ita, se habet:*** **« Coniuges in causis mixtarum nuptiarum subsunt Episcopo, in cuius dioecesi pars catholica domicilium habet; et quando ambo sint catholici, quia pars haeretica in Ecclesiam reversa sit, subsunt Episcopo, in cuius dioecesi domicilium habet maritus » (2).**

Quando vero agitur de matrimonio mixto contrahendo cum haeretico separato per divortii sententiam tribunalis civilis ab haeretica, erit Episcopus domicilii partis catholicae, ad quem spectat iudicare an contrahentes gaudeant status libertate.

Sequenti vero feria VI, die 26 eiusdem mensis et anni,. SSmus D. N. Leo div. prov. PP. XIII, per facultates Emo Card. Secretario largitas, resolutionem Emorum adprobavit.

I. Can. MANCINI, ***S, R. et U. I. Notarius.***

(1) Haec celebris Instructio edita fuit a S. Congregatione de Propaganda Fide,, eamque invenies in *Acta S. Sedis* vol. XVIII pag. 369. Ad rom nostram facit praesertim § 2, partis primae, quae ita sonat: « Coniuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo, in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si coniugale vitae consortium aut per separationem a thoro et mensa, aut per disertionem malitiosam a marito patratam, sublatum sil. Priori casu quaelibet pars ius accusandi contra alteram ipsi competens coram Episcopo dioecesis, ubi haec domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cuius dioecesim domicilium eius situm est, actionem instituere potest. Postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad coniugum domicilium, facta, mutationem respectu iudicis competentis minime operatur». Unde regula generalis est, in causis matrimonialibus esse competentem Episcopum loci, ubi maritus domicilium habet;, ceterae omnes tamquam exceptiones huic generali regulae habendae sunt.

(2) Integrum decretum habetur in volumine XXVI, pag. 753.

DECRETUM. Abbates Titulares sacram tonsuram et ordines minores conferre nequeunt.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus N. N. ad pedes S. V. provolutus, quae sequuntur exponit:

Prior quidam Ordinis Cisterciensium, Abbas Titularis, tonsuram et Ordines minores contulit cuidam fratri in suo monasterio degenti, obtenta in casu ab Archiepiscopo Oratore opportuna delegatione. Nunc vero sibi innotuit non posse Abbatem Titularem gaudere praedicta facultate, et proinde implorat benigne sanationem.

Feria IV, die 15 Iulii 1903.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, proposito suprascripto supplici libello, re mature perpensa, attentis omnibus tum iuris tum facti momentis, praehabitoque DD. CC. voto, Emi ac Rmi DD. Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, decreverunt:

Repetendam in casu Ordinationem ex integro a collatione sacrae Tonsurae inclusive.

Eadem feria ac die SS. D. N. Leo div. prov. PP. XIII, per facultates Emo Secretario factas, resolutionum Emorum PP. adprobavit.

I. Can. MANCINI, S. ***R. et U. I. Notarius.***

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CAUSAE

IN FOLIO

Num. IV.

BAMBERGEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 13 Iunii 1903.

Sess. 24, cap. 5, De ref. matr,

Species facti

Die 3 decembris 1894 Arma et Georgius N. N. consobrini, obtenta prius Apostolica dispensatione ab impedimento secundi gradus consanguinitatis, matrimonium rite iniverunt ; sed infausto prorsus omine. Siquidem Anna quae, uti asseritur, tunc temporis ex commercio cum quodam uxorato uterum gestabat, nupsit Georgio non ex amore quo erga ipsum afficeretur, sed instantibus patre et sororibus suis, qui imminens familiae dedecus per has nuptias propulsare pertentabant. Imo mulier, uti fertur, post initum coniugium cum Georgio, adulterinum commercium cum amasio minime abrupit ; atque constantissime cum Georgio commisceri renuit, tum quia cum consanguineo copulam habere horrebat, tum quia erga suum maritum nullum unquam amorem sed potius aversionem insuperabilem persentiebat. Non secutam matrimonii consummationem uterque coniux sub iuramenti vinculo affirmat.

Rebus sic stantibus, vita coniugalis haud pacifica esse poterat, ac animorum aversio usque adeo convaluit, ut eorum contubernium prorsus intolerabile et impossibile redderetur. Hinc Anna, die 27 octobris 1895, proprium Pa-

rochum adiit ipsumque flagitavit ut penes auctoritatem competentem pro dissolutione sui coniugii ageret; quodque ut rescivit Georgius die insequenti eamdem petitionem iteravit. Ipsorum preces Parochus ad Curiam Archiepiscopalem Bambergensem detulit, quae absone consuluit : « primum agere coram iudice civili, deinde eorum causa iuxta leges ecclesiasticas tractabitur ». Huic mandato obtemperarunt coniuges, qui, obtenta a tribunali civili sententia divortii ob insuperabilem coniugum horrorem, iterum sistunt coram Parocho expetentes, ut auctoritas quoque ecclesiastica matrimonium dissolvere dignaretur. Curia autem Bambergensis, certior a Parocho facta de huiusmodi sententia tribunalis civilis, obtulit SSmo preces coniugum ; quibus benigniter exceptis, ab H. S. C. rescriptum fuit Archiepiscopo Bambergen, ut: « processum conficiat super non consummatione et causis dispensationis enuntiati matrimonii, servata forma Constitutionis Benedicti XIV « *Dei Miseratione* », et Instructione huius S. C. a. 1840, cum facultate etiam subdelegandi, servatis servandis, pro examine partium et testium qui extra dioecesim morentur ». Consistorium Bambergense Romam misit absolutum processum; sed quoniam deficiens admodum erat tum quoad formam iuridicam, tum quoad rationum momenta; idcirco Emi Patres, audito defensore matrimonii ex officio penes eamdem S. Congregationem, Archiepiscopo Bambergens! scribi mandarunt ut compleret acta processus iuxta adnexam instructionem praefati defensoris matrimonii ex officio. Itaque Emorum Patrum iussa faciens Curia Bambergensis accuratius ad tramitem iuris confecit processum, coniuges necnon testes septimae manus ab utraque parte productos audivit, sicque acta suppletiva processus ad H. S. C. transmisit.

Quocirca hodie sapienti iudicio Emorum Patrum proponitur diluendum dubium: *An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?*

Votum Canonistae

Consultor Canonista, nonnullis quoad facti speciem et processus instructionem praemissis, dispicere transit num certis et indubiis argumentis constet, matrimonium, de quo agitur, non fuisse consummatum. Argumenta enim, ait ipse, eius generis pro non consummatione matrimonii habentur, docente Petro Gasparri *(Tract, can., de matr. n. 1066, edit. alter.)* in sequentibus casibus : I°. « Si coniuges rei matrimoniali operam dare non potuerunt sive quia nunquam, neque per paulum temporis soli post initas nuptias fuerunt, sive impotentia viri in propatulo est...; 2°. Si constat de mulieris virginitate etc.; 3°. Si talia indicia et circumstantiae concurrant, ut simul sumptae moralem ^certitudinem prudenti iudici constituant matrimonium non fuisse consummatum, licet nec mulier virgo sit, quia e. g. erat vidua, aut ab alio viro cognita fuit, nec vir certa impotentia laboret ».

Iamvero primum argumentorum genus prorsus exsulat a themate, quia constat ex actis coniuges per tempus sat diuturnum cohabitasse sub eodem tecto, et aliunde nulla habetur non tantum certitudo, sed ne suspicio quidem impotentiae viri.

Abest pariter in casu argumentum, idque validissimum, pro non sequuta consummatione matrimonii depromptum ex inspectione corporis mulieris, qua certo comprobetur perstare signa physica inviolatae virginitatis; agitur enim de muliere corrupta: unde Curia Bambergensis recte se abstinuit a praescribenda inspectione corporali, utpote supervacanea, ideoque illicita.

Reliquum ergo est, ut inquiratur utrum concurrant in casu talia indicia atque adminicula, quae simul sumpta moralem certitudinem constituant de non consummatione matrimonii. Porro confessio utriusque coniugis et depositiones testium, quos vocant, septimae manus, non habent tan-

tam ad probandum vim ut certam reddant non consummationem matrimonii.

Sane, si fides habetur partium confessioni, coniugium non fuit consummatum, quia mulier marito debitum reddere noluit ob horrorem insuperabilem tum copulae tum omnis vitae consortii cum viro ; atque ex modo agendi uxoris in viro exortus est horror profundus vivendi cum ipsa. Verumtamen assertio haec quadamtenus infirmari videtur ex diuturna coniugum cohabitatione. Enimvero iudex civilis sententiam divortii protulit die 23 martii 1896, teste parocho, vel die 14 eiusdem mensis iuxta supplicem libellum. Consistorium autem Bambergense die 3 iunii 1896 edixit : « Ut Georgius et Anna in conscientia tranquilli esse possint; separationem a thoro et mensa usque ad solutionem matrimonii per S. Sedis permissionem impertimur ». Iamvero coniuges cohabitare perrexerunt, non solum usque ad mensem maii 1895, prout significatum fuit in precibus SSmo adnotatis, sed etiam usque ad primum diem octobris 1896, asserente parocho, cui suffragantur testes septimae manus, qui hac de re edocti videntur. Porro si mulier tali tantoque horrore affecta fuit non modo copulae carnalis cum viro, verum omnis quoque vitae consortii cum ipso, si Anna eo ipso « die copulationis aversionem sensit insuperabilem contra maritum suum, eamque usque ad hodiernam diem 27 octobris 1895 sentit » quemadmodum declaravit coram parocho ; si ex modo agendi uxoris Georgius adeo vehementem atque profundum concepit horrorem ducendi communem vitam cum ipsa, Cur factum est ut coniuges tamdiu cohabitaverint, atque soluti iam vinculo, quod matrimonium civile vocant, cohabitationem protraxerint per quatuor ferme menses posteaquam auctoritas ecclesiastica ipsis, ut in conscientia tranquilli esse possent, potestatem fecit instituendae separationis a thoro et mensa? Certe in talibus rerum adiunctis non ita sese gerere solent, ut plurimum, coniuges qui tanta aversione tantoque horrore se invicem prosequuntur, ideoque, si ex communiter contingentibus iudi-

cium ferendum est de re praesenti, individua vitae consuetudo tam diu producta a coniugibus nonnihil virium profecto adimit ipsorum depositioni ad faciendam fidem,

Eo magis quod veracitas mulieris aliquatenus nutat, quia probitatis laude non commendatur ; et vir ipse, qui alteras nuptias inire cupit, paratus est contractu civili cum alia iungi, nisi praesens matrimonium a S. Sede dissolvatur.

Depositiones omnium testium favent partium confessioni quoad inconsummationem matrimonii et quoad eiusdem inconsummationis causam. At plures ex testibus ab utraque parte adductis parum instructos sese ostendunt de vita coniugali oratorum, quum certiores facti sint tam de non consummatione matrimonii quam de causa inconsummationis ab una alterave parte aut a reliquis tribus testibus. Nec satis constat quo tempore, suspecto vel non, ipsi certiores redditi fuerint de his, quae deponunt. Praeterea quatuor testes ex latere mulieris examinati a Curia Archiepiscopali Monacen.-Frising. non videntur prorsus immunes ab omni suspicione studii partium, quadam enim commiseratione erga Georgium permoti matrimonium dissolutum cupiunt.

Equidem tres alii testes, qui supersunt, suffragio suo confirmant confessionem coniugum, propriaeque scientiae idoneam rationem reddunt; sed horum depositiones, quatenus propriis observationibus innituntur, non videntur respicere totum tempus elapsum a contractu matrimonio usque ad separationem partium. Ab inito enim matrimonio usque ad coniugum separationem interfluxerunt duo fere anni, quum coniugium contractum fuerit die 3 decembris 1894, atque oratores individuam vitae consuetudinem deseruerint •die prima octobris 1896. Testes non docent quid coniuges •egerint qualemque vitam duxerint per integrum fere annum post contractum matrimonium ; ideoque certam non reddunt causam inconsummationis coniugii, perpetuam scilicet alienationem uxoris animi a marito, nec proinde ipsam non consummationem, neque ex universis actis certo colli-

gere licet quamdiu cohabitaverint oratores in una eademque domo.

Quae cum ita se habeant, ab ulteriori quaestionis examine supersedens Consultor, respondendum censuit : ***Ex deductis non satis constare de non consummatione matrimonii;*** vel ad minus : ***Compleantur acta processus.***

Votum Theologi

Etiam Theologus Consultor, praemissa facti specie et aliquibus quoad processum adnotatis, de ipso causae merito inquirit, Imprimis idem sustinet matrimonium, de quo agitur, validum esse. Nam licet Anna non ex sese neque ex amore erga Georgium, hunc exquisierit in sponsum, libere tamen acceptavit consanguineorum consilium, qui ad tegendum familiae dedecus, nuptias huiusmodi proposuerunt. Nec hic alligari potest timor reverentialis ex parte Annae, quippe quod soror eius matrimonium tantum suasit, nec ad hoc adhibita fuerunt minacia verba, aut gravia damna intenta, sed adfuerunt tantummodo preces, esto aliquatenus importunae, quibus tamen Anna acquievit, licet conceptam aversionem contra Georgium superare nequiverit. Unde ad iudicis interrogationem, num intenderet verum matrimonium cum Georgio reponit: « intendi verum matrimonium cum Georgio ».

Insuper valida fuit dispensatio a secundo consanguinitatis gradu, ideoque validum ipsum matrimonium , quamvis in precibus oratores reticuerint praegnationis circumstantiam; tum quia praegnatio haec novum non inducebat impedimentum dirimens utpote non ab affine aut consanguineo effecta; tum quia videtur non fraude sed bona fide reticita. Quinimo si praegnatio mulieris desponsandae fuisset in precibus expressa, fortasse facilius gratia obtenta fuisset.

Posita igitur validitate huius matrimonii, despiciendum remanet, utrum carnali copula consummatum fuerit. Quod non fuerit consummatum, sarta tecta eorum veracitate, iureiurando sustinent utrique coniuges. Georgius in primo

examine fatetur, quod coniugium nunquam consummatum est copula carnali; idque tribuit renitentiae uxoris, quae semper debitum coniugale praestare renuit; additque « in initio matrimonii nostri nullum uxoris habui odium, uxoris agendi modo demum horror profundus in me ortus est oum ipsa vivendi ». Haec eadem ipse repetit in altero examine, simulque alia deponit, quibus clarius inconsummationem connubii confirmat. Imo dissolutionem matrimonii urget, hanc allegans rationem : « Convivium est impossibile, cum Anna iam ante matrimonium inter nos initum, alterum amaverat, idque durante matrimonio fecerat; nec tempore sponsalium mihi dedit familiaritatis et amoris signa etc. ».

Uxor Anna mirifice concinit cum marito Georgio quoad matrimonii inconsummationem : « ratum, inquit in primo examine, et verum matrimonium a me et cognato meo Georgio nunquam consummatum est coi tu vel copula carnali. Ego semper denegavi copulam carnalem, et hoc ex insuperabili horrore tum copulae carnalis cum Georgio, tum omnis vitae consortii cum illo. Horror iste revera existit, et est mihi insuperabilis ». Sed de his fusius Anna proloquitur in altero examine : « Cupio, ait et ipsa, solutionem matrimonii mei, quia maritum nunquam amavi, nec amare potui, et quia maritus post separationem nostram, aliam mulierem civiliter iam duxit, et hoc in facie Ecclesiae facere intendit ». Insuper hanc suam aversionem erga Georgium vel tempore sponsalium habuisse confirmat, quum iam amore in alterum capta esset et quum spopondisset Georgio maxima ex parte vel ferme ex solis continuis precibus sororis et patris.

Ex his omnibus coniugum depositionibus, arguit Theologus, plane conficitur, matrimonium non fuisse consummatum; siquidem loco amoris aversio profunda inter sponsos aderat. Quae aversio, initis iam nuptiis, quin imminueret, percrebuit vehementer , ita ut quamdiu individuam vitae consuetudinem retinuerunt, nunquam Anna cum marito se

amabilem seu comitem exhibuit, nunquam vel leve signum amoris sive coniugalis benevolentiae praebuit, sed perpetuo horrorem tum copulae tum ipsius Georgii portendebat. Age porro, nativum mulieris ingenium ita comparatur, ut nunquam det sui corporis copiam viro, quem non diligit ; a fortiori autem, si insanibus amoribus iam correpta, insuperabilem persentit aversionem erga virum suum. Conscientiarum moderatores saepe comperiunt, quod huiuscemodi uxores, frigidae admodum cum viris suis se produnt negantque persaepe coniugalem copulam, quam tamen 1 libentissime amasiis concedunt.

Verum argumentum hoc, cuius vim quisque persentit, enervatur nonnihil a diuturna coniugum cohabitatione, quae sane minime cohaerere videtur cum tanta iugique eorumdem coniugum aversione. Sed notandum est, quod bonus Georgius, videns uxorem suam sic abalienatam et saepe absentem, nec reputavit eam, penitusque neglexit. Ceterum, postquam Georgius rescivit, Annam ad pristinum amasium revertisse, destitit, uti ex utriusque coniugis confessionibus patet, a petendo debito et in cubiculo separato dormivit : quodque ut quisque videt, argumentum inconsummationis roborat. Hinc satis conciliari videtur coniugum aversio cum eorumdem diuturna cohabitatione, quin tamen exinde sequatur, quod operi coniugali vacaverint.

Concordes coniugum confessiones tales sunt, ut valeant adstruere inconsummationem matrimonii ; sed abs re non erit hic investigare, quanti in hoc negotio sit facienda eorum confessio, aliis verbis, est ipsis tribuenda veracitas? Equidem religiositate et morum probitate, quae veracitatis sunt fundamentum, haud valde commendantur coniuges. Vir enim, praeterquamquod ante solutionem matrimonii cum Anna initi, lutheranae mulieri iam civiliter nupserit, animo nunc recogitat impietatis flagitium admittere, nimirum ab Ecclesia catholica cum liberis suis desciscere, et ad nefariam lutheranorum sectam deflectere, si auctoritate Apostolica contractum matrimonium non solvatur. Anna vero

turpi iugique adulterio ante et post nuptias iam admisso, novum adhuc probrorum facinus adiecit, attentationem scilicet matrimonii civilis. Qui igitur talia agunt, non videntur fidem mereri, quum qui divinae legis excussit iugum, utique potest et in iudicio mentiri. Ast, hoc non obstante, testes omnes voce concordi ipsos a periurii facinore absolvunt, cómmendantque eorumdem probitatem atque religiositatem. Insuper religiositatem et veracitatem ipsis tribuunt : I°. Parochus Norimbergensis, qui de utroque coniuge testatur : « Depositiones Georgii et Annae meo iudicio sunt veracissimae, semper enim religiosos se habuerunt et habent: omnia considerans, mihi persuasissimum est, omnem collusionem coniugum esse seclusam ; 2°. Officialis Curiae Monacensis speciatim de Anna testatur, quod persona modesta esse videtur, sed haud magni ingenii, iners et indolens; 3°. Alter Parochus Norimbergensis sic Georgium excusat ab impietatis errore : « Ad protestantismum deficere sibi in mentem venisse ea tantum ex causa quia in statu ***quo*** perseverare non posset, iam ex quatuor enim annis se non potuisse refici sacramento confessionis et sancta communione; melius esse se fieri protestantem, quam nullam exercere posse religionem ».

Deinde testimonium reddet de eius religiositate, asserens: « Georgium esse virum vere religiosum, qui matrimonium civile ea tantum ex causa contraxit, quia ira commotus erat de dilatione dissolutionis matrimonii, et quia in exercenda caupona uxore summopere indigebat, ideoque summa necessitate cogebatur ». Ex quibus omnibus deducitur, subsumit Theologus, quod coniuges revera fidem merentur, proindeque ipsis credendum est, dum iuramento confirmant, matrimonium carnali copula non consummasse.

Septima manus, quae in utroque processu examinata est, sexdecim testibus conflatur, quorum duo solummodo authenticum testimonium de probitate et veracitate retulerunt, de reliquis altum silentium habetur in actis. Huius omissionis causa tribuenda videtur partim incuriae Parochi Norimber-

gae, qui iussa Consistorii Bambergensis praedictum testimonium requirentis non adimplevit quoad omnes testes a Georgio inductos, partim oblivioni iudicis, qui illud ne quidem requisivit pro septima manu uxoris, nec pro quatuor illis in suppletivo processu primitus excussis. Ceterum, quamvis secundum iura horum testimonium non sit idoneum, tamen nonnisi iniuria iisdem testibus quaevis denegatur sive auctoritas sive veracitas. Inter testes habentur utique duo lutherana sed nec contra istos nec contra ceteros catholicos testes ullum prostat argumentum positivum, quo probetur haud veraces fuisse. Insuper testes vel ex eo etiam maxime commendantur, quod inter ipsos collusio seclusa omnino videtur. Verum inter ipsos, quatuor testes observare est oratoribus consanguineos, qui partium studio duci videntur; sed eorum expressiones sive primi sive secundi examinis collusionem non implicant, quum religionis causa fuerint ab ipsis prolatae. Ergo extra dubitationis aleam positum videtur, quod testes nec inter se nec cum partibus colluserunt.

Hi sexdecim testes profitentur imprimis, oratores esse religiosos et fide plane dignos, simulque vera esse quae in examine deposuerunt. Quatuor tamen testes de latere viri suspectam habent religiositatem Annae, et quia ipsam non satis noverunt, prudenter se abstinent a iudicio ferendo de eiusdem fidei dignitate. Ad iudicis interrogationem, num noverint coniuges, tres respondent illos novisse instantibus iam nuptiis, ceteri vel ab infantia vel a longo tempore. Ad speciale autem quaesitum ipsis in secundo processu propositum, an scilicet tempore sponsalium inter illos commercium denotaverint inter sponsos solitum ; quinque testes de latere viri respondent, se nihil scire de hac re ; reliqui respondent, quod Anna aegre admodum sibi desponsavit Georgio, cui tempore sponsalium nullum vel leve signum exhibuit amoris: quod apprime congruit cum depositionibus actorum.

Septima manus mirum in modum favet etiam coniugum depositionibus quoad matrimonii inconsummationem eiusque

causam. Nam quaesito: « num dederint coniuges sibi invicem signa externa amoris »; quatuor testes respondent, se nihil scire de hac re ; reliqui octo aiunt : « nunquam signa externa amoris sibi dederunt ». Altero autem quaesito: « quandiu coniuges in eadem domo habitaverint » ; quinque testes respondent, se nihil scire de hac re ; reliqui octo profitentur, per annum circiter in eadem domo habitasse coniuges. Insuper omnes testes voce unanimi deponunt, quod matrimonium numquam copula carnali consummatum fuit, quod Anna copulam semper denegavit ex insuperabili aversione erga Georgium, et quod Georgius causam inconsummationis uxori tribuit. Huius denegationis causam repetunt ex eo quod Anna nunquam dilexit maritum suum Georgium, et quod Anna post contractum matrimonium amasio adhaesit. Haec eadem enucleatius explicant testes, dum confirmant aversionem Annae esse vere existentem, non praetensam , et Georgium eamdem habuisse ex modo agendi uxoris suae, quae etiam perdurante matrimonio adhaesit amasio, eiusque visitationes et munuscula excipiendo et reddendo.

Insuper quinque testes ex propria scientia testantur; alii septem testes notitiam suarum depositionum hauserunt tum ab ipsis coniugibus tum ab ipsis testibus. Fatendum tamen est, quod horum quidam parum instructi deprehenduntur de intima coniugali oratorum vita, nec aperte determinant tempus quo notitiam habuerunt de his quae narrant, praesertim quoad animorum abalienationem. Notandum insuper quod testes omnes mirifice dissentiunt circa tempus quo una simul habitaverunt coniuges ; dum quidam dicunt quod per annum circiter, alii fere per biennium convixerunt, et iuxta supplicem'libellum SSmo delatum, se ab invicem separaverunt mense maii 1895, ideoque dimidio anno contubernium duxerunt. Sed quidquid sit de his discrepantibus sententiis, quas conciliare difficile admodum est, nihilominus admissa etiam biennali ferme cohabitatione non sequitur quod haec pacifica fuerit, nec quod officiis coniugalibus dederint ope-

ram. Nam equidem sub eodem tecto cohabitaverunt, at in cameris separatis ; unde per speciem non autem animo erant uniti. De reliquo, si aliquod dubium adhuc supersit, forte evanescit ex his, quae iidem testes addunt in altero examine.

Testes enim iterum in secundo examine excussi, ex certa scientia, tempore congruo acquisita, plura tradunt, quibus magis magisque confirmatur, quod coniugum abalienatio, quae inconsummationis causa fuit, sine ulla interruptione perseveravit ab initio matrimonii usque ad praesens tempus. Supradictis duodecim testibus mirum in modum concinunt quatuor testes a coniugibus noviter inducti ad deponendum in secundo examine, sive quoad fidei dignitatem et veracitatem partium, sive quoad absentiam signorum amoris et familiaritatis, sive quoad inconsummationem matrimonii eiusque causam.

Igitur, subsumit Consultor, omnibus depositionibus sive oratorum sive testium perpensis, morali certitudine statui potest : ***Matrimonium in casu non fuisse consummatum.***

Ultimo loco Consultor contendit, in casu adesse iustas ac graves causas, quas Theologi et Canonistae iure exposcunt, ad dispensationem SSmo petendam. Quarum I[a]. est evidenter probata animorum aversio coniugum, quin spes ulla reconciliationis affulgeat, prout ostendunt praesentissimae sed inutiles commonitiones praesertim Parochi; 2[a]. Matrimonium civile ab utroque coniuge iam a longo tempore contractum, nec non filiorum legitimatio ; 3[a]. Imminens et certum periculum ex parte viri eiusque filiorum apostatandi a fide catholica; 4[a]. Reparatio scandali iam illati et devitatio instantis adhuc gravioris, quod merito pertimiscitur ; 5\ Misericordia, quam meretur Georgius ab uxore gravissime deceptus.

Hisce accedit supplicatio Archiepiscopi Bambergensis, qui acta suppletiva processus ad H. S. C. transmittens die 8 novembris 1901 haec simul significanda esse duxit: « Sanctam Congregationem oro atque supplico, ut matrimonium

Georgii et Annae ex dispensatione Papali solvere dignetur. Causae me movent sequentes : 1. Rationabile mihi non esse videtur dubium, matrimonium, de quo agitur, non esse consummatum ; 2. Certum est, aversionem insuperabilem coniugum existere et reconciliationem ipsorum sperari non posse; 3. Georgius, soluto matrimonio per iudicem civilem, necessitate, ut dicit, coactus conditione sua qua cauponis aliam uxorem duxit civiliter. Ad tollendum scandalum ex hoc inter catholicos Norimbergae ortum , solutio matrimonii Georgii cum Anna necessaria videtur ; 4. Femina, quam Georgius civiliter duxit, est lutherana, sed educationem omnium liberorum in religione catholica instrumento publico statuit, ita ut haec coniunctio, soluto matrimonio Georgii cum Anna, in facie Ecclesiae solemnizan posset. Si autem solutio matrimonii Georgii cum Anna dispensatione Apostolica denegaretur aut differretur, timendum esset, ne Georgius cum omnibus liberis ad protestantismum deficeret ».

His omnibus perpensis, concludit Consultor Theologus : *Cum morali certitudine constet, matrimonium in casu non fuisse consummatum, supplicandum esse SSmo, ut dispensare dignetur super matrimonio rato et non consummato.*

Animadversiones defensoris vinculi ex officio.

Matrimonii vindex imprimis notat, quod, dum prior Consultor Canonista devenerat in hanc conclusionem votis sponsorum adversam : *Ex deductis non satis constare de non consummatione matrimonii,* aut ad minus : *Compleantur acta processus;* alter Consultor Theologus in hanc descendit opinionem : *Cum morali certitudine constet, matrimonium in casu non fuisse consummatum, supplicandum esse SSmo, ut dispensare dignetur super matrimonio rato et non consummato.*

Deinde, praetermissis causis ad dispensationem requisitis, defensor vinculi observat matrimonii inconsummationem^

ut legitimae dispensationi fiat locus, certo constare debere; at in casu non satis probatam apparere.

Revera argumentum hac in quaestione apodicticum, depromptum scilicet ex mulieris virginitate vel viri praevia impotentia nullimode nec habetur nec haberi potest. Restat ergo, ut aliis argumentis, praesumptionibus, adminiculis, indiciis ita res conficiatur, ut prudenter in contrarium ambigere nequeamus. Iamvero in casu haec haberi et concurrere quomodo tuto abfirmare valemus?

Argumentum, in quo multum confidit novus Consultor, est confessio coniugum. Verumtamen haec confessio in casu non multum attendenda videtur, propter malos mores utriusque coniugis. Nam sponsa ex illicitis amplexibus prolem genuit, et vir non solum alias nuptias ritu civili attentavit, sed et consilium pandidit ad lutheranam sectam transeundi. Esto consilium hoc nondum, parochi industria, implevisse, sed certo certius parum fidendum videtur in viro, in quo morum improbitatem sociat tanta in fide imbecillitas ! Quin ei multum caeteroquin suffragentur utrique coniugi laudes parochi et aliaeque, quas recenset novus Consultor, nam huiusmodi laudes parum esse attendendas iubent adiuncta notissima in casu concurrentia. Accedit utriusque coniugis in casu dubiam videri fidem etiam ex eo quod uterque, ut in propatulo est, magnum interesse in coniugii dissolutione habeant, quum uterque libertatem exinde sperent.

Nec silendum magnam consummationis suspicionem, imo dicam praesumptionem, haberi in eo, quod de facto sponsi diu noctuque cohabitaverint.

Unde, vel omissis difficultatibus, quae ex testimonio septimae manus obiici possunt, uti ex voto novi Consultoris satis liquet, prudentiae congruius videtur preces oratorum, utpote non plenis argumentis suffultas, dimittere.

Quare etc.

Quibus omnibus praehabitis, Emorum Patrum est, quo •solent sapienti iudicio, decernere quomodo dimittendum sit:

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casui

Resolutio

Emi Patres Purpurati in Comitiis Generalibus die 13 Iunii 1903 habitis rescripserunt :

Affirmative.

Facta autem relatione SSmo Leoni XIII per Emum Cardinalem Praefectum S. C. Concilii in audientia diei 16 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua dignata est resolutionem praedictam approbare et gratiam dispensationis super matrimonio rato et non consummato, de quo agitur, impertiri.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

SEGUSIEN.

DECRETUM confirmationis cultus S. Iusti, Monachi et Martyris, Patroni Principalis civitatis et dioeceseos Segusiensis.

Peculiari religionis pietatisque studio Segusiensis dioeceseos tum clerus tum populus ab immemorabili tempore prosequitur titularem Ecclesiae Cathedralis et tamquam patronum totius dioecesis Iustum, monachum et martyrem, sanctum nuncupatum, quem decimo saeculo ineunte Saracenorum turbae in vallem Segusinam late irrumpentes, postquam et coenobium Novaliciense et pagum Ulciensem vastaverint, e specu impendentis montis, ubi se abdiderat, cum socio Flaviano egressum summo cruciatu et supplicio necarunt. Quo autem tanti sceleris et pugilum Christi excideret memoria, Iusti, Flaviani aliorumque martyrum corpora in profundum proiecta sunt puteum, dein

occlusimi multorum lapidum acervo. Verum, Deo favente, paucos post annos a Fidelibus devotis quaesita et inventa ibidem iuxta basilicam Sancti Laurentii, ideo *de Plebe martyrum* nuncupatam, in veneratione sunt posita, aedificato sacello et postea coenobio in honorem Sanctorum Iusti, Fiaviani et sociorum nonaginta martyrum. Interim cultus erga hos Sanctos martyres in valle Segusina et in aliis pedemontanis regionibus propagatus, speciali modo actus fuit in Sanctum Iustum ob novum templum cum monasterio anno 1027 Segusii extructum in quod solemni pompa et magna populi frequentia translatae fuere eiusdem Sancti martyris et titularis reliquiae. Perdurante et succrescente fidelium devotione, etiam festum cum Officio et Missa de communi unius martyris, mense Octobri recolendum, pluribus dioecesibus pedemontanis ab Apostolica Sede concessum fuisse relatum est; et in Kalendario et Proprio Segusiensi ita inscriptum: « S. *Iusti Martyris Patroni Prineipalis totius dioecesis* ». Pluribus immemorialis cultus monumentis atque hisce Apostolicis Indultis innixus Revmus Episcopus Segusiensis, Eduardus Ioseph Rosaz, valde exoptans ut festum patroni suae dioeceseos Lectionibus II nocturni propriis in Officio donaretur, servato iuris ordine, postulavit atque obtinuit per decretum Sacrorum Rituum Congregationis de die 22 Decembris 1902, ut dubium de casu excepto a decretis Urbanianis in Ordinariis eiusdem Sacrae Congregationis Comitiis proponi ac discuti posset, absque praevia formalis processus constructione, sed allatis tantum ad rem necessariis documentis in authenticam formam redactis. Quibus omnibus rite exhibitis, instante eodem Revmo Episcopo cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis atque parochis et clero totius dioecesis Segusiensis, Emus et Reviïius Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata huius causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coacto sequens dubium discutiendum proposuit: *An constet de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII ad effectam de quo agitur?* Et Emi ac Revmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu constare.* Die 1 Septembris 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium

relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit; die 7, eisdem mense et anno.

SERAPHINUS CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. * S.

f DIOMEDES PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

CATALAUNEN.

DUBIUM quoad preces post Missam privatam a Leone PP. XIII praescriptas.

Revmus Dnus Michael Andreas, Episcopus Catalaunensis a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum:

An preces post Missam a Summo Pontifice Leone XIII praescriptaej adhuc, eo defuncto, dicendae sint?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis rescribendum censuit :

Affirmative.

Atque ita rescripsit; die 11 septembris 1903.

MARIUS CARD. MOCENNI

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

(1) Quoad preces praescriptas post Missam notanda sunt Sacrae Rituum Congregationis decreta; nempe: n. **3637** *Aretina,* 18 Iunii 1885 ad VII et VIII; n. **3682** *Basileen.,%5* Novembris 1887; n. **3805** *Portus S. Ludovici,* 23 iunii 1893; n. **3855** *Macaonen.,* 10 Maii 1895 ad VII; et n. **3936** *Agrigentina,* 11 Decembris 1896 ad **i.**

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

URBIS ET ORBIS

DECRETUM quo Indulgentiae, recitationi latinae parvi Officii B. M. V. adnexae, ad eiusdem vulgarem privatam recitationem extenduntur.

Quamvis S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita in una *Sebenieen.* sub die 13 Septembris 1888, expresse edixerit, non expedire ut extenderentur ad recitationem parvi Officii B. Mariae Virginis, in quodcumque vulgare idioma translati, Indulgentiae a RR. PP. adnexae recitationi eiusdem Officii, uti illud prostat in fine Breviarii Romani; nihilominus instantius ab hac eadem S. Congregatione expostulatum est, ut praefatam Indulgentiarum extensionem concedere dignaretur, hisce potissimum de causis, quod hac nostra aetate latini sermonis quamplurimi sint omnino ignari, ususque in pluribus catholici Orbis regionibus iam inoleverit, hoc Officium recitandi lingua vernacula expressum, et admodum difficile foret fideles ab hoc usu retrahere.

Quare haec S. C. sequens postulatum denuo examinandum duxit:

« An, non obstante Decreto in una *Sebenieen.* diei 13 Se-
« ptembris 1888, expediat Indulgentias a RR. PP. concessas
« Christifidelibus recitantibus parvum Officium B. Mariae Vir-
« ginis, uti extat in fine Breviarii Romani, extendere ad illos,
« qui idem Officium recitaverint in aliam linguam translatum,
« praevia recognitione et approbatione Ordinarii loci, ubi vul-
« garis est lingua ? »

Et Eiiii Patres ad Vaticanum coadunati die 18 Augusti 1903 responderunt:

Affirmative pro privata tantum recitatione.

SSmus vero Dnus Noster Pius PP. X. in Audientia habita die 28 Augusti 1903 ab infrascripto Cardinali, Praefecto sententiam Emorum Patrum approbavit, et Indulgentiarum petitam extensionem benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 28 Augusti 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. * S.

Pro R. P. D. FRANCISCO, Arch. Amiden., *Secret.*

IOSEPHUS M. Canonicus COSELLI, *Substit.*

SUMMARIUM

Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum Tertiariis Saecularibus Ordinis Eremitarum S. P. Augustini tributorum.

I.

Indulgentiae Plenariae.

A. Tertiariis ex utroque sexu vere poenitentibus, confessis ac S. Synaxi refectis:

I° Die ingressus in Tertium Ordinem;

2° Die professionis;

3° Die 5 Maii, anniversario Conversionis S. P. Augustini, dummodo Professionem renovaverint;

4° Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint;

5° Semel in mense, die cuiusque arbitrio eligendo, si per integrum mensem singulis diebus per duos horae quadrantes mentali orationi dent operam;

6° Quo die ad concionem menstruam, seu *conferentiam*, convenerint.

B. Iisdem Tertiariis, si confessi et S. Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint, sequentibus diebus festis, quibus absolutionem generalem, seu Benedictionem acceperint: nempe

I° Nativitatis D. N. I. C.
2° Epiphaniae »
3° Paschatis »
4° Adscensionis »
5° Pentecostes »
6° Feria V. in Coena Domini,
7° SSmi Corporis Christi,
8° Nativitatis B. M. V.
9° Annuntiationis »
10° Purificationis »
11° Assumptionis »
12° B. M. V. de Consolatione,
13° Dominica I Adventus,
14° » I Quadragesimae,
15° » IV »
16° » IV Octobris,

17° Dedicationis S. Michaelis Archangeli,
18° Nativitatis S. Ioannis Baptistae,
19° SS. Apostolorum Petri et Pauli,
20° S. Patris Augustini.

C. Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi, Ecclesiam ubi sedes Sodalitii est constituta devote visitaverint, diebus festis sequentibus :

I° In omnibus Dominicis Quadragesimae,
2° In omnibus diebus sabbatis infra annum,
3° In festo SSmae Trinitatis,
4° SSmi Cordis Iesu,
5° Immaculatae Conceptionis B. M. V.,
6° S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph,
7° SS. Angelorum Custodum,
8° S. Fulgentii Ep. Conf. Ord. (19 Ian.)
9° S. Guillelmi Conf. Ord. (6 Feb.)
10° B. Christinae de Spoleto Virg. Tertiariae Ord. (14 Feb.)
U° B. Iuliae a Certaldo Virg. Tert. Ord. (24 Feb.)
12° S. Possidii Ep. Conf. Ord. (17 Maii)
13° B. Luciae Amerinae Virg. Tert. Ord. (17 Iul.)
14° S. Alipii Ep. Conf. Ord. (16 Aug.)
15° S. Antonini Mart. Ord. (5 Sept.)
16° B. Alfonsi de Orozco Conf. Ord. (19 Sept.)
17° S. Gelasii Pont. et Conf. Ord. (20 Nov.)
18° Omnium Sanctorum Ord. (13 Nov.)

D. Iisdem Tertiariis morituris si uti supra dispositi, vel saltem contriti, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

II.

Indulgentiae partiales.

A. ***Centum annorum et totidem quadragenarum.***

1° In festo Inventionis et
2° Exaltationis S. Crucis;
3° S. Ioannis Baptistae;
4° Omnium Sanctorum.

B. ***Septuaginta annorum et totidem quadragenarum.***

I° In omnibus festis D. N. I. C. quae in universa Ecclesia celebrantur,

2° In omnibus festis B. Mariae V., ab universa Ecclesia pariter celebratis,

3° In festis Apostolorum et Evangelistarum,

Dummodo dictis diebus corde saltem contriti ac devote Ecclesiam Ordinis vel altare Sodalitii visitaverint et aliquo temporis spatio oraverint.

C. *Tercentorum dierum* quoties aliquod pium opus pietatis vel caritatis corde saltem contriti exercuerint.

III.

Indulgentiae stationales.

Diebus stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si Ecclesiam in qua sedes Sodalitii est constituta visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem indulgentias consequuntur, quas lucrarentur si Ecclesias Urbis in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exercuerint.

IV.

Indulgentiae Septem Ecclesiarum Urbis.

Tertiarii qui septem Altaria in Ecclesiis Ordinis S. Augustini vel Sodalitatis ad hoc designata visitaverint, easdem indulgentias lucrantur, quas consequerentur visitando septem Ecclesias Urbis.

V.

Indulgentiae pro recitatione Coronulae B. M. V. de Consolatione.

I° Tertiarii quoties integram coronuiam corde saltem contrito ac devote recitaverint lucrantur indulgentiam *centum dierum* pro qualibet oratione Dominica vel Angelica salutatione.

2° Quoties vero eadem coronula recitetur *a)* in Ecclesiis ubi Sodalitas sedem habet; *b)* in festo B. M. V. Matris Consolationis, aut in singulis diebus octavae eiusdem festi, Tertiarii lucrantur pariter pro quolibet *Pater* vel *Ave* indulgentiam *bis centum* dierum.

3° Tertiarii qui coronulam quater in hebdomada recitare solent, plenariam indulgentiam semel in anno, die eorum arbitrio eligenda, lucrari valent, dummodo vere poenitentes et confessi S. Synaxim sumpserint atque eandem coronulam recitaverint

¿4° Item plenariam lucrantur Tertiarii qui per integrum mensem quotidie praedictam coronulam recitaverint, simulque infra eundem mensem die cuiusque arbitrio eligenda, vere poenitentes, confessi ac S. Mensa refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint.

Omnes et singulae indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in purgatorio detentis.

VI.

Privilegia.

I° Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet altare missam celebrantes gaudent indulto altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint.

2° Missae omnes, quae in suffragium Sodalium defunctorum celebrantur sunt semper et ubique privilegiatam

VII.

Indulta.

I° Tertiarii degentes in locis ubi nulla extet ecclesia Ordinis S. Augustini lucrari valent omnes indulgentias quas consequerentur dictam Ecclesiam visitando, si ceteris iniunctis operibus positis, Ecclesiam ubi Sodalitas sedem habet, vel, hac etiam deficiente, Parochialem suam Ecclesiam visitaverint.

2° Tertiarii si sint infirmi vel convalescentes, nec commode possint e domo egredi recitando quinquies *Pater* et *Ave* et orando ad intentionem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem indulgentias ac si personaliter Ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitaverint, ceteris tamen conditionibus adimpletis.

3° Tertiarii, qui in Collegiis, Seminariis, aliisque communitatibus degunt, lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae domus Sacellum loco Ecclesiae Ordinis vel Sodalitii visitando, ceteris adimpletis conditionibus.

DECRETUM

Quum per Decretum huius S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliq. praepositae diei 18 Iulii 1902, undequaque abrogatis omnibus Indulgentiis, quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis, ob communicationem cum primo et secundo Ordine respective perfruebantur, Supremis Moderatoribus religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit, ut novum Indulgentiarum Indicem pro suis Tertiariis saecularibus proponerent; Prior Generalis Ordinis Eremit. S. Augustini tali mandato obtemperans novum praedictum Indicem elaboravit, illumque huic S. C. humillime subiecit; quae adhibita etiam quorumdam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit. SSrîius vero D. N. Pius PP. X, in Audientia diei 28 Augusti 1903, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito Elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt, benigne confirmavit, alias vero, loco earum, quibus vi communicationis gaudebant, clementer est impertitus; simulque mandavit ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum, iisque potiantur privilegiis et indultis, quae in praedicto Elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 5 Septembris 1903.

A. CARD. **TRIPEPI,** ***Praefectus.***

L. * S.

Pro R. P. D. FRANCISCO, **Arch. Amiden.,** ***Secret.***
IOSEPHUS **M. Canonicus** COSELLI, ***Substit.***

EX VICARIATU URBIS

LITTERAE CIRCULARES ad Italiae Episcopos, per quas Cardinalis Urbis Vicarius nonnullas tradit normas pro clericis studiorum causa Romam advenientes.

Rimo e Rmo Monsignore,

Furono inviate già da questo Vicariato due circolari relative agli ecclesiastici che vengono a Roma per attendere agli studi, la prima il 10 Agosto 1901, l'altra il 15 Agosto 1902. Al perfetto conseguimento però dello scopo che ci eravamo prefissi con le disposizioni contenute in quelle circolari si opponeva T insufficienza deiseminari e collegi ecclesiastici italiani, in questa città. Ora che, grazie al Signore, con la istituzione del nuovo collegio diretto dai Figli di Maria tale difficoltà più non esiste, possiamo stabilire definitivamente le norme seguenti che ci affrettiamo di comunicare alla S. V. filma e Rma.

1) Tutti i chierici e sacerdoti che sono inviali dai loro Vescovi in Roma per attendere agli studi sacri debbono entrare a far parte di una delle seguenti comunità:

a) **Pontificio seminario romano.**

b) **Pontificio seminario vaticano.**

c) **Almo collegio Capranica.**

d) **Collegio apostolico leoniano.**

e) **Collegio dei Figli di Maria (Via Mascherone n. 55).**

A tale scopo rivolgano domanda ai singoli superiori dei suddetti istituti, corredandola dei documenti necessari.

2) Gli ecclesiastici che sono mandati in Roma per attendere a studi nell'Università governativa, debbono osservare le disposizioni contenute nella circolare della S. C. dei VV. e RR. del 21 Luglio 1896 (1). Si noti però che non è lasciata facoltà ai singoli studenti di procurarsi l'alloggio, ma debbono domandarlo per mezzo delle rispettive curie diocesane a questo Vicariato che darà le indicazioni opportune.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXIX, pag. 539.

3) Lo stesso si deve dire di quelli ecclesiastici che sono inviati in Roma per attendere alla pratica di diritto canonico nello studio della S. C. del Concilio.

4) Le circolari sopra citate del 10 Agesto 1901 e del 15 Agosto 1902 conservano il loro valore per tutto ciò che non è stato modificato con la presente.

5) Crediamo poi necessario rivolgere alla S. V. Illìiia e Rma alcune speciali raccomandazioni:

a) **Le domande delle quali è detto di sopra siano inviate con la maggior sollecitudine entro la prima quindicina di ottobre, e in ogni modo non più tardi del 31 di detto mese.**

b) **Non si concede di venire a Roma, se non ad ecclesiastici, di condotta irreprensibile e che, per le prove date del loro ingegno e della loro buona volontà, facciano sperare con fondamento di ben riuscire negli studi.**

e) **Gli ecclesiastici suddetti abbiano già sufficienti mezzi per provvedere al loro mantenimento, senza bisogno di procurarsi occupazioni lucrose, od anche solo Cappellanie che richiedano la celebrazione della Messa in determinate Chiese od istituti religiosi; giacché questo sarebbe inconciliabile con le esigenze dello studio e della disciplina nei collegi e nelle comunità dove gli ecclesiastici stessi dovranno dimorare.**

Nutriamo viva fiducia che queste disposizioni fedelmente osservate riusciranno vantaggiose non solo agli ecclesiastici studenti, che in Roma potranno cosi meglio mantenere lo spirito della loro vocazione, ma altresì alle varie diocesi nelle quali, compiuti i loro studi, quelli ecclesiastici dovranno esercitare il loro santo ministero.

Con sensi di verace stima e di profondo rispetto mi professo di V. S. Illma e Rma

Roma, 15 Agosto 1903.

Devrho Servitore

PIETRO RESPIGHI **Card. Vicario.**

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

PRIMA ALLOCUTIO

SSmi D. N. Pii PP. X habita in Consistorio secreto diei 9 novembris 1903.

Venerabiles Fratres,

Primum vos hodierna die ex hoc loco Nobis alloquentibus, illud ante omnia occurrit animo, attingere oportere factum proximo tempore, quum delatam per vestra suffragia Apostolici fastigii dignitatem declinare obtestando conati sumus. Etenim nolumus, id Nos fecisse ob eam rem arbitremini, quod aut parum voluntatis vestrae significatio honestissimumque de Nobis iudicium moveret, aut pigerei etiam laborare amplius Ecclesiae causa, cui quidem aetatem omnem animamque devotam haberemus. Verum quum explorata Nobis esset sive inopia virtutis Nostrae sive exiguitas ingenii, quumque simul constaret, quae

quantaque a Pontifice romano essent iure expectanda, quid mirum si tanto sustinendo muneri Nos ipsos plane impares fore videbamus? Profecto evangelica curare ut vulgo serventur praescripta, rite custodiantur consilia; sarta tecta Ecclesiae praestare iura; multiplices maximasque diiudicare causas quae de societate domestica, de institutione adolescentis aetatis, de iure et proprietate extiterint; perturbatus civitatis ordines ad christianam aequabilitatem componere; brevi, terras expiando caelis comparare cives : hae, inquimus, similesque Apostolici officii partes maiores eae quidem videbantur quam ut his viribus expleri digne possent- — Accedebat, id quod in Encyclicis Litteris proxime significavimus, ut excipiendus locus eius esset Pontificis, cuius et studium in religione amplificanda fovendoque multipliciter pietatis cultu, et sapientia in profligandis erroribus horum temporum, doctrinaeque vitaeque christianae integritate publice privatim revocanda, et providentia in relevanda humilium inopumque fortuna atque incommodis civilis societatis opportune subveniendo, sic eluxere, ut humani generis immortalem ei cum admiratione gratiam peperini Quem non deterreret haec tanta excellentia et magnitudo viri ab ista tamquam hereditate adeunda muneris? Nos certe, tenuitatem Nostram reputantes, deterrebat vel maxime.

At quoniam arcanae Dei voluntati visum est, supremi Apostolatus Nobis onus imponere, id equidem, ipsius ope auxilioque unice confisi, feremus. Quantum autem est in Nobis, certum destinatumque est, omnes curas cogitationesque illuc conferre ut sancte inviolateque servemus *depositum* fidei, et sempiternae omnium saluti consulamus; eiusque rei gratia nihil quidquam aut laborum aut molestiarum unquam defugere. — Quum vero necesse sit christianaeque rei publicae quam maxime intersit, Pontificem in Ecclesia gubernanda et esse et apparere liberum nullique obnoxium potestati, ideo quod conscientia officii, simulque iurisiurandi quo obstringimur, sacrosancta religio postulat, gravissimam in hoc genere iniuriam Ecclesiae illatam conquerimur.

Porro ea Nos magnopere cogitatio recreat, in perfunctione tam gravi tamque difficili ministerii huius praeclare Nobis adiumento vestram, Venerabiles Fratres, et prudentiam et navitatem fore. Siquidem ob eam praecipue causam adesse Nobis, divino munere beneficioque, Collegium vestrum novimus, ut

administrationem Ecclesiae universae, consilia operamque conferendo, utilissime adiuvet. Quocirca dicere vix attinet, illud Nos solemne habituros, in omni rerum cursu, praesertim si qua causa gravior inciderit, iudicii solertiaeque vestrae subsidium •expetere; idque eo etiam, ut pro sua quisque parte immensum officii onus, quo premimur, sustineatis. Quippe res agitur ea, quae praeter haec fluxa bona ad immortalia pertineat; nullis locorum inclusa finibus, orbis terrarum rationes complectatur; evangelicorum reverentiam praeceptorum in omni tueatur genere; denique curas Nostras non ad fideles modo, sed ad homines afferat universos, *pro quibus mortuus est Christus.*

Itaque mirari licet, esse complures, qui novarum rerum cupidine, ut est aetatis ingenium, coniicere laborent, quae Nostra gerendi pontificatus ratio futura sit. Quasi vero investigatione res egeat, aut planum non sit, Nos eam ipsam insistere velle, nec aliam posse viam, quam decessores Nostri usque adhuc insistiterint. *Instaurare omnia in Christo,* hoc ediximus Nobis esse propositum; et quoniam *Christus est veritas,* idcirco obeundum Nobis est in primis magisterium et praeconium veritatis. Hinc simplex, dilucidus sermo Iesu Christi et efficax perpetuo, curabimus, dimanet ex ore Nostro, alteque inculcetur animis, sancte eustodiendus ; quam quidem custodiam Ipse adiumentum dignoscendae veritatis voluit esse maximum: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Et cognoscetis veritatem, et veritas liberaba vos* (1).

Pro munere autem tuendae veritatis chrisfianaeque legis, Nostrum necessitate erit: notiones illustrare et asserere maximorum rerum, sive natura informatas, sive divinitus traditas, •quas nunc obscuratas passim atque oblitéralas videmus; disciplinae, potestatis, iustitiae aequitatisque, quae convelluntur hodie, principia firmare; universos singulos, neque solum qui pa rent, sed et qui imperant, utpote omnes eodem prognatos Patre, in privata publicaque vita, in genere etiam sociali et politico ad honestatis normam regulamque dirigere. — Utique intelligimus nonnullis offensioni fore, quod dicimus, curare Nos rem etiam politicam oportere. Verum quisque aequus rerum iudex videt, Pontificem a magisterio, quod gerit, fidei morumque nequaquam posse politicorum genus diiungere. Praeterea

(1) loann. VIII, 31-32.

caput quum sit rectorque summus perfectae societatis, quae est Ecclesia, ex hominibus coalescentis, inter homines constitutae profecto velle, debet, cum principibus civitatum et gubernatores rei publicae mutua sibi officia intercedere, si catholicorum in omni ora ac parte terrarum velit et securitati et libertati esse consultum.

Insitum quidem est homini, ut veritatem sitienter appetat, oblatamque amplexetur amanter et retineat. Sed tamen vitio naturae fit, ut nimis multi nihil oderint peius, quam denuntiationem veritatis, utpote quae errores ipsorum nudet cupiditatesve coerceat. Horum omnium convicia minaeque Nos minime commovebunt; sustentantur quippe admonitione illa Iesu Christi: ***Si mundus vos odit, seitote, quia me priorem vobis odio habuit*** **(1). Ceterum illa, de quibus quotidie veritatem catholicam invidiose criminantur, quod libertatem impediat, quod scientiae officiât, quod humanitatis progressiones retardet, num disserere opus est quam sint plena falsitatis ? — Enimvero infinitam sentiendi agendique licentiam, cui nullius auctoritatis nomen nec divinae nec humanae sit sanctum, nulla sint inta cta iura, quaeque, ordinis disciplinaeque fundamenta convellens, in exitium rapiat civitates, damnat eam quidem Ecclesia cohibendamque severe censet; sed istud corruptio libertatis est, libertas veri nominis non est. Sinceram autem germanamque libertatem, qua nempe cuique liceat, quod aequum iustumque sit, facere, tantum abest ut Ecclesia compescat, ut expeditissimam debere esse semper contenderit. — Nec minus distat a vero quod aiunt, obsistere scientiae fidem: quum contra verissimum sit, prodesse etiam, nec ita parum. Praeter enim ea quae sunt supra naturam, de quibus nulla potest esse homini sine fide cognitio, multae res sunt aeque maxime in ipso naturae ordine, quas quidem sibi pervias habeat humana ratio, sed, fidei aucta lumine, multo certius clariusque percipiat: in ceteris autem vera veris pugnantia facere, quando utrumque genus ab uno eodemque capite et fonte, Deo nimirum, proficiscitur, absurdum est. — Ita vel ingeniorum inventa, vel experientiae reperta, vel incrementa disciplinarum, quaecumque demum actionem vitae mortalis provehunt in melius, quid est causae cur Nobis, qui catholicae veritatis custodes sumus, non probentur?**

(1) loann. xv, 18.

Imo est, quare fovenda etiam, Decessorum exemplo, videantur. At vero recentioris philosophiae, civilisque prudentiae decreta, quibus hodie humanarum rerum cursus eo impellitur, quo legis aeternae praescripta non sinunt, ea Nos refellere et redarguere, memores Apostolici officii, debemus. In quo quidem non humanitatem memoramur progredientem, sed ne ad interitum ruat prohibemus.

At enim necessarium aggressi pro veritate certamen inimicos hostesque veritatis, quorum vehementer miseret, amantissime complectimur, divinaeque benignitati cum lacrimis commendamus. Nam si, quae vera iusta recta sunt probare et tueri quae falsa iniusta prava detestari et reiicere, lex est sanctissima romani pontificatus; non minus est, misericordiam veniamque dilargiri peccantibus, idque ad similitudinem Auctoris sui, qui *pro transgressoribus rogavit.* Siquidem Deus, qui *erat in Christo mundum reconcilians sibi,* per Pontifices romanos potissime, ut Vicarios Filii sui, prorogari in aevum voluit *ministerium reconciliationi s,* quae propterea ab eorum esset auctoritate iudicioque requirenda. Autumare igitur reconciliandam •esse Nobis cum quopiam gratiam, esset id quidem iniuriose et perverse iudicantium de munere officioque Nostro, quo ipso debemus paternam erga omnes gerere voluntatem.

Equidem non confidimus, quod decessores Nostri nequivere, assequi Nos posse, ut late fusos errores iniustitiamque omnem vincat usquequaque veritas; in id tamen summa contentione, ut diximus, nitemur. Quod si vota Nostra non sunt plene eventura, illud certe, Deo dante, fiet ut imperium veritatis et in bonis constabiliatur, et ad alios complures, non male animatos, propagetur.

Nunc vero iucundum est, animum adiicere ad amplissimum •Collegium vestrum, Venerabiles Fratres, supplendum; cuius honore afficere hodie duos electos viros decrevimus. Alter, vestris ipsorum testimoniis per interregnum ornatus, praestantem animi et ingenii indolem, paremque gerendarum rerum prudentiam paucis hisce mensibus Nobis egregie probavit. Alterius •eximia pietatis doctrinaeque ornamenta, et in diuturna episcopalis procuratione muneris absolutam mumeris omnibus diligentiam iamdiu Ipsi habemus exploratissima. Ii autem sunt:

RAPHAEL MERRY DEL VAL, Archiepiscopus Tit. Nicaenus.

IOSEPHUS CALLEGARI, Episcopus Patavinus.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

RAPHAELEM MERRY DEL VAL
IOSEPHUM CALLEGARI

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris J$¡ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

EX SECRETARIA BREVIUM

SEDES Abbatis Generalis Ordinis S. Benedicti in Brasilia ab abbatia S. Sebastiani de Bahia ad illam B. M. Virginis Montisserrati Fluminis Ianuarii transfertur.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Singulare studium ac paterna charitas, qua catholicam Brasiliensem nationem sancta haec Apostolica Sedes prosequitur, Nos admonet, ut in ea summopere curas cogitationesque Nostras intendamus, quae pertinet ad veterum religiosorum Ordinum instaurationem, ex quibus ipsa respublica tot tantaque iugiter emolumenta nacta est.

Quoad vero Ordinem S. Benedicti, quo non alter vetustate clarior ac doctrina, Nos votis annuentes Capituli Generalis anno 1890 Bahiae rite habiti, dilecto filio Dominico a Transfiguratione Machado Abbati Generali ipsius Congregationis Benedictinae Brasiliensis, necessaria atque opportuna subsidia ultro suppeditavimus, quibus eadem Congregatio ad pristinum decus ac florem revocaretur. Et iucundum quidem nuntium accepimus, quatuor ex antiquis Benedictini Ordinis in Brasilia Abbatiis, Olindae scilicet, Bahiae, S. Pauli et Beatae M. V. de Gratia, iam ad regularem disciplinam iterum adductas, ferventi reli-

giosa familia laetari; novamque conditam fuisse in honorem S. Crucis in Statu de « *Cearà* » nuncupato, magno cum plausu voti compotum civium, qui Conlegium pro liberis instituendis iamdiu exoptabant; insuper Abbatiam S. Andreae in Belgio instauratam fuisse ut Congregationi Brasiliensi Ordinis S. Benedicti in perpetuum cedat auxilium, neque Nos latet aliquot iam Brasilienses adolescentes sese Benedictino Ordini mancipasse ut iterum in patria terra antiqua et venerabilis Congregatio renovato cultu floreret. Felicis autem faustique huius eventus laus, ad Abbatem Generalem supradictum spectat potissimum, qui et impensum studium, et actuosam sedulitatem et acris ingenii vires in Benedictinae Brasiliensis familiae instaurationem naviter posuit.

Quo meritis praemium ferret, illum donec vivat Abbatis Generalis titulo auximus: nunc vero ut idem dilectus filius, atque universa simul Benedictina Brasiliensis Congregatio novum sortiatur et singulare Pontificiae benevolentiae pignus, ut magis incremento ac prosperitati Ordinis illius, eadem in regione, Nos prospiciamus, haec quae infrascripta sunt statuimus, edicimus, mandamus. Nimirum omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis praepositis, omnibus rei momentis attente perpensis, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Sedem Abbatis Generalis Congregationis enunciati Ordinis S. Benedicti in Brasilia constitutae, a Monasterio S. Sebastiani de Bahia ad Monasterium B. Mariae Virginis Montisserrati, vulgo S. Benedicti, Fluminis Ianuarii, transferimus ac translatum esse declaramus. Oportet enim quo facilius Congregationis universae regimen gerat, Abbatem Generalem penes civilis gubernii et Apostolicae Nunciaturae Sedem commorari; et summopere decet in ipso intellectuali magnae Brasiliensis nationis centro, Ordinem scientiarum ac literarum laude clarissimum principem sedem habere.

Praeterea auctoritate similiter Nostra, dilectum filium Do-

minicum a Transfiguratione Machado, Congregationis Brasiliensis Abbatem Generalem et huc usque Abbatem S. Sebastiani de Bahia, ab omni vinculo, quatenus opus sit, solventes, ad Abbatiam transferimus B. M. Virginis Montisserrati civitatis Fluminis Ianuarii, sed volumus ut ipsam priorem S. Sebastiani de Bahia Abbatiam retineat in administrationem Apostolicam, facta illi insuper venia, attenta dignitate primatialis Sedis Bahianae, cuius Praesul Benedictinum Ordinem speciali benevolentia prosequitur, in utraque ex dictis Abbatiis pro suo arbitrio residendi.

Exinde spem fovemus prope certam futurum ut idem Generalis Abbas memoratam Fluminis Ianuarii Abbatiam, prout iam illam Bahiae, instauret, atque ad pristinum decus restituat et Collegium optime de iuvenum illius principis civitatis institutione meritum amplifìcet, et cum monachorum numerus id sinat, partem monasterii illius reddituum eroget ad indigenarum silvestrium evangelizationem, ita ut qui in tenebris et in umbra mortis adhuc sedent, cura monachorum Ordinis Benedictini ad christianae veritatis lumen adducantur, et ad patriae Brasiliensis prosperitatem etiam ipsi in posterum concurrant.

Porro haec concedimus decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 28 Novembris 1902, Pontificatus Nostri anno vigesimoquinto.

ALOIS. CARD. MACCHI.

INDULGENTIAE largiuntur veneratam imaginem SSmi Crucifixi in Conlegiata loci Cortemaggiore.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Nobis exponendum curaverunt ad hypogaeum Aedis Conlegiatae loci cui vulgo nomen « *Cortemaggiore* »* Dioeceseos Placentinae a die decimo quinto mensis Iulii usque ad extremum Augustum huiusce vertentis anni fideles recolendam Sanctissimi Crucifixi Redemptoris Nostri imaginem ingenti esse numero veneraturus. Nos autem quo pia huiusmodi peregrinatio uberius in animarum bonum cedat, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac Sancta communione refectis, qui uno quo cuique libeat infra praefatorum dierum spatium die, memoratam ecclesiam visitaverint, ibique ante imaginem SSmi Crucifixi Redemptoris Nostri, pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero fidelibus qui corde saltem contriti quolibet e praedictis diebus eamdem imaginem visitaverint et ante eam ut supra oraverint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus et largimur. Praesentibus hoc anno tantum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 4 Iulii 1903, Pontificatus Nostri anno vigesimosexto.

ALOISIUS Card. MACCHI.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. G. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

DUBIA oirca solemnem Monialium professionem.

Beatissime Pater,

S. Congregationis EE. et RR. decreto « *Perpensis temporum adiunctis* », dato 3 Maii 1902 (1), praescriptum est, ut in sanctimonialium monasteriis, in quibus emittuntur vota solemnia, his praemittantur a novitiis simplicia quoque vota; porro eiusdem S. Congregationis responso dato in una *Bononien.* die 28 Iulii 1902 (2) resolvitur: «Ritum seu caeremoniale, in unoquoque Monasterio receptum, adhibendum esse in emittenda prima professione, pro qua consuetae formulae suppressis, si adsint, verbis solemnitatem (votorum) exprimentibus, adiiciatur novitiam nuncupare vota simplicia, iuxta Decretum a S. Congr. EE. et RR. die 3 Maii 1902 editum : professionem autem secundam emitti posse privatim in choro seu oratorio interiore coram communitate in manus Superiorissae, praevia approbatione Ordinarii seu Praelati Regularis quoad Monasteria exempta ». Sancitis igitur : « in prima simplicium votorum professione ritum receptum, suppressis solum verbis solemnitatem votorum exprimentibus, esse adhibendum, atque secundam solemnium votorum professionem posse emitti privatim », haec dubitatio mihi movetur:

I. Sitne Ordinarii vel, quoad Monasteria exempta, Praelati Regularis audito Superiorissae voto, decernere ut secunda quoque professio publice fìat coram Ordinario vel Ordinarii commissario ?

(1) Cfr. *Acta S. Sedis* Voi. XXXV, pag. 31.

(2) Vide citatum volumen pag. 35.

IL Quod caeremoniale sit adhibendum in secunda professione , si privatim coram Superiorissa fit, quodque adhibendum, si publice fit coram Ordinario eiusve commissario?

III. Utrum et quo modo in casu posteriori manendum in actionibus symbolicis; benedictione ac traditione veli, anuli, coronae, quae hucusque in ritu solemnis professionis adhibebantur, et ad mentem decreti « *Perpensis temporum adiunctis* », posthac iam in prima votorum simplicium professione in usu erunt.

Quas dubitationes resolvendas humillime proponens ad pedes Sanctitatis Vestrae emorior,

humus devmus servus filius
Leo Card. De Skrbensky, Archiep. Pragen.

Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, propositis dubiis respondendum censuit, prout respondet :

Ad I. *Affirmative,* dummodo Superiorissa et Communitas postulent, ut professio, de qua agitur, publice fiat..

Ad II. In utroque casu secundae professionis requiritur tantummodo, ut professa proferat formulam professionis adhibitis verbis solemnitatem votorum exprimentibus.

Ad III. Provisum in 2°.

Romae, 15 Ianuarii 1903.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus*

L. & S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius.*

RESCRIPTUM circa ingressum in clausuram monialium sepulturae exsolvendae causa.

Eminentissime Domine,

Mos est immemorabilis apud omnes huius dioecesis Conventus monialium claustralem in cuiusque illarum cadavere sepeliendo, plures convocare sacerdotes, qui clausuram ingrediuntur officia sepulturae praestituri, vel eidem comitaturi, ita ut octo, vel decem, et quandoque duodecim connumerentur, praeter operarios laicos qui materiale sepeliendi opus perfi-

ciunt. Communitatum harum aliquarum Constitutiones nihil de hac re praescribunt; aliarum vero Constitutiones plurimos ad idem consignant sacerdotes fratres eiusdem respectivi Ordinis religiosi, scilicet sex, vel octo, vel decem, vel duodecim aut, in horum defectu, quatuor sacerdotes saeculares cum operariis laicis, quibus omnibus levis solet offerri convictus intra claustra post perfectum opus. Usque modo hanc toleravi praxim cum proposito istam adeundi Sacram Congregationem pro instructionibus, et maxime quia aliqui ex praedecessoribus meis eidem mori expresse consensisse videntur, prout ab ipsis Communitatibus asseritur, quin tamen, ob assuetam monialium laudabilem obedientiam et submissionem, timenda videatur gravis earum resistentia adversus reformationem, si expediat. Cum vero praefata praxis minus quidem conformata appareat disciplinae regulari, ut de hac re me consultius exhibeam, aut tutius Sacrae istius Congregationis auctoritate suffultus procedant, Emorum Patrum sapientiae et consilio sequentia reverenter summilto resolvenda:

L An praedictus mos et praxis, prout iacent, in omnibus sustineri possint.

IL An saltem praescriptum de ipsa re in Constitutionibus super quatuor sacerdotibus saecularibus, cum Ordinis fratres omnino desint, sit observantia dignum, quod proinde sustineri et custodiri liceat; ac deinde caeteras Communitates quibus nihil in Constitutionibus praescribitur, eidem providentiae accommodari expediat.

III. Dato quod nec ista probentur, et habita prudenti consideratione ad perennem praxim, qui sacerdotum numerus cum operariis laicis intra claustra admitti debet ut sacra officia sepulturae eiusque materialis labor peragantur ?

IV. Denique, an sit laudandus vel saltem permittendus levis convictus gratitudinis et obsequii gratia personis praedictis oblatus statim ac opus finiatur, priusquam claustra deserant; vel saltem tolerandus in communi collocutionis loco ubi saeculares conveniunt pro monialium salutatione.

Interea fausta omnia Eminentiae Vestrae obventura adprecatur a Domino humilis ac devotissimus Vestri servus

f ***Aloysius Philippusj Episcopus Zamoren.***

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita expositis dubiis respondendum censuit prout sequitur:

Ad L, IL, et III. attenta consuetudine usum de quo in precibus tolerari posse, ita tamen ut monialium confessarii, sociis assumptis e sacerdotibus regularibus vel saecularibus in numero et qualitate a Constitutionibus singulorum monasteriorum vel consuetudine ubi in ipsis Constitutionibus non cavetur determinatis, cum operariis ad opus necessariis et ab Episcopo approbandis, clausuram ingredi valeant, ad officium sepulturae pro moniali demortua exsolvendum.

Ad IV. *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Romae 24 Aprilis 1903.

D. CARD. **FERRATA,** ***Praefectus***

L. S.

PH. GIUSTINI, ***Secretarius.***

DUBIA circa confessarium ordinarium sanctimonia!ium a Visitatione.

Beatissime Pater,

Ordinarius Tirasonen. exponit, quod extat in sua dioecesi monasterium a Visitatione in quo lex de triennali confessarii ordinarii mutatione haud servatur. Haec enim consuetudo, quae adversatur iuri communi, innititur tum Constitutioni XIX Instituti, quae refertur ad confessarios, tum responsioni a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium super re data die 19 Augusti 1825. Quum enim Superiorissa monasterii Almae Urbis rogasset SSmum, ut Institutum sine impedimento uti praefata Constitutione posset, Sacer Consessus respondit: *Nihil esse innovandum.*

Itaque, etc.

Sacra Congregatio Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super expositis respondit :

Communicentur Dubia et Resolutiones Congregationis Generalis diei 20 Martii 189i.

« Dubia haec fuere:

1. Se e come alle religiose della Visitazione competa il diritto di eleggere il confessore ordinario?

2. Se alle religiose della Visitazione competa il diritto di licenziare o dimettere il confessore ordinario?

3. Se le religiose della Visitazione possano conservare il loro confessore ordinario a tempo indeterminato, con esenzione cioè dalla legge della durata triennale in officio ? (1)

1. Ius eligendi confessarium ordinarium ex approbatis ab Episcopo ad sacramentales confessiones sanctimonialium suscipiendas in casu sustineri iuxta modum. Modus est quod forma electionis praescripta in Constitutione XIX integre servetur, et quod confessarius sic electus indigeat confirmari ab Episcopo, qui, si adsit legitima causa, potest etiam eum non confirmare.

2. Providebitur in tertio.

3. Locum habere etiam pro monialibus Visitationis legem triennii pro duratione confessarii ordinarii in officio et ad mentem. Mens est: quod si adsint causae amovendi (durante triennio) confessarium ordinarium, servata forma eiusdem Constitutionis XIX, eas manifestent moniales Episcopo, eiusque stent iudicio, salvo semper recursu ad S. Sedem si opus fuerit ».

Datum Romae ex Secretaria Sacrae memoratae Congregationis, die 30 Septembris 1903.

D. CARD. **FERRATA,** ***Praefectus***

L. * S.

PH. GIUSTINI, ***Secretarius.***

(1) *Latine:* 1. An et quomodo sanctirnonialibus Visitationis competat ius eligendi confessarium ordinarium?

2. An monialibus Visitationis spectet ius dimittendi confessarium ordinarium?

3. An moniales Visitationis retinere possint proprium confessarium ordinarium ad tempus indefinitum, cum immunitate a lege triennii pro duratione confessarii ordinarii in officio?

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CAUSAE

FEÄ SUMMARIA PRECUM

Num. II

VICTORIEN.

LEGATI MISSARUM

Die 18 Iulii 1903.

Species facti

Amalia de Arzabe y Beci dioecesis Victorien, in Hyspania, die 4 Ianuarii 1898 testamento inter alia disposuit « ut omnia bona sua impendantur in missarum celebrationem pro suffragio animae ipsius et aeterna requie parentum suorum, quarum tamen aliquae missae ad altare S. Iosephi Sponsi celebrandae erunt ». Ut autem voluntatis suae executioni bene prospiceret testatrix, quatuor instituit executores testamentarios, iisdem attribuens « omnimodam facultatem determinandi missarum numerum, necnon taxandi stipendium pro unaquaque missa aliaque huiusmodi peragendi, eos nominando omnes quatuor simul et unumquemque *in solidum,* quin ulla unquam auctoritas et potestas, ex quolibet titulo, possit aliter voluntatem ipsius testatricis interpretari ».

Ast quum testatrix e vivis erepta est , unus ex institutis executoribus praemortuus est, ac proinde ceteri tres de communi consensu totam legati massam, quae summam conficit 150 millia libellarum, aequali portione inter se diviserunt , quisque curans receptae portionis applicationem in finem a testatrice statutum. Nam unus ex his, nempe Pa-

rochus defunctae testatricis, ab Episcopo petiit ut quoddam fundare tur legatum in perpetuam missarum satisfactionem. Alter executor dubitavit, an eiusmodi fundatio fieri posset ab Episcopo et appositam quaestionem huic Sacrae Congregationi solvendam movit, qui, praemissa factorum expositione, solutionem horum dubiorum expetivit, videlicet :

I. Utrum verha « ***Missae celebrandae pro suffragio testatricis animae et aeterna requie parentum suorum*** » ita intelligenda sint et debeant, quatenus executor ipse testamentarius haud possit constituere legatum aliquod perpetuum pro missis celebrandis, sed omnis pecuniae summa insumenda sit in celebratione tot missarum manualium, vel potius ipse executor teneatur aliquod legatum perpetuum missarum constituere ?

II. Utrum attenta clausula « ***quod nulla unquam auctoritas et potestas, ex quocumque titulo, p<jssit aliter voluntatem ipsius testatricis interpretari*** », possit nihilominus Ordinarius loci propria auctoritate et etiam contra ipsius exécutons testamentarii voluntatem ordinare , quod perpetuum aliquod missarum celebrandarum legatum constituatur ***i***

Quid tertius executor superstes (qui nescitur utrum sit I. Urdampilleta vel I. de Angulo, ambo laici) de recepta haereditatis portione delibera veri t, quomodo scilicet eam impenderé velit in legati adimplementum, plane nescitur.

Interim haec S. Congregatio, edito decreto « ***Per summaria precum*** » scripsit ad Episcopum Victorien.: « Ut iniungat tribus executoribus testamentariis ut interim congruum missarum numerum, ab eo determinandum, celebrent vel celebrare faciant cum eleemosyna manuali ; expectent vero Sacrae Congregationis responsum, ut de reliquis summis disponere valeant ».

Informatio Episcopi

Super his, prout de more, informatio et votum Ordinarii Victorien, requisitum est; qui die 19 Octobris 1901 quoad intentionem Parochi executoris haec retulit : « recte

existimans nullo modo posse tam ingentem missarum copiam suae dispositioni commissam tempore debito adimplere in sua parochiali ecclesia, ubi duo tantum existunt sacerdotes, facultatem petivit Praelato suo infrascripto Episcopo instituendi aliquam, quae melior videretur, fundationem missarum perpetuar um. Quo viso, et attento etiam quod defuncta neque in forma et tempore celebrationis neque in eleemosyna vel stipendio conditionem aliquam testamentariis suis imposuisset, minime dubitavit infrascriptus, posse praefatum Parochum efficere ut sors hereditatis sibi credita in missis perpetuis constituatur, licentiamque eidem concessit instituendi capellaniam perpetuam et collativam in sua Parochia cum onere missae quoticiianae sicut volebat in suffragio animarum, quarum mentio fit in testamento et cum munere Parocho adiuvandi. Cum facienda erit ab infrascripto canonica erectio huiusmodi capellaniae, providebitur de quantitate dotationis illius cum redditibus super Regni debito interiori, quorum laminae, vulgo ***titulo de cuatro por ciento consolidarlo interior***, tradendae sunt in generali Deposito dioecesano, de quo capellanus accipiat redditus per trimestres ; et tunc obtinebitur quin ultimae voluntati defunctae ullo modo officietur, applicatio 365 missarum per singulos annos pro animabus in testamento citatis, et servitium alterius sacerdotis muneribus parochialibus necessarii, ut pietati fidelium ob missam quotidianam valde conveniens ».

Quoad alterum testamenti executorem Episcopus haec habet : « Ioannes Vincentius Dermit, presbyter , cuius libellum supplicem prae oculis habet infrascriptus, alter est de tribus executoribus testamentariis defunctae Amaliae Arzabe, qui tertiam aliam hereditatis suffragiis animarum dicatae partem accepit, vel accepturus est. In praedicta testamenti dispositione, quae praecipit executoribus testamentariis , ut universa summa hereditatis remanentis post legatorum solutionem, celebrationi missarum et suffragiorum pro animabus ipsius deponentis defunctae suorumque parentum et fratrum applicetur, imposita est tantum ea

conditio, ut aliquae missae, celebrentur in altare ubi Patriarchae S. Ioseph imago sacra veneratur; cetera omnia arbitrio executurum testamenti relicta sunt, quin tamen ulla potestas interpretari possit , aliam fuisse testatricis voluntatem ». Hisce praemissis nulla invenitur prohibitio dictis executoribus statuendi, prout prudenti arbitrio suo placuerit, fundationem quamlibet perpetuam missarum cum assignatione eleemosynae eisdem benevisae, conscio tamen et approbante Ordinario, quando opus fuerit. Ceterum interpretatio testamenti nemini prohiberi potest, quod enim defuncta interdicere indubitanter voluit, est mutatio suae dispositionis; quam mutationem, in aliam rem impendendo hereditatem, neque executores testamentarii, neque Ordinarius loci facere possunt : sed talis mutatio non fit in casu cum applicatione valoris hereditatis celebrationi missarum sive perpetuarum, quod minime prohibet particula testamenti, sive manualium, quod non privative vel taxative praecipit. Quapropter Episcopo exponenti videtur, salva tamen meliori Eminentissimorum sententia, expedire ut detur decretum eo sensu : « ***quod orator possit suum Ordinarium adire, sicuti fecit iam alter testamenti executor maioris praestantiae, et decisione illius acquiescere ».***

Animadversiones ex Officio

Imprimis notandum est quod nulla lege potuerunt executores testamentarii, arbitratu suo, inter se rem a testatrice legatam dividere, cum indivisam et veluti ***in solidum*** eam receperint, adeo ut omnibus, universis ét singulis de tota haereditate cura credita sit, non vero pro parte. Ipsi enim constituti fuerunt executores testamentarii hac expressa testatricis conditione : « nominando omnes quatuor executores testamentarios una simul et unumquemque ***in solidum ».*** At si ***individuum*** receperunt legatum satisfaciendum , illud ***dividuitm*** ex eorum arbitrio facere nequibant, eo vel magis quum assumptam obligationem restrin-

gere non valebant in praeiudicium legati executionem curantes singuli alicuius tantum legati partem. Hoc non obscure innuere visa est R. Rota in una ***Posnanien. - Legatorum,*** 6 Decembris 1748, quaestionem, an plures constituti executores in solidum conveniri queant de gesta administratione, licet non omnes administraverint, ita solvens : « Praecipue quia nulla habetur divisio huiusce administrationis vel a iudice vel a testatore facta, adeoque quemadmodum apud omnes individua fuit administratio haereditatis, ita quoque individua et solidalis nascitur eorum obligatio •erga legatarios ».

Neque excipere valet unusquisque executor se rationem redditurum de bonis sibi in administrationem concessis, quippe id procederet ubi ageretur de administratione particulari , et adesset divisio administrationis vel a iudice vel a testatore facta : secus autem ubi administratio fuit omnibus generalis et solidaliter attributa , et ab omnibus viritim acceptata. Quae obligatio, bona a testatrice legata in solidum administrandi, magis urgenda videtur in casu, •si attendatur praeter duos sacerdotes testamentarios , et laicum eis adiectum fuisse , quique praeterea non de facili hodie canonicis legibus compelli posset ut receptae legati portioni satisfaciat, in casu quo hoc adimplere negligat. Porro ceteri praestare tenerentur , quod iste in hypothesi omitteret, cum ea sit clausulae « ***in solidum*** » vis, ut unumquemque urgeat pro toto, prout omnes.

Praeterea res intimius et in meritum perpendenda sacerdos Dermit, alter ex executoribus, duo dubia in interpretationem legati Amaliae de Arzabe proposuit, quorum unum tantummodo hanc quaestionem respicere videtur, cum aliud Episcopi auctoritatem in illius executione impetiat, falso arbitratus testatricem quamlibet interdixisse cuiuscumque auctoritatis sententiam in legati interpretatione. Verum hoc ipsa testamenti verba explodere videntur, cum dicat : « quin ulla unquam auctoritas et potestas, ex quocumque titulo, possit aliter voluntatem ipsius testatricis interpre-

tari»: quae *mutationis* utique, non vero *interpretationis* inhibitionem continent.

Tota igitur quaestio in hoc recidere videtur, an scilicet testatrix, suam haereditatem legando in suae animae suorumque suffragium, verisimiliter voluerit ut legato satisfieret per manuales missas, vel potius per missarum fundationem : uno verbo, an legatum in casu, prout DD. loquuntur, sit *quantitatis* vel *speciei.* Et ad rem advertendum est, verba testatricis nil determinati quoad hoc continere. Unam tantum executoribus testamentariis adiectam voluit conditionem, i. e. quod nonnullae missae, relicto numeri et stipendii determinatione eorum arbitrio, celebrarentur ad altare Divo Ioseph dicatum : praeterea in suae voluntatis executionem amplissimam fecit ipsis executoribus facultatem tempus etiam ad hoc protrahendo ultra quadriennium a civili lege hyspanica taxatum. Ambigendum igitur non videtur, in horum executorum arbitrio esse, unum vel alium modum seligendi ad recepti legati satisfactionem.

Verumtamen ex alia parte probe notandum est, hodie executores testamentarios in discordia versari circa legati de Arzabe executionem ; quapropter unus quaestionem solvendam commisit iudicio EE. PP., et alter, licet fundationis missarum adprobationem exquisierit ab Ordinario, hucusque tamen res in suspenso mansit, ut H. S. O. praestoletur responsum ; de tertio executore nil dignoscitur. Sed legatum, utpote individuum, unam eamdemque formam executionis, iuxta superius tradita, sortiri debet; atque in casu, discrepantibus executoribus, ius esse debet auctoritatis ecclesiasticae suam interponere sententiam, cui se subiicere ipsi teaentur, prout docet Amostazo *(De causis piis I. 4, c. 4, n. 23).*

Verum adnotare praestat, supremae auctoritatis decretum tunc tantum locum habere, cum sunt executorum discordes sententiae aut alienae a voluntate testatoris, non vero cum legitime maior eorum pars in unum conveniat, alio vel aliis forte dissentientibus ; tunc enim, aiente Car-

dinali de Luca *(De Test. dise. 56, n. 10):* « gesta a maiori parte executorum praevalere debet ». Ast in casu, cum tres sint superstites executores legati de Arzabe, duorum tantum panditur mens et voluntas, cum unus pro fundatione, et alter pro missarum manualitate non obscure certet : tertius vero, num uni vel alteri accedat, ipse Episcopus ignorare videtur. Ast hunc de sua sententia explorare necessarium oppido videtur, etenim cum inter manualitatem et missarum fundationem medium non detur, et illi vel huic accedere teneatur iste ignotus executor, hinc est quod, utroque in casu, huius deliberatio quaestionem solvere potest et formam satisfaciendi legato determinabit ; vel saltem omnibus executoribus discordantibus vel non recte agentibus quoad modum executionis, via aperietur Episcopo dandi definitivum decretum.

Demum cum sacerdos Dermit, ab EE. PP. solutionem «quaestionis a se propositae provocet, hinc animadvertere iuvat, prae oculis esse habendam temporum conditionem, ad hoc ut legatum debito modo executioni mandetur; quippe ingens missarum manualium numerus in illimitato privatorum executorum arbitrio relictus, prudentissimum iniicere videtur dubium super illarum scrupolosa et recta satisfactione, praesertim si di versus executorum status et animus perpendatur.

Ceterum et illimitatae facultates executoribus concessae per hoc laedi non videntur, cum efiraenatae clausulae, iuxta DD. sententiam, suis limitibus non careant, imo iuxta Mantica *(De Coniect., Tilt. vol. I. 8, tit. o, n. 8),* et Card. de Luca *(De Testara, disc. 68, n. 4),* ad arbitrium boni viri sunt reducendae. Quod eo magis urget, si consideretur, executores saltem in foro conscientiae teneri, non quocumque modo, sed congruentiore, ultimas testatorum voluntates executioni mandare. Sed aptius et securius procul dubio esse, exequi legatum in specie per missarum fundationem, quam jDer manuales missas, ipsa rei natura docet.

Equidem si EE. PP. placuerit Oratori rescribere, mis-

sarum fundationem in casu faciendam esse, tunc e medio ablata est quaecumque difficultas cum duo executores iam in unam eamdemque convenirent sententiam quoad legatum exequendum et exinde legem traderent tertio executor!, ut ipsis accederet, iuxta DD. sententiam superius traditam, i. e. quod « gesta a maiori parte executorum praevalere debet ».

Postremo loco animadvertendum est Episcopum in suo voto significare intentionem addendi huic legato onus adiuvandi parochum, quin tamen capellanus hoc legato donatus aliam recipiat mercedem praeter stipendium missarum, ut videtur. Quod sane onus obstare non dicendum est voluntati testatricis.

Quare etc.

Resolutio

S. Congregatio Concilii, omnibus perpensis, die 18 Iulii 1903 hanc dedit responsionem :

Ad mentem.

IN FOLIO

Num. II.

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 18 Iulii 1903.

Sess. 24, c. 1, De ref. matr.

Species facti

Franklin...., defuncto patre a. 1875, adhuc adolescens ex Anglia matrem sequutus est Parisios in Gallia, ubi amore captus est erga quandam Blancam......, cum qua cogitare coepit de matrimonio contrahendo. Et quia ambo sectae

protestanticae addicti erant, domicilium, uti asseritur, adhuc Parisiis foventes, die 12 Ianuarii 1901 Angliam petierunt , ibique coram ministro acatholico," in loco vulgo *Poignton*, die 14 Februarii eiusdem anni matrimoniali foedere iuncti sunt. At hae nuptiae , licet fausto viderentur omine celebratae, adeo infelicem exitum habuerunt, ut, quamvis trina sobóles ex eis fuisset procreata, undecim post annos ab inito coniugio vita familiaris abrupta fuerit, atque tribunal civile, instante muliere, divortii sententiam pronunciaverit.

Postea cum Franklin de novis ineundis nuptiis cum quadam puella catholica cogitaret, cumque huic secundo coniugio prioris ligamen obstaret, Curiam Parisiensem adiit, enixe flagitans declarationem nullitatis dicti matrimonii ob formae tridentinae defectum, ac una simul promittens se fidem catholicam amplexurum esse, si liber factus coram Ecclesia, puellam catholicam ducere posset. Incepto tamen processu, nedum ille promissis stetit, sed et matrimonium cum eadem coram ministello protestante contraxit; quare Curia Parisien, causam suspendit, eamque non reassumpsit, nisi instante muliere Cauvin, quae ad meliorem frugem redire exoptabat. Tandem, absoluto processu, die 30 Octobris 1902 Curia sententiam edidit, qua matrimonium inter Franklin et Blancam initum declaravit nullum ex capite clandestinitatis.

Cum autem ab hac sententia ad S. Sedem appellaverit vinculi defensor, H. S. Congregationis iudicio causa definienda proposita est sub dubio :

An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Allegationes Patroni

Actoris advocatus contendit *sententiam Curiae Parisiensis confirmandam esse in casu;* quod pluribus argumentis demonstrat.

Et in primis animadvertit ambos coniuges, quamvis haereticos, subiectos esse decreto « ***Tametsi*** » ratione domicilii quod unus et altera Parisiis habebant. Nam H, S. C. die 8 Ianuarii 1678 probante Innocentio XI declaravit : « haereticos quoque, ubi decretum est promulgatum, teneri talem formam observare, proinde eorum matrimonia, non servata forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu civili contracta, irrita et nulla esse ». Eandem declarationem dederat eadem S. C. die 8 Ianuarii 1663, et die 3 Septembris 1772 in Instructione ad Episcopum Genevensem. Insuper ambo coniuges domicilium Parisiis habuerunt ; nam Blanca, nullum aliud domicilium habuit quam illud parentum, apud quos et cum quibus Parisiis ipsa morabatur; item Franklin, adhuc minor, domicilium necessarium apud matrem, cum qua degebat Parisiis, habebat. Quum igitur, arguit orator, Concilium Tridentinum in Gallia publicatum fuerit et coniuges domicilium Parisiis habuerint, sequitur quod ipsi, quamquam haeretici, lege tridentina tenebantur, ac proinde sub poena nullitatis debebant matrimonium contrahere coram proprio parocho.

E contra coniugium in Anglia coram ministro acatholico celebratum fuit, ideoque absque parocho proprio alterutrius coniugis. Nec coniuges a proprio parocho delegationem petierunt; imo haec delegatio ne concipi quidem potest, agitur enim de haereticis , quibus parum interest, coram hoc vel illo proprii cultus ministro nubere. Et etiamsi delegatio extitisset, nulla prorsus fuisset, quia parochus delegare non potest nisi alium sacerdotem, et minister anglicanus non est verus sacerdos.

Sed matrimonium, addit orator, celebratum fuit in Anglia, ubi decretum « ***Tametsi*** », cum ibi publicatum non fuerit, matrimonia valide contrahuntur praesente cuiuslibet cultus ministro, dummodo contrahentes legi tridentinae subiecti non sint vel subiectos esse desierint, quod fit per acquisitionem domicilii vel quasi domicilii. Sed nec Franklin nec Blanca domicilium aut quasi domicilium in Anglia acquisierunt.

Heic tamen obiter notat patronus, quod ut quis a praescriptionibus tridentinis immunis fiat, domicilium in loco ubi lex non viget acquirere debet. Nec audiendi sunt, iuxta ipsum, illi auctores, qui accipientes verba « *cum fraude* » in sensu malae fidei seu fraudis intentionalis, existimarunt bonam fidem sufficere ad matrimonium valide contrahendum. Etenim verba « *cum fraude* » in sensu fraudis iuridicae intelligi debent. Quod ut probet affert quae tradit Gasparri *de matr. 11, n. 985* et Benedictus XIV *in Inst. Eccl. 33, n. 9*. Ex quo patet, inquit orator, neminem a lege tridentina exemptum fieri nisi per acquisitionem domicilii aut quasi domicilii in loco ubi ea lex non viget, nulla habita ratione de intentione contrahentium, sed admissa dumtaxat in ipsis fraude iuridica.

Hisce positis, advocatus ait extra omne dubium esse Blancam non habuisse domicilium in Anglia; sed ipsa nec quasi domicilium ibidem acquisivit. Sane sponsa bis dumtaxat, commorata est in Anglia, at causa omnino transeunte, quae non solum sufficere non poterat ad quasi domicilium constituendum sed quae quasi domicilium excludebat. Causa enim primae commorationis, non ultra duos menses protractae, fuit visitatio fratris, rusticatio, mare et alia huiusmodi. Et dato etiam et nullimode concesso, quod per hanc commorationem Blanca quasi domicilium in Anglia acquisivisset, hoc quasi domicilium desiit ob rationem discessus, veluti quodlibet quasi domicilium desinit, duobus elementis, ex quibus ortum duxit, cessantibus. Altera commoratio ad nuptiarum celebrationis tempus se refert, sponsi enim in Anglia permanserunt brevi unius mensis spatio pro matrimonii celebratione et postea, Parisios redierunt; causa autem coniugium celebrandi ex se excludit animum permanendi per maiorem anni partem ac proinde quasi domicilium. Quod si quis obiicere velit praesumptionem quasi domicilii (de qua Benedictus XIV in sua epistola « *Paucis annis* ») ex commemoratione unius mensis ante matrimonium depromptam, respondet orator: I° ibi agi de prae-

sumptione iuris tantum et non iuris et de iure, quae nempe admittit contrariam probationem ; iamvero 2° haec contraria probatio satis superque ex eo colligitur quod nos minime sumus in hypothesi a Benedicto XIV facta, qui loquebatur de catholicis alio transeuntibus, ne in propria sede matrimonium contraherent. Sed hic animus admitti nequit in duobus haereticis, tridentinae legis omnino ignaris, nullumque animum habentibus eam effugiendi vel servandi. Praeterea 3° abest etiam commoratio unius mensis, nam sponsi per plures dies Londini com morati sunt antequam ad pagum ***Paignton*** se conferrent.

Deinde advocatus eamdem demonstrationem instituit quoad Franklin. Ipse enim non habebat nec habere poterat domicilium in Anglia, quia eius domicilium necessarium erat apud matrem Parisiis. Et sane explorati iuris est, filias vel filios minores non emancipatus a potestate paterna, usque ad maiorem aetatem, domicilium verum retinere in domo paterna vel materna, quod libere pro suo arbitrio relinquere non possunt, nisi postquam pervenerunt ad aetatem maiorem, aut emancipationem consecuti sunt. Iamvero certum est actoris matrem, secundis nuptiis contractis, domicilium Parisiis fixisse illudque nunquam deseruisse ; certum est Franklin cum matre, sub cuius potestate erat, semper et constanter habitavisse; ergo certum est etiam domicilium ***iuris*** seu necessarium imo et ***facti*** apud matrem Parisiis eum habuisse, quod domicilium sufficit per se ad quodlibet aliud excludendum in Anglia.

Insuper vir nec quasi-domicilium in Anglia habuit tempore celebrationis coniugii ; et dato etiam et non concesso quod quasi-domicilium vertente anno 1890 acquisivisset, illud nuptiarum tempore amisisse. Et sane quasi-domicilium duobus elementis conficitur, seu commoratione et animo permanendi per maiorem anni partem in aliquo loco. Doctrina, quae hanc materiam regit ad duo principia reduci potest, scilicet: 1° Quod commoratio ad sex menses producta, vehementissima!!! acquirendi quasi-domicilium prae-

sumptionem constituat, quia commoratio sex mensium, grave indicium est intentionis permanendi per maiorem anni partem. Attamen haec praesumptio est iuris tantum, et non iuris et de iure, seu contrariam probationem recipit, excepto casu, in quo evaserit praesumptio iuris et de iure, veluti Parisiis ob decretum S. O. S. Officii anni 1899. 2° Quod factum commorationis unius mensis sit praesumptio intentionis acquirendi quasi-domicilium, quando quis in aliquem locum se confert matrimonii celebrandi causa, qui matrimonium contrahere non vult in loco ubi Concilium Tridentinum viget. Haec praesumptio oritur ex celebri constitutione Benedicti XIV « ***Paucis abhinc*** ». Sed in casu, iuxta patronum, non agitur nec de prima, nec de altera praesumptione. Non de prima, quia in facto Franklin ante matrimonium numquam in Anglia sex menses consecutivos transegit, et dato etiam, sed minime concesso, quod per sex menses, labente anno 1890, ibi commoratus fuerit, nihil inde consequeretur ; nam probari deberet, tempore celebrationis matrimonii, seu in ultima commoratione quasi-domicilium ibi habuisse. Neque agitur de altera praesumptione: I° quia nemo sanae mentis cogitare poterit Franklin in Angliam se contulisse matrimonii celebrandi causa, ne illud contraheret in loco ubi decretum « ***Tametsi*** » vigebat, nam si etiam Parisiis nupsisset, certo certius, ait orator, matrimonium coram parocho proprio non contraxisset ; 2°quia unius mensis spatio in pago ***Paignton*** commoratus non est, quod per se applicationem praesumptionis benedictinae excludit.

Quoad vero intentionem permanendi per maiorem anni partem, haec colligitur a ratione commorationis. Nam Franklin a. 1890 labente in Angliam venit, ibique sex mensibus in toto, a fortiori sex mensibus consecutivis non permansit; imo commorationis causa fuit transitoria, nempe visitatio fratrum, ac proinde deerat omnino ratio necessaria ad determinandum animum commorandi per maiorem anni partem. Ultima commoratio locum habuit tempore ce-

lebrationis matrimonii per mensem dumtaxat, quod proinde sufficere nequit ad acquirendum quasi-domicilium.

Contendit insuper advocatus falsitatem quorumdam testium asserendum coniuges quasi-domicilium in Anglia habuisse ; nam eorum depositiones, praeterquam quod sunt inter se discrepantes, adversantur aliis testium maiori fide digniorum.

Quapropter concludit patrocinator, cum coniuges, quamvis haeretici, decreto « ***Tametsi*** » tenerentur ratione domicilii parisiensis, et extra domicilium proprium nupserint absque ulla delegatione, eorum matrimonium esse nullum et sententiam Curiae Parisiensis esse confirmandam.

Allegationes defensoris vinculi.

Sacramenti vindex ex officio contendit non constare de nullitate matrimonii in casu, ac proinde infirmandam esse sententiam Curiae Parisiensis.

Et imprimis quaestionem praeiudicialem instaurat : ***an nempe expédiât in genere causas de matrimoniis inter haereticos initis cognoscendas suscipere in foro ecclesiastico.*** Nam haeretici (dummodo valide baptizati) quamvis Ecclesiae potestati et iurisdictioni de iure subiiciantur , tamen de facto in ea conditione versantur, ut non facile et certe absque Apostolica facultate videantur admittendi ad lites instaurandas in nostro foro ; quo posito, causa de qua agitur veluti per se excideret, nec ad ulteriora esset procedendum. Et re quidem vera omnes profecto norunt quanta aversione Ecclesia Christi haereticos semper fuerit prosequuta, eos appellando ***antichristos*** et ***seductores.*** Idque eo magis quod haeretici, quando ad forum Ecclesiae confugiunt, veram comoediam agere videntur, quum in casu concreto se subiiciunt illi auctoritati, quam in abstracto spernunt. Insuper haeretici, utpote excommunicati, forensi communione privantur; secus enim haberentur plura incommoda, quia plerumque admittendi sunt ad testimonium ferendum ipsi

haeretici, quos lex canonica generatim ab attestatione facienda repellit, et saepe huiusmodi causae inextricabilibus involvuntur ambagibus, quum praeter alia saepe de valore baptismatis dubitandum sit. Nec obiiciatur, curias episcopales cognoscere posse causas matrimoniales attingentes haereticos, quum praesumptio oriatur boni aut fidei aut fidelium ; sed in casu nostro, dum actor, ante processus cognitionem in Curia, affirmaverat sponte « se in eo esse, ut haeresim abiuraret et catholicus fieret ad puellam catholicam in matrimonium ducendam, si liber esset coram Ecclesia catholica », in facto tamen promissionem spernens, cum puella catholica coram ministro protestante contraxit.

Deinde matrimonii defensor quaestionem ponit: ***an in genere quoad haereticorum matrimonia, et in specie quoad matrimonium,*** de quo agitur, ***difficultates exoriri possint ex capite baptismatis.*** Nam baptismum invalide collatum nullius prorsus roboris est, ac proinde quum invalide baptizatus sit essentialiter in eadem conditione coram Ecclesia ac nullo modo baptizatus, legibus Ecclesiae minime per se et in se obstringitur. Penes protestantes autem baptisma saepissime ita confertur ut nullum valorem habeat; unde taliter baptizati reapse minime sunt baptizati et hinc sunt penitus immunes a legibus Ecclesiae. Cfr. Scavini in sua Theologia mor. lib. III edit. XIII, pag. 184 n. 218. In casu nostro, si supportantur coniuges ***certe*** invalide baptizati, matrimonium ipsorum erit invalidum; imo et si supponatur saltem ***probabiliter*** baptizati, nullo modo procedi poterit ad decernendum de nullitate, nisi antea liquatis dubiis, quae circa sponsorum baptismum habentur.

Nec obiiciat patronus : omne factum praesumitur recte factum ; nam adagium hoc iuridicum tunc obtinet , quum ex communiter contingentibus aliquid rite factum fuisse iure merito coniicere possumus.

Nec tamen subsumat adversarius : ex principio, quod ab ipsis etiam SS. Congregationibus romanis retinetur, baptisma si reapse collatum, semper validum est praesumendum

in ordine ad matrimonium ; nam hoc principium valet quum agitur de matrimonio conservando seu, ut aiunt iuristae, ***manutenendos*** non autem, ut in casu nostro, de matrimonio dissolvendo. Matrimonii enim causa inter favorabiles recensetur, ac proinde semel constito de eius celebratione pro eius valore pronunciandum est; quod principium penitus subverteretur, si applicaretur coniugio, quod non est aut certe aut probabiliter nisi matrimonium naturale ex defectu validi baptismatis.

Gradum deinde faciens orator ad aliam quaestionem nempe : ***quo sensu sit intelligenda in genere fraus quoad eos, qui, ex loco ubi viget disciplina tridentina de clandestininate, se trasferunt in loca, ubi ea non viget;*** animadvertit quod quamvis leges per se generatim haberi debeant uti territoriales, idque in vim principii a Bonifacio VIII solemniter traditi et semper custoditi : « ***Extra territorium ius dicenti impune non paretur*** »; tamen haec regula de legum territorialitate licet generalis, non est tamen semper constans. Et reapse falli ea incipit, quando legislator iustis de causis vetat, quominus quis ne legem servet, seu ad legem declinandam, alio concedat. Casu autem hoc contingente, si quis, lege non obstante, alio reapse concedat, ut eam effugiat, dicitur ***agere in fraudem legis ;*** idque mentissimo, nam, quamvis ita agens videatur legem revereri, quia se confert, ubi ea non viget, eam tamen reapse infringit, quum contra eius voluntatem nitatur. Celebratissima exempla huiusmodi prohibitionum, ne fraus legi fìat, nobis suppeditant canonicae leges, tum in Litteris apostolicis ***« Superna*** », quibus Clemens X die 21 iunii 1670 prohibuit, ne quis ad eludendam legem reservationis (quoad Sacramentum poenitentiae) e territorio suo discederet ; ac potissimum Breve: « ***Exponi nobis*** », quo Urbanus VIII die 14 augusti 1627 interdixit, ne quis ad eludendam legem clandestinitatis (quoad matrimonium) item alio concederet. Nam in vim harum Clementis et Urbani dispositionum nequit quis, qui ad reservationis vel clandestinitatis leges

declinandas alio fraudulenter concedit, ibidem aut valide absolvi aut valide matrimonium inire, nisi, ut par est, peenitus purgata fuerit fraus per adquisitionem domicilii aut quasi-domicilii.

Fraudulenter tandem diximus, pergit vinculi defensor, seu eo animi consilio, ut legi reapse non fìat satis, quamvis fiat satis apparenter, seu se transferendo ubi non viget. Hoc enim in suo conceptu importat fraus, ut quis verbum legis videatur servare, sed adversum eius spiritum revera conetur, iuxta utriusque iuris regulam a Bonifacio VIII relatam in Tit. ***De regulis iuris*** N. 88 : « ***Certum est quod is committit in legem, qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem »***.

At numquid, quaerit orator, et huiuscemodi fraudis reus dici debebit ille, qui, alio quidem concedit, at non eo animo proprie ut legem declinet, sed v. g. rusticationis aut peregrinationis gratia, ac ibidem, opportuna arrepta occasione, vel confitetur vel celebrat ? Aliis verbis numquid praeter veram proprieque dictam fraudem, quae certissime in eo est, qui ***expresse vult*** legem eludere, admittenda ne est fraus mere facti, in eo consistens, quod quis alibi confitetur vel contrahit ac in suo territorio, sed id non facit directe ad legem eludendam, sed alia quacumque causa, v. g. commoditatis, id ei suadente?

Plurimi admittunt, pergit orator, fraudem facti aequipollentem fraudi iuris, et in eo consistentem, ut, dum quis debebat coram parocho suo matrimonium celebrare, coram alio celebrat, iam censendus est et parochum et legem simul fraudare. Sed Sacramenti vindex illorum sententiae adhaeret, qui etiam hodie mordicus contendunt huiusmodi fraudem facti non esse nisi vanissimum commentum non solum a verbis Urbani VIII, sed et a sensu communi, et a regulis iuris prorsus alienum.

Et re quidem vera, inquit, Urbanus probans celeberrimam responsionem a S. V. C. datam a. 1626 ad Archiep. Coloniensem aperte loquitur, de iis, qui quum lege triden-

tina teneantur, ***se transferunt seu transeunt*** alio, ubi non viget, ***cum fraude***____Ergo, infert orator, qui se transfert seu transit sine fraude sub prohibitione non cadit. Quo sensu etiam S. C. de Prop. Fide rescribens ad Ep. Heliopolitanum a. 1670, ad 3 dubium sic conceptum: « An qui in propria parochia Concilii decretum circa matrimonia audivit, possit in aliis locis in quibus non est publicatum decretum, sine parocho matrimonium contrahere »; reposuit: « Ad 3 licere iuxta decretum eiusdem S. C. C. ***modo non fiat in fraudem »***.

Quod si obiicias auctoritatem S. C, quae aliam visae sunt per responsiones suas dare dispositioni Urbani interpretationem, eam extendendo ad fraudem meri facti ; respondet vinculi defensor, unam vel aliam responsionem per se ius non facere, nec probari posse iurisprudentiam Curiae in hac interpretatione sustinenda talem fuisse ut ex repetitis decisionibus efformata fuerit vera iudicialis consuetudo. Neque movet oratorem auctoritas Bened. XIV in suis Inst. XXXIII, n. 9 allata ab advocato, nam auctor harum Institutionum non est, inquit, Benedictus XIV Romanus Pontifex ut legislator, verum Prosper Lambertini, privatus doctor.

Tandem Sacramenti vindex sermonem instituit de postrema quaestione : ***aa in specie huiuscemodi fraus cadere possit in haereticae sectae adscriptis, et an in protestantibus Bianca et Franhlin ea sit agnoscenda vel non.***

Et respondet negative quia si plenissime licet theoriam de fraude meri facti in genere impugnare, id tanto magis praestare fas erit, tunc quum agitur de haereticis, seu de protestantibus in secta acatholica natis et enutritis. Sane aliena a ***verbis dispositionis*** Urbani est interpretatio fraudem, agnoscens meri facti. Verum, eo vel magis id repetendum, quum agitur de haereticis, qui certissime non se transferunt seu transeunt in loca ubi viget decretum « ***Tametsi »,*** ut parochum suum declinent; nam nullimode potest alio ex fraude concedere, ad parochi forum declinandum, ille qui nullo prorsus modo scit se parochum habere.

Caeterum, inquit orator, etiam dato et non concesso, dispositionem Urbani per consuetudinem iudicialem extensam fuisse etiam ad fraudem facti , nemo potest asserere sine temeritate interpretationem hanc etiam haereticos attingere, quos profecto primaeva Urbani dispositio non attingebat, quum esset concepta de agentibus in fraudem, cuius quidem fraudis haeretici in subiecta materia incapaces esse solent, quippe plene legem ignorantes.

Hisce omnibus praemissis, Sacramenti vindex tria petit: I° ut, praeiudiciali responso, in quaestionem de causis matrimonialibus haereticos attingentibus, in foro nostro instaurandis vel non, sententia detur: 2° ut, dilatorio responso, mandetur uberius edoceri de collatione et legitimitate baptismatis ab utroque sponso suscepti ; 3° ut, dilatorio responso, mandetur solvi antea quaestionem in puncto iuris : « An lege Urbani, vetantis ne in fraudem matrimonium contrahatur, comprehendantur etiam haeretici in secta catholica nati et enutriti ».

Unde propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An .sententia Ctcriae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casui

Resolutio

S. Congregatio Concilii, omnibus mature perpensis, die 18 Iulii 1903, respondendum censuit :

Sententiam esse confirmandam.

Colliges.

I. Haeretici quoque tenentur decreto « ***Tametsi*** » Concilii Tridentini, quando degunt iis in locis, in quibus huiusmodi Caput est promulgatum.

IL Hinc etiam haeretici, degentes in loco ubi decretum < ***Tametsi*** » est publicatum, et ***cum fraude*** transeuntes ad

ineundas nuptias in locum, ubi Concilium non est promulgatum, irritum ac nullum matrimonium contrahunt.

III. Quoad interpretationem autem formulae « ***cum fraude*** » Doctores in duplicem abeunt sententiam. Nonnulli enim eam interpretantur de dolo seu fraude subiectiva, quae consistit in animo eludendi legem; alii vero de fraude obiectiva seu iuridica quae consistit in facto legi contrario. Tamen S. Concilii Congregatio in suis decisionibus, sicut in praesenti, huic secundae sententiae accedere videtur.

IV. In facti specie coniuges domicilium in Gallia habuerunt, nec domicilium aut quasi-domicilium in Anglia acquisierunt; insuper nulla fuit nec esse potuit delegatio ex parte proprii parochi ad nuptias in Anglia celebrandas. Quare Emi Patres iudicarunt de nullitate matrimonii in casu ex capite clandestinitatis.

IN FOLIO

Num. VII.

SYPONTINA

IURIUM

Die 18 Iulii 1903.

Sess. 22, cap 9, de ref.

Species facti

In oppido « ***S. Giovanni Rotondo*** » archidioeceseos Sypontinae extat confraternitas SSmi Sacramenti in ecclesia S. Catharinae. Rector ecclesiae et confraternitatis fuit canonicus Michael Limongelli usque ad a. 1900, quum nempe rectoratum alterius ecclesiae S. Ioannis Baptistae suscepit. Tunc temporis orta lis est inter can. Limongelli et confraternitatem circa sacra quaedam suppellectilia, quorum

ius proprietatis utraque pars sibi vindicat; sunt nempe: I°. ostensorium argenteum, 2°. corona argentea, 3°. liber manuscripta, nomine «*platea*», ex antiquis chartis modo deperditis desumptus, reditus atque confraternitatis administrationem continens, 4°. velum calicis.

Insuper sacerdos Limongelli aliam quaestionem movet de proprietate statuae S. Agnetis V. et M. adversus piam Unionem Filiarum Mariae, cuius ipse rector spiritualis olim existebat.

Obiecta ista can. Limongelli domi retinere solebat, eaque ad ecclesiam S. Catharinae occasione tantum alicuius festi deferri sinebat, statim eadem domum secum asportans. Quando igitur a. 1900 can. Limongelli muneri rectoris confraternitatis a SSmo Sacramento renuntiavit, eas res confraternitati tradere recusabat, quapropter confraternitas, ad ista obiecta sibi repetenda, Curiae archiepiscopali instantiam obtulit.

Die vero 24 iunii 1900 Archiepiscopus Sypontinus, cum in locum « *S. Giovanni Rotondo* » visitationem pastoralem instituisset, res controversas sibi traditas secum tulit easque Vicarii Foranei curae deposito dedit; interim ad sopiendas discordias canonicum Limongelli exhortatus est, ut relicta ecclesia S. Ioannis Baptistae, iterum rectoratum ecclesiae S. Catharinae ac confraternitatis SSmi Sacramenti assumeret. Sed renuente canonico Limongelli, die 15 iulii 1901 Archiepiscopus ab excipiendis fidelium confessionibus eum suspendit.

Demum die 8 ianuarii 1902 ipse Ordinarius Sypontinus, minime cessantibus controversiis et tumultuum occasionibus, post summariam processus instructionem, contrariam canonico Limongelli sententiam protulit, iubensque res religiosas confraternitati SSmi Sacramenti restituendas. De proprietate autem statuae S. Agnetis sententia nihil edixit.

Huic sententiae haud acquievit can. Limongelli, atque die 16 ianuarii 1902 appellationem apud S. Sedem interposuit. Quamobrem hodie instantia proponitur definienda sub dubiis:

I. ***An*** *sententia Archiepiscopi diei 8 ianuarii 1902 sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

II. *An statua S. Agnetis V. et M. sit restituenda sa-sacerdoti Limongelli seu potius eidem sit restituenda summa, pro emenda statua, impensa in casui*

Allegationes Canonici

Can. Limongelli imprimis conqueritur quod ante latam sententiam iniuste sua possessione spoliatus fuerit et post sententiam, interposita appellatione, Archiepiscopus decretum suspensionis contra ipsum tulerit contra iuris regulam: « Ne lite pendente aliquid innovetur ». Deinde gradum facit orator ad legitimum ius proprietatis sibi vindicandum.

Quoad ostensorium et coronam sacerdos Limongelli arguit ex facto quod nomen « *Michele Can. Limongelli* » iam ab a. 1886 in eisdem incisum existit; cuius incisionis adducit notulam expensarum ac incisores. Cum autem eius adversarii, arguit canonicus, hanc dominii affirmationem ab eo factam cognoscerent, neque quererentur, patet eosdem implicite et luculenter fassos esse proprietatem illarum rerum ad can. Limongelli pertinere. Ideoque hodie harum dominium, saltem ex praescriptione, vi tam diuturnae ac pacificae possessionis, ipse sibi vindicat.

Deinde canonicus adnotat dicta obiecta, nemine contradicente, se domi semper retinuisse, eaque ipsis sodalibus pro suo arbitrio, ad sacras coeremonias peragendas praebuisse.

Insuper sacerdos Limongelli. complurium exhibet scriptum testimonium ex quo eruitur haec suppellectili eiusdem sumptibus comparata fuisse ac in ipsius possessione et usu semper mansisse ; immo denegatas ab ipso fuisse fidelium oblationes quas ad illa emenda conferre volebant. Habentur testes qui ius proprietatis canonici deducunt ex eo quod nomen illius controversis obiectis sit incisum ; tandem quinque socii confraternitatis Septem dolorum asserunt

sacerdotem Limongelli saepe saepius etiam in ipsorum ecclesia S. Nicolai dictum ostensorium adhibuisse.

Demum, arguit canonicus, a. 1895 ecclesia **S.** Catharinae ab Archiepiscopo Sypontino fuit interdicto supposita ac proinde omnia sacra suppellectilia confraternitatis a SSmo Sacramento ipsi sacerdoti Limongelli tradita sunt custodiae; mense autem septembri a. 1896 eadem suppellectilia ipse restituit praeter res, quae nunc inter litigiosas recensentur, et tamen syngraphas habuit a confratribus, quibus omnia ad se pertinentia recepisse ipsi testantur.

Relate vero ad librum administrationis et velum calicis, can. Limongelli simpliciter asserit ea semper in sua possessione extitisse, quia velum ab ipso propriis sumptibus fuit comparatum, atque librum a seipso conscriptum fuit et suo usui destinatum, ut vel libri inscriptio denotat : « *ad uso del Canonico Michele Limongelli* ». In genere canonicus Limongelli absque ambagibus asserit se haec omnia utensilia, quibus et confraternitas et aliae ecclesiae indigebant, eo consilio acquisivisse ut eadem locaret certa pacta mercede, unde ipse et eius sorores nubiles retraherent necessaria vitae sustentandae.

Demum quoad statuum S. Agnetis, can. Limongelli asserit suis expensis , rogatus a pia Unione, statuam acquisivisse , eo tamen animo ut fideles et praesertim sorores sodales piae Unionis stipem conferrent, prout spoponderunt; item de suo impendit pro emendis vestibus et statuae ornamentis. Expensae autem, quas ipse nomine piae Unionis fecit, ad 340 libellas attingunt ; quare concludit si a 340 libellis detrahantur illae 75,75 lib. a pia Unione de facto acceptae, solvenda supersunt 264, 25 libellae, et tamen eas pia Unio refundere recusavit. Nihilo secius dictus canonicus contendit ipsi spectare statuam S. Agnetis, quum fere ex toto eam solverit.

Allegationes contrariae

Ex adverso confraternitas a SSmo Sacramento sibi vindicat proprietatem ostensorii et coronae, necnon veli et libri manuscripti.

Sane quoad ostensorium et coronam confraternitas contendit aequisitioni horum utensilium oblationes fidelium concurrisse, uti constat ex ipsis notulis a can. Limongelli exhibitis.

Deinde, ait confraternitas, ipse canonicus non obscuris verbis, istam coronam acquisitam fuisse per fidelium oblationes declaravit, dum functionem peragebat solemnem apponendi coronam fronti sacrae imagini. Refert enim confraternitas, canonicum se dixisse fidelium mandatarium in apponenda hac corona in fronte B. M. Virginis; imo canonicus Merla testatur, Limongelli tunc gratias retulisse fidelibus, utpote oblatoribus. Et praesertim quoad ostensorium, asserunt sodales, ipsum canonicum ne tentasse quidem contradicere declarationi, quam dederunt fideles oblatores coram Vicario Foraneo. Quod si numerosiores testes adduci nequeunt, hoc pendet ab ipso Limongelli, qui vel testes corrumpere vel timore cohibere sategit.

Deinde advertunt sodales ex ipsa eorumdem obiectorum destinatione constare huiusmodi utensilia ad cultum et ad ecclesiam pertinere, cum ne concipi quidem possit sacerdotem sibi in proprietatem has res acquirere. Etenim in dubio iuristae rerum proprietatem arguunt ex harum destinatione, tamquam ex fine. Et de ostensorio, asserunt sodales, illud confectum fuisse, quando can. Limongelli erat capellanus confraternitatis, quae ostensorio carebat. Corona vero est veluti tertia corona seu complementum affabre adiectum coronae iampridem appositae in fronte B. M. Virginis ; accessorium autem sequitur principale.

Neque iuvat, notant sodales, nomen can. Limongelli fuisse insculptum tum in corona tum in ostensorio ; nam

advertunt, hunc factum esse arbitrarium et reprobandum, postquam probationibus evictum est haec utensilia fuisse comparata fidelium oblationibus, et postquam ipse Limongelli asserebat se hoc fecisse ut res ipsas a periculo fiscalis direptionis subtraheret.

Limongelli obiicienti attestationem datam a confratribus, in qua ostensorium et corona non recensentur, sodales reponunt in illa attestatione neutrum esse debebat, quia alia sacra obiecta non autem haec, cum facultate auctoriratis ecclesiasticae, devendita fuerunt propter confraternitatis necessitatem.

Et quia canonicus attestationes affert quibus asseritur, ipsum respuisse nonnullas fidelium oblationes, declarata sua intentione emendi suis expensis et in suam proprietatem ostensorium et coronam, respondet confraternitas, hoc ad summum probare oblationes iam collectas fuisse sufficientes et superabundantes, uti testatur quaedam Constantia Tortorelli.

Quoad velum calicis et librum « ***platea*** » nuncupatum confraternitas asserit utrumque ad ipsam pertinere, quia velum calicis sumptis confraternitatis acquisitum est et ipse Archiepiscopus, dum sacram visitationem perageret, velum recenset in inventario utensilium ecclesiae S. Catharinae, et quia librum fuit ab ipso Limongelli arbitrarie ac lucri causa scriptum ex antiquis et magni valoris chartis nunc deperditis ad confraternitatem pertinentibus; porro minime licet absque domini licentia copias librorum alicuius valoris redigere, atque si fiant ad proprietarium pertinent.

Sodales tandem concludunt suas animadversiones, recolentes hodiernam quaestionem esse tribuendam culpae canonici Limongelli, qui acquiescere noluit transactione quam nomine episcopi conciliare sacerdos quidam studuit.

Haec quaestio tota consistit in aestimandis documentis hinc inde a partibus exhibitis ut aestimetur an magis probata sit intentio can. Limongelli sibi asserentis proprietatem, aut confraternitatis contradicentis. Siquidem confra-

ternitas non videtur habere aliquod inventarium de suis bonis patrimonialibus et utensilibus (si velum excipias) legitime ab Archiepiscopo recognitum; quod equidem iidem facit in iudicio quousque in contrarium evidenter aliquid non pertinere demonstretur ei, cui suffragatur inventarium.

Tandem relate ad statuam S. Agnetis pia Unio Filiarum Mariae negare non videtur eidem alias 264,25 libellas solvere debere, sed tamen domina statuae esse contendit, eo quod ipsa pia Unio deliberavit hanc sibi statuam comparare ut magis suae coelestis patronae cultum promoveret.

Unde haec ultima quaestio sub eo aspectu proponitur, ut decernatur an canonicus Limongelli sit statuae dominus vel potius dumtaxat ius habeat ad sibi repetendas expensas quas, nomine piae Unionis, in emenda sfatua fecit.

Sint igitur

Dubia

I. *An sententia, Archiepiscopi diei 8 ianuarii 1902 sit confirmanda vel infirmanda in casui*

II. *An statua S. Agnetis V. et M. sit restituenda sacerdoti Limongelli seu potius eidem sit restituenda summa, pro emenda statua, impensa in casu.*

Resolutio

Emi Patres haec dederunt responsa:

Ad I^um^ *Sententiam esse confirmandam iuxta modum et ad mentem.*

Ad II^um^ *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

RESCRIPTUM. Vicarii Parochorum sunt natura sua amovibiles.

Eme et Rme Domine mi Obsme,

Vehementer obstupui de interpretatione quam in quodam opusculo datam inveni litteris, de mandato SSmi D. N., ab infrascripto S. huius Congregationis Secretario conscriptis patrono sacerdotis N. N. Harum litterarum duplex est pars. In prima nunciatur Sanctitatem Suam, attentis omnibus, censuisse non expedire causam huius sacerdotis in generalibus comtiis S. Congr. disceptari. In altera asseritur, attenta factorum serie, et habita ratione de iis quae Eminentia Vestra retulit, bono nomini et honori huius sacerdotis nullum allatum fuisse detrimentum. Iamvero ex denegato a Sanctitate Sua novo causae examine, confirmata evasit resolutio S. huius Congregationis, quae semel et iterum admittere noluit querelam sacerdotis huius contra Ordinarium ob translationem ab una ad aliam paroeciam, pro munere vicarii exercendo, atque hoc ipso ratam habuit archiepiscopalis curiae Parisiensis dispositionem. Quae, etsi dicto sacerdoti adversa, iustam esse et canonicis legibus consonam in dubium revocari non licet, cum vicarii seu coadiutores parochiales natura sua amovibiles sint; et nedum ex culpa et ex causis disciplinaribus, sed etiam pro opportunitate et maiori Ecclesiae bono, iudicio Ordinarii sui, in Gallia praesertim, de uno in alium locum transferri possint, quin querelam de iniuria aut de damnis movere queant. Quod quidem in casu sacerdos N. N. eo minus fieri licebat, quia ex ipsa eius confessione constat disciplinarem causam ad remotionem seu translationem non defuisse. Pervicacia enim eius in exigenda cuiusdam confratris sui condemnatione, et reluctantia quiescendi iudicio Ordinarii sui, ordini et ecclesiasticae disciplinae sin minus adversabatur, et aliqua coercitione digna erat. Verum quia error in agendo et aliquis excessus in modis praesertim si ex iustitiae zelo, utique intempestivo, proveniat, non dehonestat hominem, et cum aliunde de moribus et honesta vita huius sacerdotis Eminentia Vestra bonum praeberet testimonium, ideo in dictis litteris addita sunt verba quae sac. N. N. laudi et honori utique sunt, sed in curiae archiepiscopalis Parisiensis condemnationem non possunt ullo pacto verti.

Etenim ideo sunt addita quia, cum in suis instantiis sac. N.N. praetenderet honorem sibi in translatione laesum, iudicatum est iis verbis et favorabili S. Sedis testimonio praecipuam querelarum causam auferri. Verum cum dolore nunc video hnnc sacerdotem mala pro bonis rependere, suo sensu abreptum cum scandalo conari quae in bonum finem sunt scripta in aliorum perniciem torquere, et ad viam declinare quae in ruinam ducit. Quapropter rogo E. V. ut de his omnibus graviter moneat hunc sacerdotem, et pro ea qua pollet paterna charitate et patientia, satagat ad saniores sensus eumdem reducere.

Faxit autem Deus ut haec paterna monita audiat sac. N. N. et caveat ne in his calamitatibus temporum sibi et Ecclesiae causa sit novi mali et doloris.

Et manus eiusdem E. V. humillime deosculor.

Romae 9 Iunii 1903.

VINCENTIUS Card. VANNUTELLI, ***Praefectus.***

L. * S.

f B. CAVICCHIONI, **Arch. Nazian.,,** ***Secretarius.***

Emo Cardinali Archiepiscopo Parisien.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

HISPANIARUM

INDULTUM omittendi incisum «et catpivos christianos....» in Collecta «Et famulos tuos.... » Hispaniae largitur.

Per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis *Provinciae Ecclesiasticae S. Iacobi de Chile* 19 iulii 1873 fe. re. Pius Papa IX concessit ditioni Chilensi ut in Collecta « Et famulos tuos » omittatur incisum « et captivos christianos qui in Saracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare ». Nunc eisdem de causis Emus et Rmus Dnus Cardinalis Iosephus Martin de Herrera Archiepiscopus Compostellanus cum aliis Archiepiscopis Hispanis Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplicibus votis deprecatus est, ut praefatum Indultum ad totam ditionem Hispanam extendatur. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, attentis peculiaribus adiunctis, petitam extensionem memorati Indulti pro universa ditione Hispana concedere dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 19 augusti 1902.

D. CARD. **FERRATA,** ***Praefectus***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

RESCRIPTUM. Regulares habentes proprium calendarium non tenentur ad Officia loci quo degunt.

R. P. Eulogius Villafranca, Presbyter Cong. Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. et Calendarii ordinator, de consensu sui Rmi P. Superioris Generalis sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

I. An Alumni dictae Congregationis post recentissimam Calendarii proprii concessionem teneantur, exceptis Festis Titularium, Patronorum et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, ad

Officia et Missas alicui Regno vel Dioecesi concessa cum clausula praeceptiva pro universo Clero saeculari et regulari?

II. Quum ex documentis scriptis non constet quinam sit Titularis Ecclesiae coenobio adnexae et in loco Sancti Dominici nuncupato erectae, quam nomine S. Francisci Ass. fideles solent appellare; quumque in altari tum Beata Maria Virgo de Angelis vocata, tum S. Franciscus in actu impressionis Sacrarum Stigmatum repraesentetur: quaeritur quinam sit Titularis Ecclesiae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. Negative et ad mentem. Mens autem est regulares non teneri ad Officia loci quo degunt nisi quatenus eiusdem loci Calendario utantur (1).

Ad II. In casu habeantur uti Contitulares aeque principales B. Maria Virgo de Angelis et S. Franciscus Assisiensis.

Atque ita rescripsit. Die 6 Decembris 1902.

D. CARD. **FERRATA,** ***Praefectus.***

L. * S.

D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secretarius.***

(1) Regula generalis est: Regulares non teneri ad Officia loci quo degunt, nisi quatenus eiusdem loci calendario utantur. Hinc rescriptum diei 8 Maii 1905 pro Societate Missionariorum S. Ioseph in America latina quoad festum S. Thuribii duplicis 2.ae classis est decretum particulare : Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXV pag. 738. Idem dicendum videtur de alio decreto diei 20 Martii 1683 pro Religiosis Ordinis minoris de Observantia: nam dubio « An possint et debeant (Religiosi Ord. min. de Observantia) recitare officia ad petitionem Regum et Principum recitari concessa in aliquibus regnis, provinciis, ditionibus etc. a toto clero tam Saeculari quam Regulari in diebus fixis ex. gr. de B. M. V. de Monte Carmelo die 16 Iulii, de S. Rosa Virgine Limana die 30 Augusti, de R. Ferdinando Rege Cas te 1-lae die 30 Maii, et aliis in Regnis Hispaniarum, et sic de similibus in aliis ditionibus ? ».

Responsum fuit: «*affirmative,* ubi concessio extenditur etiam ad Regulares ».

ORDINIS PRAEDICATORUM

Coenobio Lyrano conceditur Missa solemnis de S. Apollonia.

In ecclesia coenobii Lyrani Ordinis Praedicatorum, siti intra fines Mechliniensis Archidioeceseos, summopere colitur a Christifidelibus sancta virgo et martyr Apollonia, cuius dies natalis est nona februarii iuxta Martyrologium Romanum. Quum vero in Breviario ipsiusmet Ordinis de eadem sancta virgine et martyre nonnisi memoria fiat eâ die, qua beati Bernardi Scammaca confessoris agitur Officium duplex; hodiernus Pater Prior memorati coenobii Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam XIII, humillimis precibus rogavit, ut unica Missa solemnis more votivo de S. Apollonia cantari valeat die nona februarii.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino nostro tributis, attento commendationis officio Rmi Procuratoris Generalis memorati Ordinis, benigne precibus annuit: dummodo non occurrat Dominica privilegiata, vel Feria IV Cinerum, neque omittatur Missa Conventualis Officio diei respondens: servatis Rubricis.

Die 2 martii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. % t S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IACEN.

RESCRIPTUM circa Missas de Requie.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Iacensis, in Hispania, de sui' Rmi Domini Episcopi consensu atque mandato, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

In nonnullis Iacensis Dioeceseos paroeciis invaluit consuetudo, quae est immemorialis, qua in exequiis Defunctorum, Officio persoluto, tres Missae celebrantur quarum duae primae de Sancto et sine Ministris in ritu duplici, vel de Requie, ritu

permittente, tertia vero ut vere exequialis de die obitus et cum Ministris successive cani solet a Sacerdotibus funeri assistentibus. Hinc quaeritur: Utrum, virtute privilegii eidem Dioecesi Iacensi concessi in qualibet hebdomada duas Missas de Requie canendi, praedictae duae Missae primae eodem die exequiarum in eadem Ecclesia et in eodem Altari absque Ministris celebratae cum cantu post Officium Defunctorum, permitti possit ut sint de Requie in Duplicibus minoribus et maioribus tantum iuxta Decretum N. 3472 Tarantasien. 18 Decembris 1878?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

***« Detur Decretum N. 29Í5 Tuden. 23 Maii 1846 ad XI»* (1).**

Atque ita rescripsit, die 2 septembris 1903.

S. CARD. **CRETONI,** ***Praefectus***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

CONGREGATIONIS MISSIONIS

DECRETUM quo festum Patrocinii S. Vincentii a Paulo Congregationibus Missionis et Puellarum Caritatis recolendum conceditur.

Quo magis cultus et pietas in sanctum Vincentium a Paulo Congregationis Missionis et Puellarum a Caritate Parentem et Fundatorem, necnon omnium Societatum Caritatis peculiarem Patronum, foveatur et promoveatur, Rmus D. Antonius Fiat, praefatae Congr. Superior Generalis, a SSmo Dno nostro Pio Papa X

(1) En citatum decretum ad XI: In die depositionis aliquorum defunctorum, cantato officio et Missa de Requiem praesente cadavere, mos invaluit in aliquibus Ecclesiis huius dioecesis, quod etiam in duplicibus minoribus et etiam aliquando maioribus, adhuc praesente cadavere, cantenlur iterum duo vel tres Nocturni defunctorum atque totidem missae de Requiem ; ita ut una eademque die celebrentur Officium et Missa de die obitus, de die tertia, septima et trigesima a depositione defuncti. Quaeritur: An talis consuetudo liceat in diebus duplicibus minoribus vel maioribus, adhuc praesente cadavere; vel sit tollenda utpote contraria pluribus Decretis Sacrae Rituum Congregationis?

R. Ad XI: *«Tolerandam, quoad Officium defunctorum; tollendam, quoad Missas; quae unica esse debet, iuxta Decreta alias edita ».*

supplex efflagitant, ut in Ecclesiis et Cappellis Congregationis Missionis et Puellarum Caritatis festum peragi valeat de Patrocinio S. Vincentii a Paulo, die 20 Decembris quotannis recolendum, cum Officio et Missa propria, iuxta schema Apostolicae Sedis sanctioni demisse subiectum; prouti aliis Ordinibus seu Congregationibus simile festum de eorum sanctis Fundatoribus concessum est.

Huiusmodi vero Officium et Missam, quum de more Emus et Rmus Dominus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum habito, proposuerit; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: ***Pro gratia et ad Emum Ponentem eum Promotore Fidei.*** **Die 1 Septembris 1903.**

Facta postmodum de his Sanctissimo eidem Domino nostro per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit; ac suprascriptum Officium cum Missa revisum atque emendatum approbare atque cum ipso Festum Patrocinii sancti Vincentii a Paulo die 20 Decembris sub ritu duplici maiori, Ecclesiis et Oratoriis Congregationis Missionis et Puellarum Caritatis recolendum, concedere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 iisdem mense et anno.

M. CARD. **MOCENNI**

L. * S.

f DIOMEDES PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

DIARIUM

Feria tertia, die 10 Novembris anno 1903, habita fuit in Palatio Apostolico Vaticano Congregatio Sacrorum Rituum Ordinaria-Rotalis, in qua infrascriptae Causae relatae sunt, nimirum :

1, *Neapolitana* **- Beatificationis et Canonizationis'Ven. Servi Dei P. Modestini a Iesu et Maria, sacerdotis professi Ordinis**

Fratrum Minorum S. Francisci. - *Super Dubio :* « An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum, testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?» - Coram Emo et Revmo D. Card. Vincentio Vannutelli, Ponente.

2. *Baionen.* - Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Michaelis Garicoïts, sacerdotis fundatoris Congregationis Presbyterorum SS. Cordis Iesu. -*Super Dubio:* «An constet de validitate et relevantia Processus, Apostolica auctoritate constructi, in curia Ecclesiastica Baionensi, super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei, in casu et ad effectum de quo agitur? » - Coram Emo et Revmo D. Card. Ferrata, Ponente.

3. *Aniden.* - Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Benildis e Congregatione Fratrum Scholarum Christianarum. - *Super Dubio:* «An sententia lata per Rmum D. Iudicem a Revmo D. Episcopo Anicien. delegatum, super cultu praefato Ven. Servo Dei numquam exhibito, seu super obedientia praestita Decretis sa. me. Urbani Pp. VIII, sit confirmanda, in casu et ad effectum de quo agitur?» - Coram Emo et Revmo D. Card. Ferrata, Ponente.

4. ***Andegaven.* - Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Ioannae Delanoue, institutricis Sororum a S. Anna Providentiae nuncupata rum. - *Super Dubio:* «An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate constructi, in Curia Andegavensi, super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefatae Ven. Servae Dei, in casu et ad effectum de quo agitur?» - Coram Emo et Rmo D. Card. Mathieu, Ponente.**

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

ET SS. RELIQUIARUM

SUMMARIUM

Indulgentiarum, Privilegiorum, Indultorum Sodalibus tertii Ordinis saecularis S. Mariae Virginis de Monte Carmelo concessorum.

I.

Indulgentiae Plenariae (1)

A. Tertiariis ex utroque sexu vere poenitentibus, confessis ac S. Communione refectis :

I° Die ingressus in tertium Ordinem;
2° Die quo primitus profitentur ;
3° Semel in anno, die quo professionem renovaverint ;
4° Quo die una simul ad concionem menstruam seu *conferentiam* conveniunt;
5° Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi vacaverint;
6° Semel in mense ad libitum.

B. Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi ad mentem Summi Pontificis oraverint :

I. Bis in anno, Benedictionem nomine eiusdem Summi Pontificis accepturis;

II. Sequentibus festis diebus, quibus Absolutionem Generalem acceperint :

I° Nativitatis D. N. Iesu Christi ;
2° Paschatis Resurrectionis;
3° Pentecostes;

(1) Lectores nostros monitos esse volumus hunc dumtaxat Indulgentiarum Indicem, utrumque Ordinem Carmelitarum Antiquae nempe Observantiae ei Excalceatorum complectens, integrum ac completum esse; vidimus enim aliquam ephemeridem supradictum Catalogum incomplete, relate tantum ad Carmelitas Excalcealos, publicasse.

4° SSmi Corporis Christi;
5° Purificationis,
6° Assumptionis } B. Mariae Virg.
7° S. Ioseph, Sp. eiusdem B. V.;
8° S. Theresiae Virg.;
9° Omnium Sanctorum Ordinis.

C. Eisdem Tertiariis, qui uti supra dispositi, Ecclesiam Ordinis, vel ubi Sedes Sodalitii invenitur constituta, vel eorum defectu respectivam Ecclesiam parochialem devote visitaverint diebus festis sequentibus :

1° SS. Trinitatis;
2° Circumcisionis,
3° Ascensionis, } D. N. Iesu Christi;
4° SSmi Cordis Iesu;
5° Purificationis,
6° Assumptionis,
7° Annuntiationis,
8° Visitationis,
9° Nativitatis,
10° Praesentationis,
11° Imm. Conceptionis, } B. Mariae Virginis;
12° S. Andreae Corsini Ep. Conf. (4 Februarii);
13° S. Petri Thomae Ep. Mart. (14 vel 15 Febr.);
14° S. Avertani Conf. (25 Febr.);
15° S. Cyrilli Conf. (6 Martii);
16° Feria V in Coena Domini;
17° S. Ioseph Sponsi B. M. V. (19 Martii);
18° B. Baptistae Mant. Conf. (23 Martii);
19° S. Bertholdi Conf. (29 Martii);
20° Ioannae Tolosanae Virg. (31 Martii);
21° S. Alberti Ep. Conf., Ordinis Legisl. (8 Aprilis);
22° Patrocinii S. Ioseph (Dom. III. post Pascha);
23° S. Angeli Mart. (5 Maii);
24° S. Simonis Stock Conf. (16 Maii);
25° S. Mariae Magd. de Pazzis Virg. (25 Maii);
26° B. Mariae V. de Monte Carmelo, *toties quoties* (16 Iulii);
27° S. Eliae Prophetae (20 Iulii);
28° S. Annae Matris B. M. V. (26 Iulii);
29° S. Alberti Confess. (7 Augusti);

30° S. Ioachim Patris B. M. V. Conf. (Dom. infra Octavam Assumpt);

31° Trans verbera tionis Cordis S. Theresiae Virg. (27 Aug.);

32° S. Brocardi Conf. (2 Septembris);

33° S. Theresiae Virg. (15 Octobris);

34° Omnium Sanctorum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo (14 Novemb.);

35° Die commemor. omnium defunctorum Ordinis, pro defunctis tantum (15 vel 16 Nov.);

36° S. Ioannis a Cruce Conf. (24 Nov.);

37° BB. Dionysii et Redempti Protomartyr. Discalceatorum (29 Nov.).

38° B. Franci Conf. (11 vel 17 Decembris).

D. In mortis articulo, si, uti supra dispositi, vel saltem «contriti, SSmum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde Invocaverint.

II.

Indulgentiae Stationum Urbis

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si Ecclesiam Ordinis aut eam, in qua sedes Sodalitii est •constituta, earumque defectu propriam paroeciam, visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem Indulgentias consequuntur, quas praefatis diebus lucrarentur, si personaliter visitarent Ecclesias Urbis vel extra eam, ceteris tamen adimpletis conditionibus.

III.

Indulgentiae Partiales

A. *Quinque annorum totidemque quadragenarum,* si Sanctissimum Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint; vel interfuerint antiphonae *Salve Regina,* quae diebus Sabbati et in vigiliis festorum B. M. V. in Ecclesiis Ordinis a Fratribus solemniter cani solet.

B. *Trium annorum totidemque quadragenarum* in qualibet ex festivitatibus B. M. V., quae celebrantur ab universa Eccle-

sia, si devote visitaverint Ecclesiam Ordinis, vel Sodalitii, vel utraque deficiente, suam parochialem Ecclesiam.

O. *Tercentorum dierum* quoties aliquod pium opus pietatis vel caritatis corde saltem contrito ac devote exercuerint.

Omnes et singulae hucusque recensitae Indulgentiae, excepta tamen plenaria in articulo mortis lucranda, sunt etiam applicabiles animabus in Purgatorio detentis.

IV.

Privilegia

I° Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet Altare missam celebrantes gaudent indulto Altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo simile indultum pro alia die non obtinuerint.

2° Missae omnes, quae in suffragium celebrantur Sodalium defunctorum sunt semper et ubique privilegiatae.

V.

Indulta

I° Tertiarii degentes in locis ubi nulla extet Ordinis Ecclesia, lucrari valeant omnes Indulgentias fidelibus easdem Ordinis Ecclesias visitantibus concessas, ea conditione, ut respectivam Ecclesiam parochialem visitent, ceteris servatis de iure servandis.

2° Tertiarii si sint infirmi, aut fuerint ob aliud quodcumque permanens impedimentum praepediti, ne foris e domo prodeant, lucrari possunt easdem Indulgentias, dummodo, alia opera imposita adimplentes, loco communionis et visitationis Ecclesiae, opus aliquod a confessario constitutum perfecerint.

3° Tertiarii, qui in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degunt, lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias,, privatum respectivae domus Sacellum, loco Ecclesiae Sodalitii visitando, ceteris adimpletis conditionibus.

DECRETUM

Quum per Decretum huius S. Congrus Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 Iulii 1902, undequaque abrogatis omnibus Indulgentiis, quibus Tertiarii Saeculares cuiusvis Ordinis ob communicationem cum primo et secundo respective perfruebantur, Supremis Moderatoribus Religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit, ut novum Indulgentiarum Indicem pro suis Tertiariis Saecularibus proponerent, Prior Generalis Carmelitarum Antiquae Observantiae necnon Praepositus Generalis Carmelitarum Excalceatorum tali mandato obtemperantes novum praedictam Indicem elaboraverunt, illumque huic S. Congregationi humiliter subiecerunt quae, adhibita etiam quorumdam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit. SSmus vero Dnus Noster Pius Pp. X in Audientia diei 28 Augusti 1903, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Cardinali Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito Elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerant, benigne confirmavit, alias vero loco earum, quibus vi communicationis gaudebant, clementer est impertitus; simulque mandavit ut in posterum utriusque Ordinis Carmelitarum, sive Antiquae Observantiae, sive Excalceatorum, Sodales Tertiarii in saeculo viventes, earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum, iisque potiantur Privilegiis et Indultis, quae in praedicto Elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 18 Septembris 1903.

A. Card. TRIPEPI, ***Praefectus.***

Loco f Sigilli.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amid. ***Secr.***

Iosephus M. Can. Coselli *Substit.*

INDULGENTIAE largiuntur Piae Unioni B. M. Virginis Perdolentis de Urbe.

Beatissime Pater,

P. Fr. Alexius Iosephus Angelucci, e Servis Mariae, parochus S. Marcelli de Urbe, ad osculum S. Pedis provolutus, exponit S. V. quod in sua parochiali ecclesia fuit an. 1896 canonice erecta *Pia Unio precum ad B.mam V. Mariam Perdolentem pro unione omnium Ecclesiarum Christianarum,* cui, brevi tempore, multi christifideles sese adscripsere non modo Romae sed etiam extra Urbem. Nunc autem, ut adscripti aliquo spirituali thesauro fruantur, atque alii excitentur ad suum nomen Piae Unioni dandum, humilis Orator supplicat S. Vestrae quatenus concedere dignetur, quae sequuntur, indulgentias, ipsis quoque animabus purgatorii applicabiles, et ab omnibus iis christifidelibus lucrandas, qui vel sunt adscripti vel sese Piae Societati adscribent:

I.— *Plenariam:* 1, die ipsa adscriptionis; 2, feria VI Passionis, festo primario P. U.; 3, in Nativitate Domini; 4, in festo Annuntiationis B. M. V.; 5, feria V in Coena Domini; 6, die Paschatis; 7, die Pentecostes; 8, in festo SS. Trinitatis; 9, in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli; 10, in festo Omnium Sanctorum; 11, in Commemoratione omnium fid. defunctorum; ita tamen ut dictis diebus vere poenitentes, confessi et s. communione refecti aliquam ecclesiam aut publicum oratorium visitent ibique orent iuxta intentionem S. V. atque finem P. U.; 12, in articulo mortis, si ut supra dispositi, aut saltem contriti SS. Iesu Nomen, sin minus ore, corde invocaverint.

II. — *Partialem:* 1, septem annorum totidemque quadragenarum tertia quaque feria VI cuiuslibet mensis, si corde contrito pie visitaverint SS. Sacramentum publicae venerationi expositum ad normam Statuti P. U.; 2, tercentorum dierum semel in die lucrandam infrascriptae orationis recitatione:

Oratio

Virgo perdolens, Mater Dei ac Mater nostra amantissima,, e throno tuae misericordiae benigno nos respice vultu, qui ad tuos pedes provoluti, contriti ac moerentes, nostrorum delictorum veniam exoramus tibique laudes ferventesque grates persolvimus ob tot favores quos nobis impertivisti ; eoque prae-

cipue quia inaestimabile fidei donum integrum inviolatumque servasti. Noster gratus animus aeternum durabit, o Dei Mater, ac in posterum ita vivemus ut minus nos reddamus indignos tua benevolentia, itaque possimus te consolari pro tot tantisque doloribus quos nostri causa pertulisti in vita, passione ac morte Iesu Christi. Sumus filii tui angoris, ac sub Cruce Iesus te nobis omnibus Matrem reliquit.

Nunquam nos, ut vera ac tenera mater, diligere destitisti; ast eheu! plures e fratribus nostris tibi terga verterunt, fidem Filii tui abrenuntiando, atque a te discesserunt. En eos per totum orbem fusos atque a saeculis in tenebris schisma tum haeresumque vagantes, ac de vitio in vitium, in barathrum infidelitatis praecipitantes. O pia Mater, miserere tot filiis tuis ingratis ac perduellibus; parce illis, te exoramus, propter passionem Iesu doloresque materni cordis tui. Ob effusas nostras lacrimas subige corda eorum duritiemque voluntatis frange. Radius tuorum moerentium oculorum mentes eorum illustret, ipsisque daemonis falladas quibus detinentur ostendat; minusque tua validissima eos ex apostasiae profundo retrahat, reducatque in beatam sortem filiorum Dei et in gremium S. Matris Ecclesiae Catholicae. Domina ac Mater omnium christianorum, exaudi orationem nostram ac tribue, quaesumus, ut brevi possimus ad tua redire altaria atque iubilantes cantare : Gaude Maria Virgo, quia cunctas haereses sola interemisti in universo mundo. Amen.

Pro qua gratia etc.

SS. D. N. Leo Pp. XIII in Audientia habita die 14 februarii 1902 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnes et singulas Indulgentias in precibus enunciatas benigne concessit, easque defunctis quoque applicabiles declaravit; excepta tamen plenaria in articulo mortis lucranda.

Praesenti in perpetuum valituro, absque Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 14 februarii 1902.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f F. SOGARO, Archiep. Amiden., *Secretarius.*

INDULGENTIAE largiuntur recitantibus orationem « *A Gesù stilla Croce».*

***Beatissimo Padre,* ***

Maria Lampel v. Castagna, profondamente prostrata al bacio del S. Piede, umilmente supplica la S. V. degnarsi accordare a chi reciterà la seguente orazione qualche spirituale indulgenza :

A Gesù sulla Croce

Signor mio Crocifisso, accogliete benigno la preghiera che vi faccio ora pel momento della mia morte, quando cioè pel suo approssimarsi verranno meno tutti i miei sentimenti.

Allorché dunque, o mio Gesù, i miei occhi languidi e morenti non potranno più rimirarvi, sovvengavi di quella occhiata amorosa che ora vi rivolgo, ed abbiate pietà di me.

Quando le mie labbra inaridite non potranno più baciare le vostre santissime Piaghe, ricordatevi dei baci che ora v'imprimo, ed abbiate pietà di me.

Quando le mie mani irrigidite non potranno più stringere la vostra Croce, ricordatevi del sentimento con cui ora lo faccio, ed abbiate pietà di me.

E quando finalmente la mia lingua ingrossata e paralizzata non potrà più pronunziare .parola, ricordatevi della mia invocazione di questo momento.

Gesù, Giuseppe, Maria, vi raccomando l'anima mia.

« A quanti reciteranno la presente preghiera accordiamo » per una volta al giorno l'indulgenza di 300 giorni éperdue » volte all'anno, se confessati e comunicati, l'indulgenza ple- » naria ».

Dal Vaticano li 31 Agosto 1903.

PIO PP. X

Praesentis Concessionis exemplar delatum fait ad S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 4 Septembris 1903.

Iosephus M. Can. Coselli, *Subst.*

N. B. — S. Congregatio Indulgentiarum per Rescriptum diei 5 Septembris 1903, declaravit supra relatas indulgentias esse animabus quoque defunctorum in Purgatorio degentibus applicabiles.

*** (Versio)**

Beatissime Pater,

Maria Lampel v. Castagna, ad osculum S. Pedis profunde provoluta, humiliter Sanctitatem Tuam supplicat ut spiritualem aliquam indulgentiam hanc orationem recitantibus concedere digneris:

Christo Iesu in Cruce

Iesu mi Cruciflxe, suscipe benignus precem quam nunc pro meae mortis articulo tibi fundo, quando illa iam appetente, omnes mei sensus deficient.

Cum igitur, dulcissime Iesu, mei oculi languidi ac demissi te non amplius respicere poterunt, memento illius succensi aspectus, quem nunc tibi converto et miserere mei.

Cum labia mea arefacta non amplius tuas sacratissimas plagas osculari poterunt, memento illorum osculorum, quae nunc tibi figo et miserere mei.

Cum manus meae frigidae non amplius tuam crucem amplecti poterunt, memento sensus, quo nunc hoc ago et miserere mei.

Et cum tandem mea lingua tumens et immobilis non amplius loqui poterit, memento meae invocationis huius momenti.

Iesu, Ioseph, Maria, vobis commendo animam meam.

« Omnibus hanc orationem recitantibus, concedimus semel in die indulgentiam 300 dierum, et bis in anno, dummodo ad Sacramenta confessionis ac communionis accederint, indulgentiam plenariam ».

Ex Aedibus Vaticanis, die 31 Augusti 1903.

PIUS PP. X

EX SEGRETARIA STATUS

EPISTOLA Pro-Secretar i i Status, qua Pius PP. X litteras auctoritati ecclesiasticae infensas explicite improbat.

Illfho e Revmo Mons. Domenico Bueehi Aeciea
Vescovo di Orvieto,

Il Santo Padre mi dà ordine di partecipare alla S. V. Illma e Rma la dolorosa impressione che Gli ha fatto la lettera (1),

(1) *En textus epistolae a Suprema Auctoritate reprobatae:*

Caro Bertini,

Il conte Grosoli è slato riconfermato presidente generale dell'Opera dei congressi.

Questo annuncio ti ha dato occasione di ripresentarci quella tua fortunata frase: « Siamo in benevola aspettativa »; e molti di parte nostra ne hanno tratto motivo per rallegrarsi a ben sperare. E poiché *la speme è l'ultima dea,* speriamo pure allegramente. Ma io, che da qualche tempo ho seguilo molto da vicino le vicende nostre, ricordo che un'approvazione, una lode platonica ha sempre preceduto o seguito un colpo di testa dato al nostro movimento.

E se il passalo è passato, e dobbiamo solo guardare al presente, vedo che da un lato è stalo confermato il Grosoli, e dall'altro è stata *approvata* e *incoraggiata* l'opera di *Miles Christi* della *Riscossa,* l'opera cioè di uno degli uomini a noi più nefasti.

E in quest'alba di pontificato, improntata tutta a conferma, sia pure temporanea, del passato, il Grosoli non poteva avere che una conferma: un *crollo di Ferrara* non è ancora maturo : ma se si terrà il congresso di Bologna, la nostra affermazione (non è il caso di parlare di vittoria) porterà a questo risultato: o il Grosoli butterà a mare noi, o sarà dagli altri buttato a mare egli stesso.

Non è sfiducia verso la persona del conte Grosoli, che ho avuto l'onore di avvicinare spesso e conoscerlo pieno di buona volontà; ma certe istituzioni, finché rimane il loro spirito informatore, non saranno mai un ambiente per noi; la democrazia, sia pure cristiana, è un bel fiore selvaggio che cresce solo all'aria aperta, bacialo liberamente dal sole. E mentre il sole splende per tutti, per i buoni e per i cattivi, e la vita rigogliosa si avanza da tutte le parti, è doloroso, che noi siamo costretti a star qui a discutere sulla qualità del *biberon* da somministrare a questa povera democrazia cristiana che si vorrebbe far rimanere una eterna infante. Forse il *self-help (aiutati da te)* caduto miseramente in economia, può far molto ancora nella vita pubblica, specialmente per i partiti nascenti i quali hanno bisogno di formarsi una verginilà politica.

Ma lasciamo le digressioni; ti dicevo dunque che per me non è questione di persona, ma di istituzioni. Come ebbi a scrivere su queste colonne il 15 maggio u. s., nell'Opera dei Congressi « abbiamo un partito incardinato alla gerarchia ecclesiastica il quale per molteplici ragioni di fatto non riscuote la simpatia pub-

pubblicata il 29 agosto p. p. nel Periodico settimanale « *II Comune»* che si stampa in codesta città; nè poteva essere altrimenti, perchè tutto lo scritto da capo a fondo non può non qualificarsi che per sommamente irriverente e ribelle ad ogni autorità; e l'impressione dolorosa provata dal Santo Padre in questa circostanza è accresciuta dal fatto che più volte il suddetto periodico ha esternato i medesimi sentimenti.

blica, dato lo stato delle coscienze contemporanee. Ê indiscutibile inoltre la constatazione che i vescovi, i quali dovrebbero dirigere il nostro movimento, sono le persone meno adatte a questa direzione. Non intendo giudicare impertinentemente lo zelo e l'attività pastorale ed ecclesiastica de' vescovi : ma certo le cure del loro ministero non permettono ad essi, con l'alacrità richiesta dal rapidissimo e multiforme movimento scientifico dell'età nostra, occuparsi d'un partito, a dirigere il quale è necessaria una larga cultura di scienze 'economiche e politiche. Senza dire che i vescovi, per essere i padri e i pastori di *tutto* il popolo cristiano, non possono mettersi a capo d'un partito, che, se vuole essere praticamente efficace nel campo sociale, ha bisogno d'assumere veste politica, cioè operare una selezione tra uomini e uomini magari aventi la slessa fede religiosa.

Militarizzati entro quest'Opera potremo *non perdere la nostra fisionomia e non confonderla con quella degli altri,* come tu speri ? Potremo *non immolare nulla delle tendenze e dei propositi che abbiamo il diritto di avere, nulla della nostra esperienza viva, nulla dei nostri desideri di iniziativa e di lotta,* come si augurava Murri nell'ultimo numero della *Cultura sociale* ***f*** Non a te, amico mio, che hai speso fruttuosamente tante energie per la nostra idea, e conosci l'ambiente in cui siamo costretti a vivere, darò io una risposta. Per trovare un assetto di cose che ci permetta di conservare la nostra libertà, dobbiamo, caro Bertini, andar molto più indietro delle *Istruzioni* e arrivare fino al concordato del 5 ottobre 1901, caduto.... come cadono tra noi le cose buone. Oggi nello *statu quo,* nulla ci è concesso, tranne qualche buona speranza futura, gettata là per ammansare i più ardenti, e premurosamente smentita da' fatti.

Come parlare di libertà d'iniziativa, quando le promesse fatte per piegarci ad accettare le istruzioni, sono andate in fumo? Come parlare di libertà d'idee, quando non si è ancora spenta l'eco del *can-can* sollevatosi contro il nostro Murri per le sue giuste critiche al prof. Toniolo? Come parlare di libertà d'iniziative, quando il buon Semeria richiamato, sia pure da un potere estraneo all'Opera, a precipizio dalla Russia, dovrà provare fra breve che maggiore tolleranza si trova sotto lo *knut* dello czar, che nel nostro campo? Parliamo pure di libertà di discussione in seno all'Opera quando già si dice che il congresso di Bologna dal quale speriamo tanto verrà rimandato... alle calende greche, in vista delle idee che noi vorremo portarvi, e delle discussioni che vorremo promuovere ! E se la presidenza dell'Opera non sentisse il dovere di smentire queste voci, non dovremmo fare altro che provvedere da noi ai casi nostri.

Intanto aspettiamo pure...; ma non ti sembra, amico mio, che la vita sia troppo breve per ricominciarla ogni settimana? Credimi tuo

A. Lazzarini.

Il Santo Padre, pertanto, con la assoluta disapprovazione per tutto ciò che viene esposto in quella lettera, sia in ordine ai principii come alle persone, mi autorizza a dichiarare, che non sarà mai per riconoscere alcuna opera di azione popolare cristiana, che non faccia capo e non sia ossequente all'Opera dei Congressi cattolici, come rammenta l'obbligo che hanno tutti i Chierici e Sacerdoti in qualunque officio costituiti a non prendere parte in verun modo alle Associazioni, che sotto il nome di *portiti*, portano la divisione degli animi e le scissure nel campo cattolico, distruggendo quella unità per la quale ha fatto l'ultima preghiera al Divin Padre il nostro Redentore Santissimo, e quella carità, che è l'unico carattere distintivo dei veri cristiani.

Nell'eseguire il venerato comando di Sua Santità, colgo questo incontro per raffermarmi con sensi della più distinta stima.

Di V. S. Illma e Rma

Li 7 settembre 1903.

Servitore
RAFFAELE MERRY DEL VAL
Pro segretario di stato di S. S.

EX VICARIATU URBIS

NOTIFICATIO E.mi Card. Vicarii quoad curam animarum Urbis.

Pietro dal Titolo de' SS. Quattro Coronati
della S. R. C. Prete Cardinale Respighi
della Santitct di N. S. Vieario Generale
delia Curia Romana e suo Distretto Giudice Ordinario ecc.

I doveri gravissimi del nostro ufficio esigono che ci adoperiamo con ogni impegno perchè non manchino al popolo di quest' alma città i mezzi più opportuni per essere istruito nella fede ed educato alla vita cristiana. A questo altissimo fine intendono sopra tutto le parrocchie, che debbono formare come tanti centri dai quali si diffonda nel popolo la santa attività

dell' apostolato cattolico. In aiuto delle parrocchie sorsero benefiche istituzioni fondate dai nostri maggiori, e recentemente dallo zelo di venerandi sacerdoti, di religiose famiglie, ed anche di buoni laici.

Affinchè però proceda regolare e bene ordinato l'andamento delle parrocchie, e conseguentemente di tutte le istituzioni sopra accennate, è necessario che 1' attività del clero, e specialmente del clero giovane, si svolga a loro vantaggio, e sia in esse ben disciplinata. Sarà grande senza dubbio l'utilità che ne ricaveranno i fedeli, e sarà pur grande il conforto dei rr. parroci neh' adempimento dei difficili doveri parrocchiali, se i sacerdoti fino dai primi anni della loro ecclesiastica carriera mostreranno di amare l'esercizio del ministero sacerdotale per la salvezza delle anime, e se inoltre non si volgeranno di pura loro iniziativa ad una od altra opera di zelo in aiuto dei parroci, ma seguiranno con docile obbedienza le direzioni dell' autorità superiore. E dalla obbedienza alle superiori disposizioni ne deriverà quest' altro bene, che cioè ciascheduno vi troverà la sicurezza di non avere nelle proprie fatiche cercato sè stesso, ma solamente la gloria di Dio ed il bene delle anime.

Ad attuare pertanto questo disegno, abbiamo stabilito di nominare e nominiamo una *Commissione direttiva per V esercizio del ministero saeerdotcde in Roma,* **presieduta da noi o da Sua Eccellenza Illma e Revma Monsignor Vicegerente, e composta di distinti ecclesiastici, i quali, per l'ufficio che esercitano, siano in grado di conoscere il clero, specialmente giovane, e di vigilarne lo spirito e 1' attività. Perciò deputiamo a membri perpetui della commissione il Rmo Segretario** *pro tempore* **del Vicariato, il Rmo Prefetto** *pro tempore* **degli ecclesiastici studenti, e i Reverendissimi Rettori** *pro tempore* **dei Seminarii Romano e Vaticano e dell' Almo Collegio Capranica. Ci riserviamo di nominare altri membri quando ne dovessimo riconoscere in progresso di tempo la necessità o la evidente utilità.**

La Commissione da noi nominata dovrà tenersi in relazione coi rr. parroci e coi deputati alla direzione delle opere di zelo, affine di ben conoscere le varie necessità del ministero sacerdotale in Roma. Si radunerà, in luogo ed ora da destinarsi, il secondo giovedì di ogni mese, ed anche più spesso quando se ne riconosca il bisogno. Dovrà destinare ai singoli

uftìcii le persone che giudicherà più adatte; e i sacerdoti della diocesi dovranno dedicarsi volenterosi a quegli uffici che verranno loro affidati, e disimpegnarli con ogni diligenza.

Dichiariamo fin d' ora che mai rilascieremo commendatizie pel conseguimento di qualsiasi ufficio o beneficio ecclesiastico senza un certificato della commissione, dal quale risulti che il concorrente ha esercitato lodevolmente il ministero sacerdotale secondo le proprie forze e con piena dipendenza dalla commissione medesima.

Nella fiducia che i componenti la commissione da noi nominata si dedicheranno con tutto l'impegno al gravissimo e delicatissimo compito loro affidato, invochiamo sopra di essi con tutta T effusione del cuore le più elette benedizioni del Signore.

Dato della Nostra Residenza, il 1 Ottobre 1903.

PIETRO CARD. VICARIO

PIETRO Can. CHECCHI, *Segretario.*

NOTIFICATIO circa Missae celebrationem in ecclesiis Urbis.

Pietro del Titolo de' SS. Quattro Coronati
della S. R. C. Prete Cardinale Respighi
della Santità di N. S. Vicario Generale
della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario etc.

Da quando per la fiducia del Santo Padre fummo chiamati a reggere questo Vicariato, più volte credemmo nostro dovere di informarci sulla esatta osservanza delle disposizioni emanate dai Nostri Antecessori, relative alla celebrazione del S. Sacrifìcio della Messa, e particolarmente di quelle contenute nella Notificazione del 20 Novembre 1889.

Giudicando ora necessario tornare ad insistere sullo stesso argomento, confermiamo in generale le disposizioni sopra citate, e ordiniamo quanto segue :

I. Non siano ammessi a celebrare la s. Messa sacerdoti forestieri, benché conosciuti dai Rettori o dai Sagrestani delle Chiese, se non esibiscono la relativa licenza, ottenuta in iscritto

dalla Segreteria del Nostro Vicariato. Si potrà solo permettere di celebrare ai sacerdoti suddetti nel giorno del loro arrivo in Roma, affinchè abbiano tempo di provvedersi della necessaria licenza.

II. Dai sacerdoti romani e da quelli domiciliati in Roma si deve esigere il documento in iscritto della facoltà da Noi loro accordata e della rinnovazione alla rispettiva scadenza.

III. Non si permetta la celebrazione dei divini Mistèri a quei sacerdoti, i quali si presentassero senza il conveniente abito ecclesiastico o senza tonsura.

IV. Tutti i Rettori e Sagrestani delle Chiese di Roma registrino in apposito libro, distinto per mesi, tanto i nomi di quei sacerdoti che ordinariamente celebrano nella Chiesa a ciascuno di essi affidata, quanto degli altri che straordinariamente per qualunque occasione al detto scopo si presenteranno, ancora se invitati. Da questo libro dovranno ogni mese compilare la nota da trasmettersi alla Segreteria del Vicariato. Vogliamo inoltre che sia del libro, come delle vacchette delle Messe, facciano immediata presentazione all'Officiale del Vicariato, che, da Noi autorizzato, ne facesse richiesta.

V. Nelle Chiese e Cappelle di comunità femminili la Suora incaricata della Sagrestia ritirerà dai sacerdoti che domandassero di celebrare la relativa pagella, per farla esaminare dal Rettore della Chiesa o dal Cappellano ordinario della Comunità stessa, il quale non potrà essere nominato senza il nostro esplicito consenso (1).

(1) *Die vero 20 Aprilis eiusdem anni Secretarius Urbis Vicarii, melius explicans supracitatam articulum V, infrascriptas normas misit, ad Superiorissas Communitatum religiosarum Romae degentium:*

In esecuzione degli ordini impartiti dall' Efiío Sig. Cardinale Vicario, il sottoscritto raccomanda vivamente di ritenere ben presenti le disposizioni contenute nella Notificazione dei 18 Febbraio, corrente anno, circa i sacerdoti celebranti in Roma, e specialmente di porre attenzione al prescritto nell'articolo V, procurandone T esatto adempimento, per non incorrere nel disposto sotto l'articolo successivo.

Inoltre, anche a più chiara intelligenza dello stesso articolo V, il sottoscritto significa che, d' ora in appresso, volendo le dette Comunità muiare cappellano sarà necessario render noto a questo Vicariato il nuovo sacerdote proposto, il quale non potrà essere accettato senza aver prima ottenuto in scritto l'esplicito consenso dell'Emo Vicario.

Finalmente, le Reverende Superiore sono pregate di inviare quanto prima in

VI. A **chiunque contravvenisse alle suddette disposizioni sarà inflitta una « multa di L. 25 » e, in caso di ripetuta mancanza, anche la « sospensione a divinis ».**

VII. **Ordiniamo infine che la presente, per norma degli stessi Rettori e Sagrestani, non che dei sacerdoti celebranti, rimanga affissa in tutte le Sagrestie, affinchè da niuno possa allegarsene ignoranza.**

Dato dalla Nostra Residenza il dì 18 Febbraio 1903.

PIETRO CARD. VICARIO

PIETRO **Can.** CHECCHI, ***Segretario.***

questa Segreteria i nomi degli attuali cappellani, non dimenticando in seguito di inviare, mese per mese, la solita Nota dei sacerdoti che, nella loro chiesa o cappella, hanno celebrato, anche una sol volta, nel corso del mese antecedente.

Non occorre che in tal Nota i nomi siano tante volte ripetuti per quanti giorni i sacerdoti hanno celebrato, come non è necessario indicare il dì dell' avvenuta celebrazione.

Roma, Segreteria del Vicariato, 20 Aprile 1905.

PIETRO Can. CHECCHI, *Segretario.*

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE APOSTOLICAE

Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Leonis D. P. PP. XIII, quibus Beato Petro Fourier, canonico regul. congr. Salvatoris nostri reformatori atque monialium Dominae nostrae institutori, Sanctorum honores decernuntur. (1)

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum (1 Ioan., cap. IV, 21). **Unicum est quippe Charitatis praeceptum, quo Deum, et proximum propter Deum diligere iubemur. Etenim *ratio diligendi proximum Deus est; hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit: unde manifestum est, quod idem specie actus sit, quo diligitur Deus, ut diligatur proximus ; et propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed ad dilectionem proximi* (S. Thomas, *Quaest. XXV, art. 13).* Quapropter qui dilectionem proximi a dilectione summi Boni, quae est charitas, seiungunt, *philantropiam* nescio quam inducentes, hi profecto humani generis finem ultimum pervertentes, nempe Deum, ipsam actionem virtute sublimissimam in nihilum vertere conantur.**

Hinc luctuosa valde ac pessima illa iudicandi proclivitas in proximi procuranda felicitate; bona scilicet spiritualia vel nihili ducenda, vel saltem posthabenda iis, quae ad corporis animique cultum, vel civilem profectum, ut aiunt, pertinere videntur. Quod quam prorsus sit absonum a Christi doctrina, luculentius Sanctorum exemplis quam verbis demonstratur. Intuemini itaque, filii dilectissimi, insigne charitatis exemplar, quod vobis hodie proponit Ecclesia, ut Sanctum Petrum, Eius adiuti auxilio, imitantes, ex Ipso charitatis fonte Domino Nostro Iesu

(1) Hodie tantum prae manibus habere potuimus hanc Canonizationis Bullam, cuius tamen publicatio ob speciale eius momentum praetermittenda non est.

Christo, veram charitatem haurire possitis, quae nuptialis vestis est; qua qui non sit indutus, *ligatis manibus et pedibus, mittitur in tenebras exteriores (Matth., cap. XXII, 13).*

Petrus honesto loco natus est Mirecuriae in Lotharingia anno Domini 1565, die 30 Novembris, patre Dominico Fourier, matre Anna Nacquart, catholicae religionis amore et christianarum virtutum laude spectatissimis. Filiolum, quem cariorem habuerunt, propter mirabilia charismata, quibus ab infantia enituit, magna cura edocuerunt: cumque in adolescentulo iam provectae virtutes apparerent, itemque experrecti admodum ingenii emicarent indicia, eum Patribus e Societate Iesu instituendum tradiderunt, in Lyceo Mussipontano, celeberrima tunc in Lotharingia et scentiarum et virtutum palaestra.

Hic cum literas humaniores et philosophiam perdidicisset, altiora studia antequam ingrederetur, de vitae statu eligendo cogitare coepit; cumque diu et sapienter deliberasset, non sine divino instinctu Canonicis regularibus nomen dedit, et Calmosiacum Monasterium ingressus, ibi tyrocinio ad exemplum posito, cum magna omnium expectatione vota nuncupavit.

Deinceps in Mussipontanam Universitatem reversus, ut sacris scientiis operam daret, studiorum socios nactus est Lairuels et De la Cour; quorum primus disciplinam restituit in Ordine Monachorum Praemonstratensium, alter optime de Bened ectino Instituto meritus est celeberrimusque fundator extitit Monasteriorum, quibus a S. Victore et a S. Adulpho nomen est. Illorum conversationem valde delectatus est Petrus, qui facile ex eis, et Ioanne Fourier e Soc. Iesu consanguineo suo, quem tanti faciebat Sanctus Salesius, multa hausit, quae dein in monasterii Calmosiaci reformatione plurimum profuerunt.

Quamobrem quum eo rediisset, et sacerdotio auctus esset; quid religiosus praestare debeat magis exemplo, quam inani verborum iactatione ostendens, Antistitem statim rogavit, ut maiorem sui com mea tus partem in pauperes erogare liceret, contentus ipse leguminibus, decoctis radicibus, et vino aqua dilutissimo, orationi, contemplationi, et rigidissimae poenitentiae unice addictus.

Quomodo autem Petrus animo comparatus esset, tum perspectum fuit, cum, tribus curatis beneficiis vacantibus, ei facta est facultas, quod vellet, eligendi. Elegit enim, quod pauperius erat, et vitiosis hominibus ac Religioni catholicae infestis adeo

retortum, ut *et parva Geneva* vulgo appellaretur, aiens: *ibi parum futurum esse reddituum, laborum satis.* Pago nomen erat Mataincuria, quem B. Petrus ingressus est, cum iam instarent SS. Corporis Domini Nostri Iesu Christi 'solemnia. Quamobrem beneficii sui possessionem inire voluit Divinissimum Sacramentum solemni pompa circumferens, tantaque maiestate vereri•dus, ut eius conspectus ad fidem, et poenitentiam commoveret animos. Qui vieti omnino sunt, cum Petrus ardentissima et tenerrima verba fecisset de miro erga homines Iesu Christi amore, deque sua voluntate tam bonum Pastorem imitandi usque ad mortem, quam se pro cuiusque eorum salute libenter obiturmn non dubitaret. Hinc miraculo simile visum est, quod opere B. Petri, in eo diaboli domicilio tria Catholica sodalitia eaque frequentissima constituta sint; quorum primum dicatum SSmae Virgini a Rosario nuncupatae; alterum Eidem sine labe originali conceptae, cui Deiparae privilegio se Petrus adsertorem praestitit strenuissimum; tertium S. Sebastiano.

De prodigiosa huiusmodi populi immutatione, per universam Dioecesim Tullensem, cum fama percrebuisset, miri undique popularium Mataincuriae concursus facti sunt; et ipse Episcopus Tullensis Petro aliis Parochis in exemplum proposito illumque iussit universam Dioecesim sacra expeditione peragrare; quod ita ille praestitit, ut Christianae virtutes sopitae et fere intermortuae iterum viguermt, et Calviniana haeresis, alicubi iam audacius exultans, fuerit repressa.

Haec cum ageret ad spiritualem populorum sibi creditorum profectum, minime ea negligebat, quae civili eorum cultui provehendo maxime conducunt; qua in re multa ille excogitavit instituitque, quibus recentiores oeconomicae scientiae Doctores gloriantur, quaeque, si vitam eis Christianae charitatis halitus infundat, valde prosunt reipublicae, atque animorum concordiae. Praeceptum autem eleemosynae adeo suis inculcabat, tamque suaviter, ut Mataincuriae quoddam quasi inter ditiores certamen esset in eleemosynis suppeditandis, ac ille iocupletior censeretur, qui pluribus praesto fuisset pauperibus.

At praecipue rectam Christianae plebis institutionem B. Petrus curavit. Qua in re perversae illi consuetudini, quae tunc gliscere coeperat, *promiscuae,* quam vocant, *scholae,* acerrimum bellum indixit; cumque res ei feliciter Mataincuriae evenisset, hanc pestem aliis etiam ex locis arcendi cupidus, magnam ac

perpetuam sacrarum Virginum Societatem instituere cogitavit, quae puellis foeminei sexus ad bonas artes et pietatem instituendis, gratuitam daret operam. Salutaris haec institutio, Deo adiuvante, et interdum modis omnino mirandis adeo crevit, ut etiamnum non modo in Europa aliisque veteris mundi partibus, sed etiam in America fructus edat uberrimos. Eam autem s. m. Paulus Papa V probavit Kalendis Februarii anno 1614, deinceps Urbanus VIII egregiis privilegiis decoravit, et Moniales Canonissas regulares S. Augustini Congregationis *Dominae Nostrae* esse et nominari sanxit.

Interim, quam exemplo inceperat Canonicorum Regularium reformationem provehere et perficere, auctoritate canonica munire sategit. Sanctus enim vir valde dolere debuit sacrum illum Coetum, cuius historia tot praeclaris gestis, tot viris doctissimis et sanctissimis illustris est, in quo S. Dominicus, S. Bruno, S. Norbertus gloriosae vitae initia posuerant, adeo a seipso iis in locis descivisse, ut Pontificum, atque celsissimorum Ecclesiae Procerum, illum ad pristinam dignitatem revocare pluries nitentium, et auctoritatem fefellerit et charitatem. Quamobrem Gregorius XV Apostolicis Litteris Episcopi Tullensis studium probavit, qui post fere irritos Cardinalis Caroli a Lotharingia conatus, iterum in Canonicorum Regularium reformationem, Petro adiutore maximo, vigilantius nitebatur. Res adeo prospere cessit, ut idem Pontifex brevi Romae exceperit duos pietate et doctrina viros spectatissimos rogantes: ut Monasteria, quae Petrus mandato Episcopi Tullensis et Pontificia auctoritate reformaverat, probarentur, ac in iuridicam Congregationem erigerentur, cui perpetuus Generalis praeesset. Unio Monasteriorum statim concessa est; Genera latus autem perpetuitas non item; sed haec etiam die 25 Ianuarii anni 1629 impetrata.

Haec dum gereret Petrus, Mataincuriensium minime oblitus est. Ad hos, nomine suo regendos, Vicarii munere reliquerat Sacerdotem optimum, qui sua vestigia secutus, eos in Religione confirmaret, et contra lupos, ac praesertim haereticos strenue defenderet. Ceterum, cum sui praesentia gregis interesse videretur, nulla cunctatione aderat, solitique sunt Mataincurienses ad Petrum confugere, quoties calamitate aliqua affligerentur; quam putarent in suam perniciem a daemone conflatam. Nam populo illi statim in mentem veniebat non posse diábolum in suo oppido manere, Petro praesente, qui illum

animabus suis pridem insidiantem arcuerai; qui paullo ante Monasteria a Petro fundata contra terribiles eorum conatus strenue defenderat, tantaque victoria debellaverat, ut rerum gestarum fama cum hominum admiratione latissime erat pervagata.

Sed longe clariores eae victoriae reputandae sunt quibus Petrus de haereticis, qui patrem habent diabolum, pluries triumphavit, quaeque effecerunt ut Lotharingiae Dux non semel eius operam in vocaverit, cum sibi res esset cum haereticis, hominibus plerumque factiosis, atque etiam civili concordiae infestis. Badonvillae, quae oppidum est Comitatus Salmensis princeps, Calviniani reipublicae iam fere potiti, eversa Parochi domo, et beneficii redditibus dissipatis, proceribus Civitatis sibi faventibus, plebe vel minis perterrita vel promissionibus irretita, et ad illorum ritus coacta, ipsum Catholicum nomen se delevisse gratulabantur. Petrus eo venit, exemplo virtutum suarum, precibus, ieiuniis, mirabili ac suavissima eloquentia, labentem inter Catholicos fidem confirmavit, haereticos coercuit, atque ita commovit, ut suorum eos facinorum poeniteret; denique parochia? lem aedem subsidiis undique conquisitis reparat, ipsum haereticorum templum Deiparae consecrat, in eo Missam parochialem celebrat, concionatur, invitatione facta etiam *extraneis.* Sic enim appellabat haereticos, tum ut minus acerbo nomine eos alliceret, tum ut Paulum imitaretur, qui fideles *domesticos* vocaverat.

His artibus vincebat Petrus, pluriesque vicit. Cum autem et Dux Lotharingiae, et Summi Magistratus ei gratularen tur, et populus tanto benefactori plauderet, ille, demisso capite, ea minime sibi sed primum Deo, deinde Sodalium suorum atque bonorum hominum meritis accepto, ferenda esse affirmabat. Miracula etiam, quorum multa eum patrasse gravissimi testes perhibent, a se, quantum licuit, abiudicavit, servilibus ministeriis, inter suos, ipse contentus. Denique cum anno 1636, pro publicis negotiis, cum aliquot e suis sociis Graiacum, Comitatus Burgundiae oppidum, missus esset, ob belli suspiciones eo prohibitus est. Quamobrem aliquot diebus in pago de *Dom Pierre* moratus, in Castro de Resines constitit, ubi, dum pueris erudiendis operam daret, maiores autem natu sacris Ministeriis aliisque piis exercitationibus excoleret; in *quartanam* incidit, morbum sane non gravem, ex quo tamen se brevi mo-

riturum praedixit Petrus. Qui vix morbo tentatus, tam ob sua peccata, sic ille dicebat, aliorum Sanctorum more consternatus est, tam territus proximo divino iudicio, ut singultibus lacrymisque ad Mariam, a qua negabat se posse deseri, clientem quidem indignissimum, at ex corde amantissimum.

Illuxit tandem dies Deiparae Immaculatae dicata, qua Petrus, sacra Synaxi iterum recreatus, exclamavit, *Domine, non sum dignus, ut intres sub pectus meum, dignus autem , dignissimus qui extra Pomerium Urbis canibus et corois vitiis praeda pabulumque confidar.* Deinde ad Virginem ea verba ingeminans : *Monstra te esse Matrem,* ter expresso supra se signo Crucis, placidissime decessit, aetatis suae anno septuagesimo sexto, die 9 Decembris 1640.

Corpus apertum est, et cor cum praecordiis Graiacensibus donatum; deinde Lotharingiam versus a Canonicis Regularibus transferebatur, ut in destinato loco sepeliretur; sed Mataincuriam vix perventum, populus venerabundus occurrit, negavitque se passurum Sancti et amantissimi Parochi corpus alibi sepeliri. Itaque Mataincuriae situm est adhuc B. Petri sepulchrum, ibique Deus gloriam incliti servi sui magnis miraculis confirmavit et confirmat.

Interim de Eo ad altarium honorem evehendo cogitatum est, et Inquisitionibus Ordinariis rite peractis ad virtutum *dubium* apud S. Congregationem ventum est. Cunctis legitime perfectis, Clemens XI s. m. Praedecessor Noster die 1 Aprilis anno 1717 decrevit: *Constare de virtutibus Ven. Servi Dei Petri Forerii, tam Theologalibus, scilicet Fide, Spe, et Charitate, quam Cardinalibus, nimirum Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque respective adnexis in gradu heroico.*

Quaestio vero super miraculis agitata est in S. R. Congregatione, cum Fidei Promotoris munere fungeretur inditae memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV, qui ea de re loquitur in suo Opere de Canonizatione, lib. IV, cap. XV; eademque pro veritate propugnata sunt a summo viro Ioanne Lancisio, et sunt eiusmodi: I° *Duo mortui, invocato Beato Petro Forerio, et Reliquiarum eiusdem super ipsis applicatione ad vitam redeunt; 2° Monialis a decem mensibus variis morbis acerbissimis vexata, et demum moribunda, applicatione Imaginis Beati Petri Forerii, et Reliquiarum eius in instanti pie-*

nissima donata valetudine; 3° *Mulier ita morbo comendio, seu sciatica ab anno et amplius affecta, ut nec stare, nec ambulare posset, repente sanatur;* 4° *Duo fratres, ab annis plurimis molestissimis et ineurabilibus herniis affecti, recursu ad Beatum Petrum Forerium instantanée simul et perfectissime sanantur.*

Iis miraculis apprime probatis, decretoque Pontificio confirmatis, s. m. Praedecessor Noster Benedictus XIII, Litteris Apostolicis in forma Brevis, Beatorum numero Petrum adscripsit, die 10 Ianuarii anno 1730. Ex eo tempore, etsi nunquam deferbuerit Beati memoriae cultus, tamen Causa siluit usque ad annum 1845, quo tempore resumpta est ad Canonizationis effectum. Anno autem 1882, die 11 Septembris, datae sunt Litterae remissoriales pro construendo processu Apostolico super miraculo apud Curiam ecclesiasticam Argentinensem; die vero 20 Decembris insequenti anno pro Apostolica alterius miraculi Inquisitione apud Curiam ecclesiasticam Parisiensem instituenda.

Primum miraculum accidit anno 1868, Mariae Alexandrae moniali Sodalitatis a *Domina nostra,* cui nomen *Abbaye aux Bois,* in Archidioecesi Parisiaca. Ipsa, anno 1867 linteaminum sarcina onusta, dum scalas ascenderei prolapsa, genu in gradu earum vehementer offendit. Acerrimus in ictu dolor, postea ita sensim elanguit, ut Alexandra suis officiis fungi posset. Sed anno insequenti, mense Aprilis, insidiosus morbus hactenus tanta erupit vi, tamque diris symptomatibus, ut funestam medici facerent prognosim. Nam dolori perpetuo atque acutissimo saeva febris accesserat, inflatio lateris dextri totius, virium debilitas summa, deliquia, ciborum nausea. Nec remedia proderant ab expertissimis medicis adhibita. Arthritis traumatica (talem esse morbum compertum fuerat Doctoribus) in dies progrediebatur, nullaque iam erat salutis spes. Ad opem B. Petri Alexandra et Sorores fiducia plenae confugiunt, novendiali supplicatione, admotisque ad genu aegrum eius Reliquiis. Nocte illius diei, qua novendiales preces inceptae sunt, Alexandram placidissimi^ complectitur somnus: postridie mane, gratulantibus Sororibus, surgit e lecto, citissime ambulai, libentissime manducat. Nulla autem diri morbi, atque ipsarum chirurgorum incisionum vestigia.

Alterum accidit mense Iulio 1881, Mariae Franciscae eius-

dem Congregationis sodali in asceterio Argentinensi. Illa, quae pridem gravissimis uteri perturbationibus obnoxia fuerat, mense Aprili 1871 stomaoho laborare coepit, et doloribus atrocissimis cruentae vomitiones successerunt. Ex vomitionibus haud satis medicis constabat, an de cancro, an de ulcere ageretur; ulcus tamen vicit ex complexu symptomatum, atque ex origine morbi. Quatuor per annos eo divexata Francisca cadaveri similis decumbebat, cum novendiales preces ad Beatum Petrum inceptae sunt. At furere magis morbus visus est, verumtamen fiducia intercessionis maior apud Franciscam et Sodales. Sub noctem postremi novendiale supplicationis diei, e coelo Beatus favet. Francisca, cum placide obdormivisset, nullo sustentata fulcimine e lecto surgit, in asceterii Oratorium gratulabunda pergit, et SS. Eucharistiam una cum Sororibus sumit. Deinceps valida cibo reiicitur, solitosque labores obit, et plures per annos obire perrexit validissime.

De his Miraculis cum disceptatum esset in Congregationibus antepraeparatoria et praeparatoria S. Congregationis, die 16 Novembris anno 1896, causa ad Nos delata est, quaesitumque in comitiis generalibus eiusdem Congregationis: *An, et de quibus miraculis post indultam eidem Beato venerationem constet in casu, et ad effectum,, de quo agitur (i).* Nos, tum Cardinalium, tum Consultorum suffragiis auditis, implorato Paracliti lumine, die 6 Ianuarii hoc eodem anno, decrevimus: *Constare in casu de duobus miraculis,* scilicet de primo, *lnstantaneae perfectaeque sanationis Matris Mariae Alexandrae a gravissima arthritide in genu dextero;* deque altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Franciseae a gravissimo ulcere in stomaeho.* Dominica autem in Septuagésima eodem anno, iterum Divini Spiritus lumine implorato, decrevimus: *Tuto procedi posse ad solemnem B. Petri Canonizationem* (2).

Modo quaeritur: Utrum novitii qui beneficium residentiale possident, ante professionem recurrere debeant ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium ut beneficium renunciare possint, an potius beneficium facto ipso professionis vacet?

Sacra Cong. Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et Consultationibus EE. et RR. praeposita proposito dubio: An in Congregatione Missionariorum nuncup. Imm. Cordis B. M. V. Filiorum professio perpetua vacationem beneficiorum residentialium inducat: respondendum censuit prout respondit: ***Affirmative.***

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 25 augusti 1903.

D. CARD. FERRATA, ***Praefectus.***

L. * S.

Phil. GIUSTINI, ***Secretarius.***

ORDINIS PRAEDICATORUM

CONVENTUS Goracensis Portus Nationis canonice erigitur.

Beatissime Pater,

P. Provincialis Ordinis Praedicatorum Provinciae Tolosanae humiliter petit a Sanctitate Tua canonicam erectionem Conventus, siti in loco vulgo ***Porto Nacional,*** **in Brasilia.**

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, audito voto Patris Procuratoris Generalis Ordinis, facultatem benigne tribuit Patri Magistro Generali, accedente consensu Ordinarii Goiacensis, deveniendi ad canonicam erectionem enunciati Conventus, cum omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus, quibus legitime alii Conventus praefati Ordinis fruuntur et gaudent, dummodo tamen in eo omnia habeantur, quae de iure requiruntur ad formam Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 15 Septembris 1903.

D. CARD. FERRATA, ***Praefectus.***

L. * S.

O. GIORGI

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CAUSAE

PER SUMMARIA PRECUM

Num. **I.**

S. SEVERINAE

INDULTI

Die 5 Septembris Í903.

Eugenius Fiumano, iam abhinc sexdecim annis canonicus theologus in Metropolitana ecclesia S. Severinae, qui semper muneri suo et legi residentiae fideliter satisfecit, quamvis a gravi stomachi morbo afflictatus iam ab annis 1894-95 fuerit ceu ex fide medica constat, mense augusto anni proxime elapsi preces obtulit pro dispensatione a lege chori et residentiae ad quinquennium, sub conditione deputandi substitutum seu coadiutorem quousque morbus evanesceret.

Rogatus Archiepiscopus ut referret de qualitatibus et capacitate personae substituendae ad chorale pensum et ad lectiones scripturales, et insuper Capituli votum exquireret, ipse quoad primum respondit, quod attento defectu cleri in civitate S. Severinae hic substitutus inveniri nequivit a canonico Theologo Fiumano, qui modo petitionem suam coarctat ad dispensationem tantum a choro et residentia ratione infirmitatis, rediens ab oppido natali in unaquaque hebdomada pro tradenda lectione scripturali ; notat vero Archiepiscopus quod canonici infirmi non residentes,

iuxta pervetustas Capituli S. Severinae constitutiones, puncta turis sunt obnoxii. Quoad secundum vero seu de voto Capituli ipse edicit tres Canonicos fuisse negativos, sex autem potius favobiles petitioni Canonici Fiumano, eá tamen conditione ut aliud iuratum medici iudicium ab eo producatur et strictiori temporis spatio indultum absentiae contineatur.

Hisce praeiactis haec adnotari potest quod expetita dispensationis gratia videretur deneganda. Sane ratio infirmitatis adducta non satis probata manet. Canonicus Fiumano nititur medicis attestationibus, quae cum iuratae non sint, plenam fidem facere nequeunt ; hinc est quod nonnulli canonici, ceu patet ex voto Capituli transmisso ad S. H. C. de eius infirmitate dubitent, eo magis quia insalubritas aquae, causa, iuxta canonicum Fiumano, contracti morbi, fundamento destituitur ex chimica peracta analysi.

Insuper gratiae concessio in themate vergeret in grave choralis servitii detrimentum. Et sane in praefato Capituli voto habetur quod ex duodecim Canonicis , quibus Capitulum constat est unus qui gaudet indulto iubilationis et non est compos sui ; tres proximi 70 annis et in comperto est senectutem ipsam morbum esse; alius saepe podagrae doloribus ardet ; Canonicus Poenitentiarius excipiendis fidelium confessionibus addictus; et canonicus iunior tempore aestivo residentiam deserit et suam familiam se confert ut ibi degat menses conciliares.

Legem autem residentiae observantes aliquo morbo non praepediti, intersunt utique choro, sed in dimidia parte ex alternativa hebdomadarum.

Demum sedulo advertendum quod Archiepiscopus refert et Capitulum confirmat, de consuetudine inibi existente mulctandi punctaturis canonicos infirmos extra residentiam manentes. Nam teste Benedicto XIV *inst. eccl. 107, %8, n. 46* cum die *2* decembris 1666 quaesitum fuisset: I. An distributiones quotidianas lucretur canonicus vel beneficiatus, qui solitus caeteroquin inservire, a civitate le-

gitimo vacationis tempore in vicinum oppidum (unde sub finem dictae vacationis potest opportune se reddere ad ecclesiae servitium) se contulit, ibique superveniente infirmitatis corporalis impedimento ita detinetur, ut ad civitatem redire et choro interesse non valeat 'i et quatenus affirmative. **II.** An hoc locum habeat quamvis in ecclesia vigeat contraria consuetudo? S. Congregatio Concilii respondit: Ad primum, lucrari : Ad secundum, non habere locum si •consuetudo sit legitime praescripta.

Conferri etiam possunt aliae resolutiones *Veliterno, - Fallen Harum, die 28 novembris 1857 ; Auximana - Distributionum, 28 aprilis 1860 ; et Reatina, 19 aprilis 1692,* in qua decernitur fallentias deberi canonico iubilato, dummodo non obstent constitutiones particulares et consuetudo ecclesiae. Vide etiam *Reiffenstuel lib. 3 decret., tit. 4, § 7, n. 190,* ubi ponit distinctionem inter particulare statutum •et consuetudinem in ordine ad distributiones lucrandas a canonicis infirmis non residentibus.

Cum igitur in themate allata consuetudo videatur esse legitime praescripta, quia, ut testantur Capitulares, est valde antiqua, indultum absentiae, si concedatur, dari oporteret cum clausula *amissis distributionibus quotidianis,* seu cum amissione fructuum massae parvae: et quidem non ad quinquennium ceu canonicus Fiumano expostulat, sed ad angustius tempus, puta ad triennium, ceu volunt canonici qui eius petitioni favere videntur : hoc enim temporis spatium satis sufficiens censetur ad pristinam sanitatem recuperandam.

Ex adverso autem observari potest quod de infirmitate canonici Fiumano ambigi non potest : eam enim apertis verbis testatur Archiepiscopus: « Magnopere commendamus oratori preces cum veritate nitantur ». Eam insuper confirmant tres medici fide digni ; at quoniam Capitulares nonnulli de ea dubitant, potest etiam exquiri iurata fides medica pro indulti concessione, vel etiam onerari oratoris conscientia *super praecisa necessitate absendi ob expositam*

causam, ut responsum fuit in *Regien. - Indulti, 14 decembris 1850.*

Constans autem et uniformis est praxis S. H. C. ut quoties de infirmitate constet numquam denegetur indultum vacationis a choro et absentiae a residentia ; id aperte fluit ex celebri et unico capite *de ci er. non resident, in 6°.* Neque huiusmodi naturalem benignitatem valet remorari eoque minus impedire oppositio canonicorum aliorumque interesse habentium, quae, comprobata infirmitate seu legitimo residendi impedimento, veluti iniusta et irrationabilis reputatur iuxta resolutiones in *Piscien. - Indulti 6 decembris 1760, in Praeten. - Vacandi a choro, 23 Iunii 1764, et in Casertana - Indulti abssendi, 16 dec. 1797.* Huiusmodi indulta ne ipsis quidem parochis recusan tur, si ob aeris intemperiem nequeant, absque valetudinis discrimine residere, uti factum est in *Tarraconen. - Residentiae, 24 martii 1773.*

Neque attendi convenit quod nonnulli Capitulares praetextu damni chori obtrudunt de resignatione beneficii vel de ponendo substituto : primum est contra aequitatem, inhumanum esse enim videtur ut qui ex morbo inhabilis evasit ad chori servitium, vel ad residendum, beneficium dimittere cogatur, et sic afflictionem afflictioni cumulare. Quoad alterum respondetur, qimd non stetit per canonicum Fiumano si substitutus poni non potuit, hoc potius repetendum ex defectu cleri, uti Archiepiscopus testatur; sed deinde nec exigi potest ut infirmus compellatur ad inserviendum vel residendum per substitutum, uti H. S. Congregatio declaravit in praefata *Piscien.* Insuper adnotandum quod canonicus Fiumano promittit per se lectiones scripturales tradere remeando ab oppido natali in unaquaque hebdomada ceu testatur Archiepiscopus in suis litteris diei 18 novembris 1902; et die qua legit, censetur praesens in choro, ut pluries decisum esse a S. Cong. Conc. refert Ferraris *Bibl. Can. »er. canon. art. IX, n. 41-42.*

Quoad vero receptam consuetudinem in ecclesia Cathe-

drali S. Severinae non tribuendi distributiones quotidianas -canonicis infirmis extra locum residentiae manentibus , in iure nihil certum videtur posse statui : hoc potius pendet -a casibus particularibus, siquidem S. Congregatio has consuetudines non semper recognovit: uti edicitur in *Veliterna-Fallentiarum* 28 novembris 1837. Unum tamen certum •est, quod ecclesia summa benignitate infirmos prosequitur et non patitur ut afflictis afflictio addatur; ac inde S. Congregatio statuta Capitulorum, quae aegrotis quotidianas denegant distributiones confirmanda non esse censet, utpote irrationabilia et contra bonum ecclesiae , teste Fagnano *lib. 3 Decretalium, cap. 1 de cler. aegrotan. n. 136.*

Et Eminentissimi Patres die 5 septembris reposuerunt :

« Attentis peculiaribus circumstantiis expositis, pro gratia dispensationis a residentia ad triennium, si tamdiu, -amissis distributionibus inter praesentes et firma obligatione peragendi lectiones scripturales ».

PER SUMMARIA PRECUM.

Num. II.

LIMBURGEN.

APPLICATIONIS MISSARUM

Die 5 Septembris 1903.

Iam ab antiquo, in oppido Ellar, dioecesis Limburgensis, fundata est ad S. Marcum quaedam capellania, postea vocata « Kapellenhof », quaeque 38 iugeris dotata est. Ab a. 1550 usque ad a. 1630, ob intrusam haeresim luteranam, in pago *Ellar* extinctus est catholicus cultus ; quo tempore praefata fundatio parochiali fundo ecclesiae matri-

eis oppidi Lahr incorporata est. Restituta autem catholica fide in oppido Ellar, controversia exorta est inter parochum oppidi Lahr et parochianos ecclesiae Ellar, qui praedicto-parocho negante contendebant eum ratione fundi « Kapellenhof » ad celebrandam hebdomadalem missam in Ellar esse adstrictum. Causa finita est per decretum auctoritatis civilis, quae parocho imposuit onus missae persolvendae quovis sabbato in Ellar, quin aliqua mentio haberetur de applicatione missae pro fundatore. Tempore sequenti missa non semper celebrata est die statuto, nec missa pro fundatoris anima applicata fuit. Sed quum a. 1838 ecclesia filialis Ellar denuo disiuncta sit ab ecclesia Lahr, atque in matricem erecta, fundatio « Kapellenhof », separata a fundo parochiali Lahr, unita est novae paroeciae Ellar-Hausen, nulla tamen facta mentione missae fundatae. Episcopus Limburgensis, modo extraiudiciali, pro missae applicatione sententiam tulit, a qua parochus Ellar-Hausen ad S. Sedem appellavit; proinde quaeritur:

I. *Utrum parochus in Ellar-Hausen obligatus sit ad applicandam missam hebdomadalem pro fundatore fundi* « Kapellenhof? » Et si affirmative ;

II. *Utrum respectu novi oneris gravissimi annuendum sit precibus parochi, reducendi nempe missam hebdomadalem in missam quovis mense vel quartaliter dicendam?*

Episcopus Limburgensis, exquisito eius voto, haec retulit : « Erigendae paroeciae Ellar fundus « Kapellenhof » in dotationem traditus fuit, obligationis missae pro fundatore applicandae mentione minime facta, cum parochus Lahrensis omni hebdomada in pago Ellar missam persolvent ob fructus ipsi ex dicto fundo assignatos. Si revera olim haec obligatio exstitit, de qua causa agitur, eam etiam post erectam parochiam durare, neque ipsi missis pro populo diebus dominicis et festivis satisfieri puto.

« Reditus vero annui dictae paroeciae, iuxta computum ecclesiasticum anni prioris, summam 2500 libellarum attingunt ; qui redditus hodie ex aerario publico usque ad 3625

libellas aucti sunt. Quia tamen secundum aetatem parochi, isti reditus plures aut minores ex dicto aerario assignantur, successor parochi hodierni forsan solas 2500 libellas percipiet. Congrua vero hac in dioecesi summa 1775 libellarum constituta est. Status passivus fundi parochialis non existit. Obligationes autem missarum, exceptis circa 80 missis pro populo applicandis, n. 96 tabellae inscriptae sunt. Si a Sacra Congregatione Concilii parochum obligatum esse ad missam hebdomadalem pro fundatore dicti « Kapellenhof » applicandam sententia feretur, summa quadam verisimiliter detrimentum, quod ex ea obligatione ipsi evenerit, reparabitur, sed summa ista ex aerario publico ei assignanda omni tempore est revocamus ».

Parochus vero Ellarensis ex triplici capite sustinet se ab obligatione missam applicandi pro fundatore solutum esse :

1. Quia neque ecclesiae Lahrensis in inventariis neque in tabellis fundationum haec obligatio inscripta invenitur, neque alicubi de ea fit mentio.

2. Quia a. 1675, quando incolae vici Ellar recursum obtulerunt auctoritati laicae pro habenda missa, decisum quidem fuit parochum Lahrensem, qui tunc paroeciae incorporatam capellaniam « Kapellenhof » habebat, debere quovis sabato in Ellar missam persolvere, sed de obligatione eam applicandi pro fundatore nulla mentio facta fuit.

3. Similes fundationes, sine obligatione missam applicandi, etiam in alia paroecia Grossholbach extant, ita nempe ut parochus diebus ferialibus in ecclesiis filialibus Kleinbolbacb et Girod dicere missam debeat favore filianorum, ab ecclesia matrice longe distantium.

Ex officio autem animadvertere praestat in facto quod a. 1838, cum nova paroecia Ellarensis fuit erecta eique dicta capellania incorporata, tabulae fundationis praesumuntur fuisse inspectae vel saltem exquisitae : si itaque nullum onus impositum fuit pro applicanda missa favore fundatoris, argumentum habetur in illis nihil constare de applicatione in casu.

In iure autem observari potest quod quamvis generatim, demandata in testamentis missae celebratione, iniunctum quoque onus applicationis censeatur, uti observat Benedictus XIV *(De Sacri f. Mis. lib. 3. cap. 9),* maxime cum deprehendatur testatorem vel fundatorem una cum populi commoditate animae quoque suae suffragium respexisse ; tamen haec regula cessat, ubi ex dispositionis contextu et ex aliis adiunctis, puta ex praxi fundationi proxima, coniicere liceat aliter testatorem praecipere voluisse; uti patet in *Tridentina - Applicationis missarum, 27 feb. 1768,* et in *Brixien. - Legati pii, 24 iulii 1838.* Tunc enim potius videtur fieri locus regulae iuris: *In obscuris, quod minimum est, sequamur.*

In contrarium vero animadverti potest, quod obligatio applicandi missam pro institutore Cappellaniae recognita fuit ab episcopo Limburgensi, cuius iurisdictioni parochus Ellarensis subest. Haec autem declaratio non videtur solido destitui fundamento ; si quidem instituta Cappellania cum onere missae praesumitur quod pius fundator eam voluerit celebrari in suffragium animae suae, nisi contrarium probetur ; cum autem de hac contraria voluntate in themate non resultet, applicandum potius recurrit principium regulae 45 in 6 : *Inspicimus in occultis quod est verosimilius.*

Quin imo, uti ex inventario quodam ab episcopo relato et a parocho Yorst confecto, eruitur quod a parochis Lahrensibus, ante a. 1838, quo tempore erecta fuit paroecia Ellarensis, dicta missa hebdomadalis pro fundatore applicabatur; quin aliquid operetur subsequuta observantia de missa non applicanda pro fundatore : quippe S. Congr. observantiam de non applicanda missa pro fundatore in calculo habere non solet quando deficiunt circumstantiae quae praesumere faciunt testatorem missae applicationem praecipere noluisse, ut notatur in *Taurinen. - Applicationis missarum, 26 aprilis 1836.*

Posita vero obligatione in parocho Ellarensi applicandi pro Cappellaniae fundatore non videtur esse ulla oneris re-

ductio impertienda, tum quia detrimentum ex hoc onere obventurum compensabitur summa ab aerario publico, tum quia reditus parocho assignati sunt valde pingues. Ex adverso vero notari potest quod assignatio praefatae summae non est certa, et insuper revocari potest ceu testatur episcopus per haec verba : « Summa quadam verisimiliter detrimentum, quod ex ea obligatione ipsi evenerit reparabitur, sed summa ista ex aerario publico assignanda omni tempore est revocabilis ». Reditus, quos parochus actualis in libell. 3625 percipit, sunt variabiles iuxta parochi aetatem, et forsan successor parochus percipiet lib. 2500, ut ait episcopus ; deinde hi reditus non videntur ita pingues, habita ratione locorum et regionis, ad honestam vitae sustentationem : hinc aliqua oneris reductio non videtur esse deneganda.

Rebus sic stantibus, Emi ac Revmi Patres Purpurati duobus propositis dubiis, die 5 septembris 1903, respondere censuerunt :

Ad I. ***Providebitur in*** *2°.*

Ad II. ***Attentis omnibus pro gratia reductionis oneris ad duas missas in singulis mensibus, perdurantibus hodiernis circumstantiis, et reductio ponatur in tabella.***

IN FOLIO

Num. IV

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 5 septembris 1903.

Sess. 24, c. 1, De ref. matr.

Species facti

Iosephus B., obtenta ipso nuptiarum mane per confessarium dispensatione super impedimento affinitatis ex copula illicita, die 14 novembris 1894 matrimonium coram

Ecclesia contraxit cum Blanca V. Quatuordecim fere mensibus elapsis mulier, quae vesanos amores erga iuvenem ***étudiant en médecine*** fovebat, suo viro valedixit, qui proinde civile divortium petiit et obtinuit. Hac obtenta sententia Parisiensem Curiam enixe rogavit ut declarationem nullitatis matrimonii cum Blanca emitteret, ob invaliditatem habitae dispensationis. Vir enim contendebat indultarium in dispensatione concedenda facultatibus triennalibus, alias quinquennalibus usum fuisse, quarum vi dispensatur super impedimento affinitatis occulto ex illicita copula proveniente ; non vero, uti par erat, facultatibus ***ad numerum,*** nempe pro viginti casibus, quarum vi impedimenta publica affinitatis relaxantur, quae ex actu fornicano promanant.

Curia Parisiensis, constituto tribunali, processum instruit, sed Blanca V. rea in causa, rite citata, comparere renuit. Neque Bertha, soror eius, cum qua marital iter per sex circiter menses Iosephus vixerat - et ex qua affinitatis impedimentum oriebatur - excuti poterat ; iam enim supremum diem obierat. Neque sororum mater, quae etiam decesserat : sed audito actore eiusque testibus septimae manus, iudex Parisiensis die 16 martii 1901 hanc edidit sententiam:

« Attendentes adfuisse inter Iosephum B. et Blancam » V. affinitatem illicitam in primo gradu collaterali, quae » ex iure ecclesiastico constituit impedimentum dirimens, » eamque fuisse publicam, ita ut nonnisi dispensatione in » foro externo data tolli valeret;

» Attendentes ex ipso testimonio actoris constare dis- » pensationem ab ipso eius confessario pridie quam nuptiae » celebrarentur, fuisse ab Ordinario Parisiensi petitam et » obtentam et actori his verbis notificatam « ***tuto nuptias » posse celebrari » ;***

» Attendentes nihil probare hanc dispensationem in foro » tantum interno esse petitam et praesertim datam, cum » confessarius vir prudens et doctus fuisse videatur;

» Attendentes grave his in circumstantiis dubium rema- » nere, utrum Ordinarius qui quidem potestatem ex indultis

» habet tum in interno tum in externo foro dispensandi, in » animo habuerit in interno tantum foro dispensare aut in » utroque, scilicet tollendo quaecumque matrimonio contra- » hendo obstare poterant ;

» Nec obstare quod mentio huius dispensationis non re- » periatur facta expressis nominibus in regestis Officialita- » tis, cum neglectio huius inscriptionis non valeat dispen- » sationem annullare;

» Attendentes igitur, hoc remanente gravi dubio, non » dici posse matrimonium certo fuisse nullum;

» Dicimus, declaramus et pronuntiamus non satis con- » stare de nullitate matrimonii inter Iosephum et Blan- » eam ».

Vir hoc pertaesus iudicio ad Sanctam Sedem appellationem interposuit, et facultatem obtinuit novas quasdam informationes actis processus addendi circa assertam dispensationem de qua in sententia. Curia vero Parisiensis omnia processus acta ad Sacram Congregationem Concilii transmisit, quae super hoc exorta controversia circa valorem dispensationis a confessario obtenta exquisivit votum duorum Consultorum.

Animadversiones Consultorum

Maxima sapientia et sedulitate opus suum peritissimi Consultores perfecerunt, idemque edixere iudicium.

Ipsi I° examinant an extiterit impedimentum affinitatis ex copula illicita ante matrimonii celebrationem ;

2° An publicum fuerit hoc impedimentum ;

3° An hoc impedimentum reipsa sublatum sit. Votorum summa huc recidit :

I. Existentiam praedicti impedimenti probant depositiones viri, qui iuratus deposuit. « Relationes quas habui cum Bertha V. initium coeperunt die 15 septembris, quando scilicet cubiculum in diversorio conduxi, in quo diu noctuque mecum Bertha degebat, et in quo eodem lecto semper usi sumus ». Hoc contubernium tum mater, tum Berthae soror

probe noverant, ceu actor affirmat. Haecque omnia testes decem formiter auditi testantur, quos inter Elisabeth L. ostiaria domus quam familia V. habitabat: « optime quidem, sic enim asseruit, perspectas habebam relationes Iosephi B. cum Bertha V. ante matrimonii celebrationem, has enim mihi ipsa revelavit ». Et Margarita F., Berthae amica de visu testificat : « Intimas illas quas cum Bertha V. relationes tenebat Iosephus B. meis oculis novi. Maritaliter vitam degebant, illos enim in diversorium sum comitata, cumque simul ibique eodemque cubiculo noctem transegissem, dum lectulum mihi seorsum paratur, uno eodemque usi sunt ipsi toro ».

Consonat denique Felix M. conterraneus et ab infantia amicus actoris, qui iuramento deposuit : « se quodam mane in diversorium amicum invisisse, et cubiculum ingrediens, non illum tantum sed quamdam foeminam simul reperisse, partim et imperfecte vestitam ». Serius autem mulierem illam Bertham V. nominari didicit testis.

Coeteri testes pariter concubinàriam cohabitationem ad brevius vel longius tempus omni securitate affirmant, itemque ponunt dictam cohabitationem tum genitrici tum sorori Berthae probe notam fuisse.

Igitur dubitari nequit iuxta Consultores de existentia impedimenti affinitatis ex copula illicita inter Iosephum B. et Blancam V. ante eorum coniugium.

II. Insuper pari certitudine constat, iuxta eximios Consultores, notorium hoc fuisse impedimentum.

Benedictus XIV fuse loquitur de publico et occulto in notificatione XX *(Notificazioni, parte IV),* innixus praesertim auctoritate DD. qui munus aliquod exercuerunt in Tribunali S. Poenitentiariae.

Quamvis, hi DD. ad distinguendum occultum a publico normam sumant ex numero personarum quibus impedimentum notum sit *(Syrus, Dilucidatio facultatum Maior. Poenit. Romae 1699 p. II, cap. 2, pag. 275; - Marcus Paulus Leo, Praxis ad Literas M. Poen. - Mediolani 1665 p. Il, De occultis),* tamen etiam hi, atque alii, qui

hanc normam tradunt, adhaerent DD. qui proponunt normam magis *generalem et rationalem,* praesertim quando agitur de impedimentis matrimonialibus.

Sic Syrus postquam dixisset : « unde si impedimentum sit notum vel tribus alicuius loci vel communitatis aut 5 vel 6 personis in civitate, adhuc occultum censeri debet », addit: « dummodo ab aliis non fuerit divulgatum aut ex circumstantiis non appareat ipsum facile esse publicandum » *(I. c.).* Et *Reiffenstuel* observat relate ad hanc regulam : « in praxi omnino attendi debet non tantum quot personis, sed etiam quibus impedimentum sit notum, quia bene fieri potest____ut respectu duorum vel trium v. gr. garrulorum aut inimicorum et divulgationis periculum revera adesse videatur, praesertim si aliae etiam circumstantiae tale periculum minentur *(lib. IV Append. de dispens, super Imped. num. 46). Sánchez* occasione quaestionis « utrum, matrimonium coram parocho et testibus initum, invalidum ob occultum impedimentum sit, ablato impedimento, iterum coram parocho et testibus celebrandum », ita definit occultum iuxta regulam magis generalem et rationalem : « in praesenti ut impedimentum dicatur occultum et eo sublato possit matrimonium clam celebrari, credo, occultum accipi ut distinguitur contra plene probabile.... dicitur' autem plene probabile in foro externo impedimentum ad dissolvendum matrimonium publice contractum quando duobus testibus probari potest, ut cum aliis docent *(Mascardi de Probationibus conci. 410 n. 19___)* et habetur expresse cap. *Quoties de testibus et attesi.* Debent autem esse illi duo testes non tantum idonei, sed omni exceptiones maiores.... Quare si sola relatione coniugis scirent impedimentum tres vel quatuor, adhuc diceretur impedimentum occultum,... quia testes illi non faciunt plenam fidem ad dissolvendum matrimonium, tantum enim deponunt de coniugis confessione quae sufficiens ad hoc non est *(lib. II, disp. 37, n. 11)* ». Cf. etiam *Corradi, Praxis dispens, lib. 7, cap. 7, n. 11 ; S. C. C. Neapolitana - matrimonii, 14 Iunii 1884___*

Ad normam horum principiorum deducunt Consultores dubitari non posse agi in casu nostro de impedimento publico. Ipse enim actor confitetur per sex circiter menses habuisse cum Bertha V., relationes maritales quas huius mater et soror optime noverant. Omnes testes de propria scientia et ex suasione aliorum inquilinorum deponunt illas relationes publicas fuisse, siquidem « mari taliter vivebant ». Accedit quod duo testes iuramento asseruerunt se propriis oculis vidisse Bertham et amasium pernoctantes in eodem cubiculo, aut ex eodem assurgentes. — Insuper unus ex Theologis parisiensibus attestatur: « Factum iuridicae publicitatis relationum Iosephi cum Bertha non est incertum. Habetur per sex circiter menses cohabitatio et insuper habentur illae certitudines quae oriuntur a cognitione humanae naturae de genere vitae hominis cum muliere: habetur confessio ipsius actoris et testium de visu et depositiones aliarum personarum. Ergo nos certe sumus coram impedimento publico affinitatis illicitae in primo gradu in linea collaterali ».

Quapropter nullum dubium quin agatur de publico affinitatis impedimento. Hinc est quod oculatissimus iudex Parisiensis iudicavit publicam fuisse affinitatem in casu de quo agitur praecise his verbis: « Attendentes adfuisse inter Iosephum B. et Blancam **V.** affinitatem illicitam in primo gradu collaterali quae ex iure ecclesiastico constituit impedimentum dirimens, eamque fuisse publicam, ita ut nonnisi dispensatione in foro externo data tolli valeret ».

III. Praestat ad tertiam et praecipuam partem gradum facere, quod nempe constat *hoc impedimentum sublatum non esse.* Et revera, ait peritissimus Consultor canonista, impedimentum affinitatis sive ex copula licita, sive ex copula illicita nonnisi dispensatione tollitur. Quamvis autem dispensatio ab impedimentis dirimentibus exclusive pertineat ad Summum Pontificem , tamen etiam Episcopi aliquando dispensare possunt ab iisdem, quantumvis certis, sive ex *tacita* sive ex *expressa* concessione ipsius Romani Pontificis.

Porro Archiepiscopus Parisiensis, uti constat ex actis a Sacra Poenitentiaria, duplicem obtinuit facultatem dispensandi ab impedimento ex copula illicita, scilicet ad quinquennium in casibus occultis, et in publicis pro determinato numero casuum. Quamvis autem unicum sit subiectum harum facultatum, tamen facultates semper distinctae remanent, et sicut dispensatio data vi facultatis pro casibus publicis valet pro utroque foro, at e contra dispensatio data vi facultatis pro casibus occultis vel nulla est si casus sit publicus tempore dispensationis, vel si casus occultus quidem tempore dispensationis deinde evadat publicus, nullimode dispensatio suffragari potest pro foro externo, iuxta clausulam, quae a S. Poenitentiaria apponi solet : « ita quod huiusmodi dispensatio in foro iudiciario nullatenus suffragetur ».

Iamvero quoad hanc dispensationem non est quaestio facienda an ipsa revera expetita fuerit a Confessario penes Curiam vel non, contrariae enim habentur declarationes circa hanc rem ab actore factae. Sed potius, arguit Consultor canonista, si revera petita fuerit, certe petita fuit in foro interno. Nam ex facto quod Iosephus B., impedimento certissime irretitus , dictum impedimentum confessario sibi ignoto, in actu confessionis sacramentalis tantum revelaverit, vehementissima praesumptione coniicitur impedimentum eodem modo seu eadem ratione a dispensante sublatum fuisse, qua revelatum fuerat, id est in foro tantum interno.

Age vero, iuxta eumdem praestantissimum Consultorem, dispensatio pro contrahendo matrimonio Berthae V. valide concessa fuisset : ***a)*** aut vi triennalis indulti - ***b)*** aut vi indulti ad numerum - c) aut tandem vi utriusque copulativa quadam dispensants intentione permixti.

Porro ***non vi prioris:*** quia impedimentum in casu, nedum occultum, e contra vere ac proprie publicum erat : quia iuxta stylum S. Poenitentiariae (qui vim habet in his rebus authenticae ac decretoriae interpretationis) indultum pro foro interno concessum ita stricte dicto foro limitatur, quod nullum in

foro externo, etiam pro matrimonio iam contracto, sortiatur effectum : « dummodo impedimentum sit occultum, ita quod huiusmodi gratia pro foro externo nullatenus suffragetur »; quia coeteris omissis considerationibus generalibus, pro Curia Parisiensi data fuit in specie, per praelaudatam S. Poenitentiariam, aequivalens interpretatio de facultate dispensandi super occulto, ad non occultum minime extendenda. ***Non vi posterioris;*** quia dispensatio petita fuit, ut iam dictum est, mere et exclusive in foro interno, in actu sacramentalis confessionis.

Iudex equidem arguit petitam et concessam fuisse in foro externo, eo quod confessarius vir prudens et doctus fuisse videatur. Ast praecise si confessarius iste incognitus fuerit vir doctus et prudens primo oculo perspexit agi in casu de impedimento publico, dispensationemque proinde expetivisset pro foro externo, quae tunc, secundum consuetas Curiae Parisiensis formalitates et cautelas, concessa ac registrata fuisset. — Verum enimvero nulla prorsus ne minima quidem in praesenti themate formalitas habetur, nullave cautela, nullaque registratio, ut ex suppletoriis actis aliunde constare videtur. Nam Officialis Parisiensis ad causas matrimoniales delegatus, de hac formiter siscitatus, clare respondit: « quotiescumque agitur de dispensatione, per quemlibet confessarium expostulata, se semper recurrere ad indultum pro occulto, non autem ad indultum pro publico ». Ergo confessarius in casu, si tamen dispensationem petierit pro Iosepho B., suo poenitente ignoto, eamdem reportavit nonnisi quoad impedimentum occultum.

Denique ***non vi utriusque Indulti,*** per intentionem dispensants, quoad unum idemque impedimentum forsan occultum, forsan publicum, copulati: I° quia, sequitur Consultor theologus, talis permixtio duorum indultorum, quorum unum impedimenta contemplatur tantum occulta, alterum vero tantum non occulta, videtur prorsus irrita et cassa. ibi enim , non amplius duo sed tria supponuntur indulta , nempe unum pro impedimento occulto, alterum pro impe-

dimento publico, tertium pro impedimento quod excogitatur esse forsan publicum forsan occultum. — 2° Quia dispensants intentio nequaquam mutare valet naturam impedimenti dispensandi : sicut physiologiae facultates specificantur et limitantur obiecto proprio, ita facultates canonicae, saltem per se ac de se, circumscribuntur intra proprium forum, id est dispensatio super occulto ad forum internum et dispensatio super publico ad externum, quin, hac et illa intentionaliter copulatis, utrumque forum attingi possit.

Demum Curia Parisiensis de factu semper abstinuit a praefata permixtione. Nam officialis Parisiensis, dispensationibus huiusmodi tunc temporis rite delegatus, asserit se nunquam, pro uno eodemque casu, utroque indulto copulatim usum fuisse; item declarat omnes dispensationes concessas vi Indulti *ad numerum,* ad 20 casus, semper fuisse registratas ; item Regestum notat specificative decem et octo dispensationes, absque ulla mentione matrimonii Berthae V.; item, e duobus aliis casibus, numquam forsan applicatis, nullum omnino suppeditat vestigium in regestis sive Curiae sive Paroeciae, e quo praesumi possit dispensationem applicatam fuisse matrimonio Berthae V. — Ergo dispensatio pro dicto matrimonio contrahendo, aut nunquam petita fuit, aut, per confessarium, nonnisi in foro interno et sub ratione impedimenti occulti petita et concessa fuit et proinde nulla dispensatio.

Sed potestne dici quod impedimentum in his adiunctis cessaverit? — Emus Gennari quaestionem illam in suis fundatissimis ac prudentissimis *Consultazioni (Edit. III, pag. 325 et seqq. necnon explicatius pag. 702 et seqq.)* ex professo pertractat; ibique conditiones, inter alia, clare praefinit quibus propter urgentiam cessare censetur impedimentum, videlicet : « Si può dispensare (per cessationem) quando____a____b____(a., b. ad rem non faciunt), c: questi impedimenti però devono essere occulti. Se infatti fossero pubblici, non vi sarebbe ragione di non differire il matrimonio ed aspettare la dispensa della S. Sede ; ed oltre a

ciò, si darebbe luogo a più. grave scandalo se si conoscesse che il Vescovo dispensasse (utique sine debita facultate) da un publico impedimento ». Item, nulla datur impedimenti cessatio, nisi « nei casi di urgentissima necessità: I° quando in pericolo di morte____2° quando tutto sia preparato pel matrimonio e non ci sia modo come differirlo senza probabile infamia o senza scandalo ». Ita Emus Gennari cum omnibus optimae notae moralistis.

Videamus igitur in themate, pergit praelaudatus Consultor theologus, an praefatae verificentur conditiones. Occultum debet esse impedimentum ; at, in casu nostro , vere ac proprie publicum fuit, per publicam, apertam, patentem in una alterave aede cohabitationem Iosephi cum amasia, quam insuper plerique testes noverant esse germanam sororem Blancae V. - Et hinc praedictus confessarius, vix audita praeterita cohabitatione cum Bertha, reposuit : « c'est grave, vous ne pouvez pas vous marier dans ces conditions____Il m'a dit qu'il fallait demander ***une dispense a*** *FEvêché* ». Ergo Confessarius minime cogitavit de impedimento propter urgentiam auferendo, etsi probe sciret nuptias esse celebrandas die insequenti matutinis horis; sed e contra Iosepho iniunxit ut cras rediret dispensationem tempestive recepturus interdum obtentam : « Il faut que j'en réfère à l'Archevêché. Il me donna rendez-vous pour le lendemain à huit heures ». Age vero, « le lendemain » confessarius declaravit quidem se non potuisse videre « ces messieurs de l'Archevêché », sed ne verbulum quidem fecit de ablatione impedimenti per seipsum propter urgentiam applicata, nisi sub illa vacua formula: « que voulez-vous? dans ces cas-là, on ne peut pas faire manquer le mariage ».

Oportet insuper ut adsit « urgentissima necessità ». At ubinam, in themate, necessitas illa urgentissima? Ubinam periculum scandali vel infamiae, etiamsi (gratuito) supponere velimus impedimentum occultum fuisse? Actor deponit quod non nupsisset, si confessarius eidem revelasset non potuisse dispensationem obtinere.

Oportet adhuc quod « non ci si sia tempo di ricorrere al Vescovo » inquit Emus Card. Gennari. Porro Confessario nullum dubium de possibili recursu ad Ordinarium : ipse siquidem illico, « Il faut, inquit, que j'en réfère à **r** Archevêché ». Transeat quod neque vespertinis horis huius diei, neque matutinis insequentis, non potuerit « voir ces messieurs »; imo, transeat quod nequidem eos videre forsan tentaverit, constat nihilominus quod ipse recurrendum -esse pro dispensatione, non autem remedium impedimenti cessantis applicandum esse putaverit.

Caeterum, vix ac ne vix quidem, urget eximius Consultor, excogitan potest recursum ad Ordinarium in civitate Parisiensi, vel praesentialiter, vel scripto tenus, etsi paucae suppeditent horae, esse impossibilem. Et hinc est quod, quando agitur de remediis quoad impedimenta dirimentia in confessione detecta ***ante*** matrimonium, semper patet Parochis et Confessariis aditus ad Ordinarium.

Animadversiones Defensoris Vinculi.

Ex adverso Sacramenti vindex contendit non satis constare de nullitate matrimonii in casu. Et in primis animadvertit haud difficile esse impugnare priorem processum Parisiensem hisce de causis : *a)* in causis de nullitate uterque coniux est audiendus; *b)* in casu vir fuit quidem auditus, at non uxor ; *c)* haec fuit quidem citata, at non comparuit, quum testetur Curia Parisiensis : « La rea, cité à la date du 3 Novembre pour la séance du quatorze Novembre, n'a pas répondu à la convocation et ne s'est pas présentée. Un accusé de reception de la Poste indique que la citation lui est parvenue »; *d)* verum non exinde sanatus dici potest processus defectus, nam mulier, quamvis obedire detrectaverit et ideo deliquerit, non statim dici potest contumax in sensu iuris, quia ad hoc necesse fuisset, ut praecessisset citatorium peremptorium ad universam causam et cum comminatione quod alias ad ulteriora procedatur usque ad iudicii terminationem et mentionem ; *e)* unde

debuisset Curia Parisiensis mulierem iuridice cogere ad comparendum, eo magis quod huius domicilium ipsam haud lateret.

Neque hisce animadversionibus contentus, scilicet vindex matrimonii, ego tunc cum instructionem edere ad nova acta conficienda, - mulieris citationem et examen urgebam his verbis: « Praeter actorem, sedulo erit cavendum ut mulier Blanca V., seu Iosephi uxor, quae hucusque audita haud fuit, quoad fieri poterit exquiratur, et meliori omni modo, v. g., interpositis parochi officiis, inducatur ad comparendum, atque ad exponenda ea omnia quae a re in causa videbuntur opportuna. » - Verum, adnotat defensor vinculi, Parisiensis Curia, quum acta novissima transmitteret, de-Blanca V. haec tantum notavit: « Rea autem non probis, moribus praedita et ambigua fide, rite tamen ad vocata non comparuit ».

Insuper vinculi defensor ipsammet affinitatem in casu dubiam esse contendit, quia « certissimum est, ait, hac nostra aetate, praesertim magnis in urbibus ac potissimum in civitate Parisiensi (magna *Condonnorum* parente, qui ideo* in commercio veneunt sub nomine : *les gants de Paris)* plurimos esse qui, coniugati vel soluti, hoc modo venerem exercent; videlicet si coniugati ad prolem vitandam, si non coniugati tum ad prolem vitandam, tum ad morbos venéreos declinandos »; et ideo nihil prorsus mirum si forte Bertha et Iosephus nonobstante consortio semestrali diurno nocturnoque, luxuriationibus turpiter indulserint, sed absque naturali copula, qua sola paritur affinitatis impedimentum.

Hisce perpensis EE. PP. die 5 septembris a. 1903 ad

Dubium

An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casui

Reposuerunt :

Sententiam Curiae Parisiensis esse in firmandam.

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 21 Novembris 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Concilii Congregatio in qua, praeter alia, propositae sunt infrascriptae Causae, iuxta morem eiusdem S. Congregationis •discutiendae ; quaeque sequenti modo resolutae fuerunt :

PER SUMMARIA PRECUM

I. BERGOMEN. - **DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.**

R. *Attentis omnibus non expedire.*

II. GU AST ALLEN. - **CONSUETUDINUM QUOAD SERVITIUM CHORALE.**

R. Ad 1um *Praevia sanatione quoad praeteritum, quoad futurum, pro gratia ad* 5um *facto verbo cum SSmo.*

Ad 2um *Serventur statuta.*

Ad 3um et 4um *Servetur ius comune.*

Ad 5um *Pro gratia dispensationis a cantu dumtaxat missae conventualis per quinquennium, exceptis omnibus diebus festis aliisque ab Episcopo determinandis pro suo arbitrio et conscientia, facto verbo cum SSmo.*

III. MEDIOLANEN. - **ONERIS MISSARUM QUOAD APPLICATIONEM.**

R. *Attentis omnibus pro gratia dispensationis a missae applicatione pro fundatore diebus festis ad cautelam facto verbo cum SSmo.*

IN FOLIO

I. PARISIEN. - **NULLITATIS MATRIMONII.**

R. *Sententiam esse confirmandam.*

II. PARISIEN. - **NULLITATIS MATRIMONII.**

R. *Sententiam esse confirmandam.*

III. MOHYLOVIEN. - **DISPENSATIONIS MATRIMONII.**

R. *Affirmative.*

IV. MECHLINIEN. - **NULLITATIS MATRIMONII.**

R. *In decisis.*

V. LUBLINEN. **SEU** VARSAVIEN. - **SEPARATIONIS thori ET COHABITATIONIS.**

Ad 1um *Providebitur in* 2°. Ad 2um *Affirmative ad* 1^{am} *partem ex culpa viri attenta etiam eius confessione, negative ad,* 2^{am}.

VI. COLOCEN. - **RESIGNATIONIS BENEFICII.** *(Sub secreto).*

R. Ad 1um *In decisis et amplius.*

Ad 2um *negative ad* 1^{am} *partem, affirmative ad* 2^{am}, *ita tamen ut pensio non solvatur sacerdoti Fonyò, usque dum peractis spiritualibus exercitiis tempjore et loco ab Archiepiscopo determinandis, scandala data non reparaverit, absolutionem ab excommunicatione, quatenus opus sit, non obtinuerit et humiliter se subiecerit.*

VII. PISTORIEN. - **PRAESENTATIONIS AD ECCLESIAM PAROCHIALEM.** *(Reservata).*

R. *Negative et amplius.*

EX S. G. DE PROPAGANDA FIDE

Privilegium conceditur ecclesiae de Makri-Kioi lucrandi indulgentias in ipsa quoque festivitatis SSmi Rosarii translatione.

Beatissime Pater,

In ecclesia parochiali Missionis Fratrum Praedicatorum in *Makri-Kioi (in Turchia) solemnitas* Festi SS. Rosarii remandatur, ex antiqua consuetudine, ad secundam Dominicam octobris, id est ad Octavam ipsius Festi; et hac die celebratur cum maximo concursu Fidelium. Ortum est dubium utrum Fideles, in hac secunda Dominica, lucrari valeant pretiosissimam Indulgentiam « toties quoties » et alias eiusdem Festi. Unde ad tollendam conscientiae anxietatem, modernus Superior huius Missionis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter implorat, pro hac ecclesia de *Makri-Kioi* facultatem transferendi ad secundam Dominicam Octobris supra dictam festivitatem SSmi Rosarii, cum privilegio lucrandi omnes Indulgentias adnexas.

Ex audientia Sanctissimi habita die 22 Septembris 1903, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. X, referente infrascripto S. C. de Prop. Fide Secretario, benigne adnuere dignatus est pro gratia, in omnibus, iuxta preces, servatis servandis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno ut supra.

Pro R. P. D. Secretario

LAJJRENTI C.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

INDULTUM pro Basilica Pompeiana quoad festum S. Thomae Aquinatis.

Quum in Pompeiana Basilica Pontificia sub titulo SS. Rosarii B. Mariae Virginis, a Sodalibus praesertim *Militiae Angelicae* ibidem canonice erectae, Dominica tertia, vel quarta mensis Maii solemnitas in honorem S. Thomae Aquinatis, Confessoris Ecclesiaeque Doctoris quotannis instituenda sit; Moderatores ipsiusmet sodalitii, ne eiusmodi festivitas in extrinsecis tantum concludatur, a SS. Domino Nostro Leone Papa XIII supplicibus votis privilegium flagitarunt, quo Missae omnes ea Dominica inibi celebrari valeant de festo eiusdem Sancti Doctoris. Sanctitas porro Sua, has preces Emi et Rmi Dñi Cardinalis Iosephi Prisco Archiepiscopi Neapolitani et pro enuntiata Basilica Vicarii eiusdem Sanctitatis Suae commendationis officio suffultas, peramanter excipiens, petitum Missarum privilegium benigne tribuere dignata est; dummodo non occurrat duplex primae classis vel Dominica privilegiata primae classis, quoad Missam solemnem, ac duplex etiam secundae classis quoad Missas lectas; quo in casu, praeter Missam solemnem, una tantum lecta de memorato festo S. Thomae celebretur: servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 29 maii 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. % S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ANDEGAVEN.

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Ioannae Delanoue, Ihstitutricis Sororum a S. Anna a Providentia nuncupatarum.

Instante Rmo P. Mauro Maria Kaiser Ordinis Praedicatorum et Causae Beatificationis et Canonizationis praedictae Ven. Servae Dei Ioannae Delanoue Postulatore, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Franciscus Desideratus Mathieu, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congrega-

tionis Comitiis Rotalibus subsignata die ad Vaticanum habitis iuxta peculiares Apostolicas dispositiones annis 1878 et 1895 editas, sequens Dubium discutiendum proposuit; nimirum: « *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica auctoritate constructi in Curia Andegavensis super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefatae Ven. Servae Dei, in casu et ad effectum de quo agitur Î* » Sacra porro Rituum Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: « *Affirmative seu constare* », die 10 Novembris 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum S. R. C. Secretarium relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 11 eisdem mense et anno.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Seeret.*

BAIONEN.

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Michaelis Garicoits, Sacerdotis Fundatoris Congregationis Presbyterorum a S. Corde Iesu.

Ad instantiam Rmi P. Mauri Mariae Kaiser Ordinis Praedicatorum et praefatae Causae Baionen. Ven. Servi Dei Michaelis Garicoits Postulatoris ab Emo et Rmo Dno Cardinali Dominico Ferrata, eiusdem Causae Ponente seu Relatore, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis Rotalibus subsignata die ad Vaticanum habitis iuxta Apostolicas dispositiones annis 1878 et 1895 ^editas, sequens Dubium propositum fuit, nimirum : « *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica auctoritate in Curia ecclesiastica Baionensi constructi, super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praedicti Ven. Servi Dei, in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Sacra porro Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribere rata est : « *Affirmative seu constare* », die 10 Novembris 1903.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum S. R. C. Secretarium relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 11 eisdem mense et anno.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. % S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret*

CONGREGATIONIS A RESURRECTIONE D. N. I. C.

USUS canendi antiphonam «Salve Regina» post Missam solemnem de Requie reprobatur.

Beatissime Pater,

Revmus P. Ladislaus Marszalkiewicz, Congregationis a Resurrectione D. N. I. C, Procurator Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter exposuit; nimirum : In Instituti sui ecclesiis invaluit usus cantandi a cantoribus in choro antiphonam *«Salve Regina* **» post Missam cantatam de Requie et immediate post absolutionem ad tumulum, cum Celebrans revertitur ad Sacristiam. Inde quaeritur:**

I. An hoc sit conforme Rubricis?

II. An poterit hoc in posterum fieri?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Negative **ad utrumque, et servetur Rituale Romanum (1).**

Atque ita rescripsit, die 20 Novembris 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus*

L. © S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret,*

(i) Etenim Rituale Romanum Tit. VI, cap. III. *Exequiarum Ordo,* n. IS praecipit ut post Missam cantatam de Requie et immediate post absolutionem ad tumulum: «in sacristiam revertentes dicant sine cantu Antiphonam *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis* etc.; *Requiem aeternam* etc. ».

ORDINIS MINORUM PROVINCIAE ANGLIAE

DUBIA liturgica proponuntur atque solvuntur.

Emi ac Rmi Domini,

R. P. Thaddaeus Hermans, kalendarista provinciae Angliae Ordinis Minorum, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis a Sacra Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humillime postulavit; nimirum :

I. An commemoratio festi simplicis *primarii* debeat praecedere commemorationem festi simplicis *secundarii,* ita ut in festo duplici S. Romualdi Abbatis, quod die 15 februarii fixe repositam colitur, prius commemorari oporteat festum natale SS. Faustini et Iovitae Martyrum, quam translationem Sancti Antonii Patavini Confessoris?

II. An festa Dedicationis Basilicarum Assisiensium, *de Portiuncula,* nempe, atque de S. Francisco quae a Benedicto XIII uti matrices et capita ecclesiarum Ordinis Seraphici declarantur, uti festa primaria debeant in universo Fratrum Minorum Ordine haberi, quemadmodum sunt in universo orbe catholico Dedicationis Basilicarum Patriarchalium Urbis ?

III. An sub die 4 Iulii commemoratio Octavae SS. Apostolorum Petri et Pauli, etiam in ecclesiis consecratis anteponenda sit commemorationi diei infra Octavam Dedicationis omnium ecclesiarum Ordinis Seraphici, quamvis in Breviario Romano Seraphico contrarium hucusque ordinetur?

IV. An festum gaudens Octava, si dies libera infra Octavam occurrit, in repositione praeferatur festo altioris ritus vel dignitatis, quod octavam non habet?

V. An in festis Translationis S. Francisci atque Inventionis Sanctae Clarae, silente Breviario Romano Seraphico,*hymni proprii qui sunt ordine historico exarati, debeant in casu impedimenti transponi vel pro casuum diversitate coniungi!?

VI. An die Octava S. Thomae Cantuariensis legi possint in Tertio nocturno lectionis Homiliae « *Audistis* », ut Dominica II post Pascha, quae multis locis iam concessae sunt, licet nondum in Octavario insertae?

VII. An ex Decreto n. 2390 *Varsavien.* 7 Maii 1746 "ad 5, collecta de SSmo Sacramento prohibeatur in Missis privatis

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico al Vaticano, il giorno della Vergine e Martire S. Cecilia, 22 Novembre 1903, del Norstro Pontificato l'anno primo.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

quo SSmus D. N. Pius Pp. X tradit normas fundamentales actionis christianae popularis.

PIUS PP. X

Fin dalla prima Nostra Enciclica all'Episcopato dell'Orbe, facendo eco a quanto i Nostri gloriosi Predecessori ebbero stabilito intorno all'azione cattolica del Laicato, dichiarammo lodevolissima questa impresa, ed ancor necessaria nelle presenti condizioni della Chiesa e della civile società (1). E Noi non pos-

(1) Cfr. Primam Encyclicam Pii PP. X, *E supremi Apostolatus cathedra,* die 4 Octobris 1903, in hoc ipso volumine relatam pag. 129 : praesertim vero vide pag. 138,

siamo non encomiare altamente lo zelo di tanti illustri personaggi, che da lungo tempo si diedero a questo nobile compita e l'ardore di tanta eletta gioventù, che alacre è corsa a prestare in ciò l'opera sua. Il XIX Congresso Cattolico, tenuto testé a Bologna e da Noi promosso e incoraggiato (1), ha sufficientemente mostrato a tutti la vigoria delle forze cattoliche, e quello che possa ottenersi di utile e salutare in mezzo alle popolazioni credenti, ove questa azione sia ben retta e disciplinata, e regni unione di pensieri, di affetti e di opere in quanti vi concorrono.

Ci reca però non lieve rammarico che qualche disparere, sorto in mezzo ad essi, abbia suscitato delle polemiche pur troppo vive, le quali, se non represse opportunamente, potrebbero scindere le medesime forze e renderle meno efficaci. Noi che raccomandammo sopra tutto l'unione e la concordia degli animi prima del Congresso, perchè si potesse stabilire di comune accordo quanto si attiene alle norme pratiche dell'azione cattolica, non possiamo ora tacere. E poiché le divergenze di vedute nel campo pratico mettono capo assai facilmente in quello teoretico, ed anzi in questo necessariamente devono tenere il loro fulcro, è d'uopo rassodare i principi, onde tutta dev'essere informata l'azione cattolica.

Leone XIII di s. m., Nostro insigne Predecessore, tracciò luminosamente le jiorme dell'azione popolare cristiana nelle preclare Encicliche *Quod Apostolici muneris* del 28 Dicembre 1878 (2), *Rerum novarum* del 15 Maggio 1891 (3), e *Graves de communi* del 18 Gennaio 1901 (4); e ancora in particolare Istruzione emanata per mezzo della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, il 27 Gennaio 1902 (5).

E Noi che non meno del Nostro Antecessore vediamo il grande bisogno che sia rettamente moderata e condotta l'azione popolare cristiana, vogliamo che quelle prudentissime norme siano esattamente e pienamente osservate; e che nessuno quindi ardisca allontanarsene menomamente. — E però, a tenerle più facilmente vive e presenti, abbiamo divisato di raccoglierle come

(1) Cfr. vol. praesens pag. 285.
(2) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. XI, pag. 569.
(5) Cfr. Item, vol. XXIII, pag. 641.
(4) Cfr. Item, vol. XXXIII, pag. 383.
(5) Cfr. Item, vol. XXXIV, pag. 401.

in compendio nei seguenti articoli, quale Ordinamento fondamentale dell'azione popolare cristiana, riportandole da quegli stessi Atti. Queste dovranno essere per tutti i cattolici la regola costante di loro condotta.

ORDINAMENTO FONDAMENTALE

DELL'AZIONE POPOLARE CRISTIANA

I. La Società umana, quale Dio l'ha stabilita, è composta di elementi ineguali, come ineguali sono i membri del corpo umano: renderli tutti eguali è impossibile, e ne verrebbe la distruzione della medesima Società (Encycl. *Quod Apostolici muneris).*

II. La eguaglianza dei vari membri sociali è solo in ciò che tutti gli uomini traggono origine da Dio Creatore; sono stati redenti da Gesù Cristo, e devono alla norma esatta dei loro meriti e demeriti essere da Dio giudicati, e premiati o puniti (Encycl. *Quod Apostolici muneris).*

III. Di qui viene che, nella umana Società, è secondo la ordinazione di Dio che vi siano principi e sudditi, padroni e proletari, ricchi e poveri, dotti e ignoranti, nobili e plebei, i quali, uniti tutti in vincolo di amore, si aiutino a vicenda a conseguire il loro ultimo fine in Cielo; e qui, sulla terra, il loro benessere materiale e morale (Encycl. *Quod Apostolici muneris).*

IV. L'uomo ha sui beni della terra non solo il semplice uso, come i bruti; ma sì ancora il diritto di proprietà stabile: nè soltanto proprietà di quelle cose, che si consumano usandole: ma eziandio di quelle cui l'uso non consuma (Encycl. *Rerum novarum).*

V. È diritto ineccepibile di natura la proprietà privata, frutto di lavoro o d'industria, ovvero di altrui cessione o donazione ; e ciascuno può ragionevolmente disporne come a lui pare (Encycl. *Rerum novarum).*

VI. Per comporre il dissidio fra i ricchi ed i proletari fa mestieri distinguere la giustizia dalla carità. Non si ha diritto

a rivendicazione, se non quando si sia lesa la giustizia (Encycl- *Rerum novarwn).*

VII. Obblighi di giustizia, quanto al proletario ed all'operaio, sono questi: prestare interamente e fedelmente l'opera che liberamente e secondo equità fu pattuita; non recar danno alla roba, nè offesa alla persona dei padroni; nella difesa stessa dei propri diritti astenersi da atti violenti, nè mai trasformarla in ammutinamenti (Encycl. *Rerum novarum).*

VIII. Obblighi di giustizia, quanto ai capitalisti ed ai padroni, sono questi: rendere la giusta mercede agli operai; non danneggiare i loro giusti risparmi, nè con violenze, nè con frodi, nè con usure manifeste o palliate; dar loro libertà per compiere i doveri religiosi, non esporli a seduzioni corrompitrici ed a pericoli di scandali; non alienarli dallo spirito di famiglia e dall'amor del risparmio : non imporre loro lavori sproporzionati alle forze, o mal confacenti coll'età o col sesso (Encycl. *Rerum novarum).*

IX. Obbligo di carità de' ricchi e de' possidenti è quello di sovvenire ai poveri ed agl'indigenti, secondo il precetto Evangelico. Il qual precetto obbliga sì gravemente, che nel dì del giudizio, dell'adempimento di questo in modo speciale si chiederà conto, secondo disse Cristo medesimo (Matth, xxv) (Encycl. *Rerum novarum).*

X. I poveri poi non devono arrossire della loro indigenza nè sdegnare la carità de'ricchi, sopra tutto avendo in vista Gesù Redentore, che, potendo nascere fra le ricchezze, si fece povero per nobilitare la indigenza ed arricchirla di meriti incomparabili pel Cielo (Encycl. *Rerum novarum).*

XI. Allo scioglimento della quistione operaia possono contribuir molto i capitalisti e gli operai medesimi con istituzioni, ordinate a porgere opportuni soccorsi ai bisognosi, ed avvicinare ed unire le due classi fra loro. Tali sono le società di mutuo soccorso; le molteplici assicurazioni private; i patronati per i fanciulli, e sopra tutto le corporazioni di arti e mestieri (Encycl. *Rerum novarum).*

XII. A tal fine va diretta specialmente l'Azione Popolare Cristiana o Democrazia Cristiana colle sue molte e svariate opere. Questa Democrazia Cristiana poi dev'essere intesa nel senso già autorevolmente dichiarato, il quale, lontanissimo da quello della *Democrazia sodale,* ha per base i principi della fede e della morale cattolica, quello sopra tutto di non ledere in veruna guisa il diritto inviolabile della privata proprietà (Encycl. *Graves de communi).*

XIII. Inoltre la Democrazia Cristiana non deve mai immischiarsi con la politica, nè dovrà mai servire a partiti ed a fini politici; non è questo il suo campo: ma essa dev'essere un'azione benefica a favore del popolo, fondata sul diritto di natura e sui precetti del Vangelo (Encycl. *Graves de communi)* (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

I Democratici cristiani in Italia dovranno del tutto astenersi dal partecipare a qualsivoglia azione politica che nelle presenti circostanze, *per ragioni di ordine altissimo,* è interdetta ad ogni cattolico (Istruz. cit.).

XIV. In compiere le sue parti, la Democrazia cristiana ha obbligo strettissimo di dipendere dall'Autorità Ecclesiastica, prestando ai Vescovi ed a chi li rappresenta piena soggezione e obbedienza. Non è zelo meritorio, nè pietà sincera l'intraprendere anche cose belle e buone in sè, quando non siano approvate dal proprio Pastore (Encycl. *Graves de communi).*

XV. Perchè tale azione democratico-cristiana abbia unità d'indirizzo, in Italia, dovrà essere diretta dall'Opera de' Congressi e de' Comitati Cattolici; la quale Opera in tanti anni di lodevoli fatiche ha sì ben meritato della S. Chiesa, ed alla quale Pio IX e Leone XIII di s. m. affidarono l'incarico di dirigere il generale movimento cattolico, sempre sotto gli auspici e la guida dei Vescovi (Encycl. *Graves de communi).*

XVI. Gli scrittori cattolici, per tutto ciò che tocca gl'interessi religiosi e l'azione della Chiesa nella società, devono sottostare pienamente, d'intelletto e di volontà, come tutti gli altri fedeli, ai loro Vescovi, ed al Romano Pontefice. Devono guardarsi sopra tutto di prevenire, intorno a qualunque grave ar-

gómente-, i giudizi della Sede Apostolica (ïstruz.^cîella S. Congr. degli AA. EE. SS.).

XVII. Gli scrittori democratico-cristiani, come tutti gli scrittori cattolici, devono sottomettere alla preventiva censura dell'Ordinario tutti gli scritti, che riguardano la religione, la morale cristiana e l'etica naturale, in forza della Costituzione *Officiorum et munerum* (art. 41) (1). Gli ecclesiastici poi, a norma della medesima Costituzione (art. 42), anche pubblicando scritti di carattere meramente tecnico, debbono previamente ottenere il consenso dell'Ordinario (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

XVIII. Debbono fare inoltre ogni sforzo ed ogni sacrifizio perchè regnino fra loro carità e concordia, evitando qualsivoglia ingiuria o rimprovero. Quando sorgano motivi di dissapori anziché pubblicare cosa alcuna sui giornali, dovranno rivolgersi all'Autorità Ecclesiastica, la quale provvedere secondo giustizia. Ripresi poi dalla medesima obbediscano prontamente, senza tergiversazioni e senza menarne pubbliche lagnanze; salvo, nei debiti modi ed ove sia richiesto dal caso, il ricorso all'Autorità superiore (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

XIX. Finalmente gli scrittori cattolici, nel patrocinare la causa dei proletari e de' poveri, si guardino dall'adoperare un linguaggio che possa ispirare nel popolo avversione alle classi superiori della società. Non parlino di rivendicazioni e di giustizia, allorché trattasi di mera carità, come innanzi fu spiegato. Ricordino che Gesù Cristo volle unire tutti gli uomini col vincolo del reciproco amore, che è perfezione della giustizia, e che porta l'obbligo di adoperarsi al bene reciproco (Istruz. della S. C. degli AA. EE. SS.).

Le predette norme fondamentali, Noi, di moto proprio e di certa scienza, colla Nostra Apostolica autorità le rinnoviamo in ogni loro parte, ed ordiniamo che vengano trasmesse a tutti i Comitati, Circoli ed Unioni Cattoliche di qualsivoglia natura e forma. Tali società dovranno tenerle affisse nelle loro sedi, e

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXIX, pag. 388.

rileggerle spesso nelle loro adunanze. Ordiniamo inoltre che i giornali cattolici le pubblichino integralmente e dichiarino di osservarle e le osservino infatti religiosamente : altrimenti sieno gravemente ammoniti, e se ammoniti non si emendassero, verranno dall'Autorità Ecclesiastica interdetti.

Siccome poi a nulla valgono parole e vigoria d'azione, se non siano precedute, accompagnate e seguite costantemente dall'esempio ; la necessaria caratteristica, che deve rifulgere in tutti i membri di qualunque Opera cattolica, è quella di manifestare apertamente la fede colla santità della vita, colla illibatezza del costume e colla scrupolosa osservanza. delle leggi di Dio e della Chiesa. E questo perchè è il dovere d'ogni cristiano, e poi anche perchè *ehi ei sta di contro, abbia rossore, non avendo nulla, onde dir male di noi* (Tit. II, 8).

Di queste Nostre sollecitudini pel bene comune dell'azione cattolica, specialmente in Italia, speriamo, colla divina benedizione, copiosi e felici frutti.

Dato in Roma presso S. Pietro il 18 Décembre 1903, anno primo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

INDULGENTIAE a SS.mo Pio PP. X pro s. functionibus diei 8 cuiusvis mensis et ad Urbem peregrinationibus durante anno 190,4 concessae.

PIO PP. X

A tutti i fedeli cristiani a cui giungeranno le presenti lettere, salute ed Apostolica benedizione. Tutto ciò che può essere di bene, di vantaggio e di felicità al nome cattolico e alla eterna salute delle anime, Noi per ufficio del supremo Apostolato, di cui per divina disposizione siamo investiti, in ogni modo che è in nostro potere procuriamo, e favoriamo con la elargizione di spirituali benefici. Pertanto, ricorrendo nel prossimo anno il cinquantesimo giorno anniversario da quello, in cui col plauso di tutto 1' orbe cattolico, il Pontefice Pio IX di f. m. nostro Predecessore dichiarò con solenne Decreto essere

stata la Vergine Madre di Dio concepita senza peccato, ea celebrare la memoria di questo auspicatissimo evento facendosi in molte Chiese e Cappelle nell' ottavo giorno di ogni mese per *Y* intero anno dal giorno ottavo del volgente Décembre al giorno ottavo del prossimo anno 1904, o nella Domenica immediatamente seguente speciali preghiere, Noi, a cui nulla sempre fu più a cuore che cresca ognor più di giorno in giorno la devozione alla Vergine Immacolata, abbiamo stabilito di aprire benignamente nel Signore, i celesti tesori della Chiesa, che F Altissimo ci ha dato facoltà di dispensare. Per la qual cosa fidando nella misericordia dell' Onnipotente Iddio e per l'autorità de' SS. Pietro e Paolo suoi Apostoli, a tutti e singoli i fedeli dell' uno e dell' altro sesso, che in qualunque delle Chiese o Cappelle esistenti in qualsiasi parte del mondo, nelle quali con permesso del rispettivo Ordinario si faccia abitualmente una funzione mensile in onore della Vergine Immacolata, assistano alla medesima funzione, avendo almeno il cuore contrito, condoniamo, nella forma solita della Chiesa circa il numero delle pene, sette anni e altrettante quarantene; e quante volte poi, nei giorni in cui ha luogo questo pio esercizio mensile, visitino egualmente contriti di cuore le Chiese ed Oratori suddetti, per altrettante volte condoniamo ai medesimi, similmente nella forma solita della Chiesa, trecento giorni di pena. Inoltre agli stessi fedeli di ambedue i sessi, che almeno tre volte, nel corso dell' anno, abbiano assistito alle dette funzioni, e confessati e comunicati innalzino devote preghiere a Dio per la concordia dei principi cristiani, per la estirpazione delle eresie, per la conversione dei peccatori e per la esaltazione della S. Madre Chiesa, concediamo la indulgenza plenaria, da lucrarsi una volta soltanto da ognun di essi; come ancora a coloro che dentro il futuro anno 1904, o in comitiva, o isolatamente, vengano in pellegrinaggio a questa nostra Alma Città, e quivi con spirito di vera penitenza confessati e comunicati visitino divotamente le Basiliche Vaticana e Liberiana, e, come sopra si è detto, innalzino pie preci a Dio, concediamo misericordiosamente nel Signore anche la plenaria indulgenza e remissione di tutti i peccati. Finalmente concediamo agli stessi fedeli che possano, se così preferiscono, con queste plenarie e parziali indulgenze espiar le colpe e pene dei defunti. Non ostante qualunque cosa in contrario. Le presenti lettere hanno

valore unicamente in tale occasione. Vogliamo poi che agli estratti ed esemplari delle presenti lettere, ancorché stampati, sottoscritti per mano di qualche pubblico Notaio, e muniti del sigillo di persona avente ecclesiastica dignità, sia attribuita la stessa fede che si accorderebbe a queste stesse presenti lettere, se fossero esibite o mostrate.

Dato a Roma presso S. Pietro sotto *V* anello del Pescatore, il giorno 7 Dicembre 1903, del Nostro Pontificato Anno Primo.

L. & S.

L. CARD. MACCHI.

(Versio fidelis)

PIUS PP. X

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Quidquid boni, utilitatis et felicitatis catholico nomini ac aeternae animarum saluti conferre potest, Nos, supremi Apostolatus officio Nobis divina favente clementia concrediti, totis viribus curamus atque spiritualium gratiarum elargitione favemus. Praeterea quum anno proximo dies quinquagesimus a quo, toto terrarum orbe catholico plaudente, Pius PP. IX fel. rec. Praedecessor Noster Immaculatam Dei Genitricis Mariae Conceptionem solemniter pronunciavit, recurrat, atque ad huius auspicatissimi eventus memoriam concelebrandam quampluribus in ecclesiis et oratoriis die octava cuiusvis mensis per integrum annum a die octavo vertentis Decembris ad octavum diem proximi a. 1904, vel in Dominica immediate subsequenti peculiares effundantur preces, Nos, nihil magis optantes, quam devotio erga Virginem Immaculatam semper in dies efflorescat, coelestes Ecclesiae thesauros, Nobis a Deo commissos, benigniter adaperire in Domino statuimus. Quapropter de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui, in quacumque ecclesia aut oratorio totius orbis existentibus, ubi approbante loci Ordinario, mensilis functio in honorem B. Mariae Virginis Immaculatae fiat, eidem exercitio assistant, corde saltem contriti, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentias in forma Ecclesiae

consueta relaxamus: diebus vero, quibus mensile hoc pietatis exercitium peragatur, corde similiter contriti memoratas ecclesias et oratoria visitaverint, toties quoties tercentum dierum poenarum in forma pariter Ecclesiae consueta relaxamus. Iisdem insuper utriusque sexus Christifidelibus qui saltem ter durante proximo anno iisdem functionibus interfuerint, confessi ac S. Communione refecti pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam semel tantummodo ab unoquoque lucrandam concedimus. Item iis omnibus qui, durante futuro anno 1904, aut simul vel singillatim ad hanc Nostram Almam Urbem convenerint, ibique verae poenitentiae spiritu confessi ac S. Mensa refecti Vaticanam et Liberiana m Basilicas devote visitaverint, ut supra deprecantes, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quas plenarias ac partiales indulgentias animabus Christifidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus et largimur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus hac tantum occasione valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die *8* Decembris 1903, Pontificatus Nostri Anno Primo.

L. * S.

AL. Card. MACCHI.

ROMANA

ADMINISTRATIO Sixtini Sacrarii in Basilica S. Mariae Maioris de Urbe existentis committitur Cardinali Archipresbytero et Capitulo Liberiano.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam

Pietate Nos studioque adducti, quo beatissimam Dei Matrem venerari et colere, uti semper ante Pontificatum consuevimus, ita nunc maxime in exemplum studemus, animum mature intendimus ad Patriarchalem Basilicam Liberianam, quae utpote Aedes Deiparae augustissima ex omnibus, curae Nobis esse praecipuo quodam iure debet. Atque ut de Principe Virginis templo cogitemus in praesens, ipsa facit opportunitas temporis, quum apparantur mariales toto orbe laetitiae, quod ante annos quinquaginta Pius IX fel. rec. Decessor Noster immaculatam ab origine Mariam credendam esse edixerit. Iamvero cum voluntatem favoremque quo eam Basilicam prosequimur testari iam nunc re velimus, placet consilium quoddam exequi, quod cum in tuitionem sacerrimae aedis aliquid conferat, tum Liberiano Canonicorum Ordini sane decorum fore videatur. Spectat autem res pernobile Corporis Christi Sacrarium munificentia Sixti V. Pont. Max. ibidem constructum ad cunas etiam Domini Nostri augustius custodiendas: cuius quidem Sacrarii procurandi administrandique rationem, quae viguit ad hoc tempus, immutare his Litteris opportunum censemus.

Igitur Pius IX datis die XXVIII Decembris an. MDCCCLXIX Apostolicis Litteris Collegium Sacerdotum, quod Sixtus auctor Sacrario addixerat, quum abolevisset, alias deinde Litteras, quarum initium *De insignium pietatis* die XXIV Maii a. MDCCCLXXI dedit, quibus munere et officio Cardinalis Protectoris abrogato, Sixtinum Sacrarium sibi suisque in Pontificatu Successoribus immediate subiecit, atque bona, iura et actiones, quae sive ad Sacrarium, sive ad Collegium dictum quovis nomine pertinerent, Sacrario eidem in perpetuum assignavit et attribuit. Simul decrevit ut Cardinalis aedium pontificalium Praefectus aut Antistes Diaetarchus, si penes hunc, loco Cardinalis Praefecti esset Palatii Apostolici procuratio, Sixtino Sacrario vice sacra praeesset, et bona omnia Sacrario attributa administraret, cauto nominatim,

ut quae annuis rationibus deductis fuisset pecunia reliqua, rite legitimeque collocaretur foenori, extraordinariis quoque suppeditandis sumptibus par futura.

Praeterea Pontificis Maximi voluit esse idoneum de clero virum deligere, ad nutum, si res postularet, amovendum, qui Sacrario honore gratuito proximus praesideret; isque non modo rectam ibidem perfunctionem sacrorum curaret, verum etiam Sacrarii ornatum ipsasque aedes sarta tecta tueretur; nihil tamen impendii, nisi auctore vel Cardinali Palatii Praefecto vel Antistite Diaetarcho, faceret. Alterutri autem sive Cardinali sive Antistiti facultatem fecit deligendi ad custodiam Sacrarii Sacerdotem aedituum, duosque praeterea clericum et laicum amovendos item ad nutum, eisque munia et stipendia definiendi.

Denique continentem Sacrario domum, quam ipse extruendam curaverat, Sacrario similiter datam addictamque, utendam aedituo Sacerdoti et custodi laico concessit, excepta inferiore domus parte, cuius sibi et successoribus usum reserva vit. — Haec Pius IX, praeter alia quaedam, ad reliquias praesertim extincti a se Sixtini Collegii pertinentia, constituit in iis Litteris, quas supra memoravimus.

Nos vero Decessoris Nostri decreta, qua parte opus est abrogantes, stabilia de cetero et rata iubentes esse, haec statuimus et sancimus:

I. Sixtinum Sacrarium eodem iure posthac erit, ac ceterae sunt templi Liberiani partes : ita quidem ut eius Sacrarii dominium seu proprietas penes Apostolicam Sedem maneat, usus autem et ususfructus Capitulo Liberiano cedat.

II. In bonis, Pii IX decreto, Sacrario Sixtino assignatis, usus contiguae domus, nulla reservata parte, censeatur.

III. Sixtino Sacrario praeesse eiusque administrare bona, iam non Cardinali aedium pontificalium Praefecto, aut Antistiti Diaetarcho, verum Cardinali Archipresbytero et Capitulo Liberiano ius erit: rationes tamen Sacrarii seorsum a rationibus Capituli computentur.

IV. Quod ad Sacrarii custodiam attinet, qua ratione et quorum ministerio ea gerenda sit, integrum erit Archipresbytero et Capitulo constituere.

V. In bonorum Sacrarii Sixtini administratione, detractis de summa redituum impensis, quas in annuam tuitionem, custodiam cultumque Sacrarii fieri oporteat, quae pecunia super-

fuerit, de ea sic praescribimus: argentei italici mille quotannis seponantur foenori in acervum ad extraordinarios Sacrarii sumptus: reliqua liceat Capitulo in usum Basilicae tantummodo, ad ipsius curanda opera, convertere.

Haec omnia rata et firma uti sunt, ita esse perpetuo volumus: non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, ac praesertim ea de iure quaesito non tollendo, memoratis Decessoris Nostri Pii IX Apostolicis Litteris, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibusvis verborum tenoribus et formis et cum quibusvis clausulis ac decretis derogatoriis atque irritantibus in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac de Apostolicae potestatis plenitudine concessis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio facienda foret; illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis respective habentes ad effectum praemissorum amplissime derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

L. & S. A. CARD. MACCHI.

EX SECRETARIA STATUS

PROHIBITIO *Non expedit* **seu** *Non licet* **catholicis italicis politicas urnas adire confirmatur.**

Elmo Signore,

Con l'ossequente indirizzo rivolto a Sua Santità nella vigilia del dì sacro alla Vergine Immacolata, la Direzione del *Domani d'Italia* ha bellamente affermata dinanzi al novello Vicario di Cristo la incondizionata adesione, che agli insegna-

menti e ai voleri di lui deve professare ogni giornale schiettamente cattolico (1).

Dal celeste favore innanzi tutto è la vita e la restaurazione cristiana; onde opportuno e saggio fu il pensiero di V. S. e degli egregi suoi colleghi, concordi nella santa risoluzione di voler affidato al Patrocinio della Immacolata Maria la tutela e T incremento dell' organo del II° Gruppo, siccome già il Gruppo medesimo era alla stessa Regina provvidamente commesso. Poiché peraltro il voluto risanamento dell' uman genere in Cristo non può altrimenti conseguirsi che nella unione col Pastore dei Pastori e nella dipendenza da colui che felicemente parve rinnovare il precetto, egualmente saggio ed opportuno dimostrassi il loro consiglio di proclamare senza ambagi la loro obbedienza e docilità ai documenti del Papa, e di adoperarsi perchè di siffatta condotta tutti, quanti sono i cattolici, ravvisino il bisogno.

Il S. Padre ha poi rilevato con particolare soddisfazione come la Direzione del sullodato periodico sia compresa di quanto il Sommo Pontefice anche ultimamente invocava per la libertà e indipendenza della Sede Apostolica, e non dubita punto che nel campo veramente cattolico l'organo ufficiale dell' Opera dei Congressi non permetterà che si faccia largo la falsa insinuazione di un nuovo indirizzo e che sia mutato oggi il contegno dei cattolici italiani col ritiro di un divieto emanato dalla Santa Sede per ragioni ben ponderate e ben note a tutti.

Allo scopo poi di attestare alla detta direzione ed a tutto il II° Gruppo la propria benevolenza, Sua Santità ha concessa di tutto cuore 1' Apostolica Benedizione da Lei implorata.

Colgo con piacere questo incontro per raffermarmi con sensi di ben sincera stima

Di V. S. Illma

Roma, 12 Dicembre 1903.

Affmo per servirla
R. Card. MERRY DEL VAL.

Sig. Archimede Pasquinelli,
Direttore del *Domani ci' Italia*
Bergamo.

(1) Eíñus Cardinalis Secretarius Status, nomine Sanclitatis Suae, rescribil observantissimae epistolae, quam Directio ephemeridis *Domani d' Italia,* officialis organi pro actis secundae Divisionis (vulgo II Gruppo) Instituti a Congressibus coetibusque catholicis Italiae, die 7 decembris 1903, ad Pium PP. X misit.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM prohibitionis librorum.

Feria VI. die 4 Decembris 1903.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 4 Decembris 1903, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Albert Hontin, La question biblique chez les catholiques de France au XIX siècle.

Albert Houtin, Mes difficultés avec mon évêque.

Alfred Loisy, La Religion d'Israël
Alfred Loisy, L'Evangile et l'Eglise
Alfred Loisy, Etudes évangéliques
Alfred Loisy, Autour d'un petit livre
Alfred Loisy, Le quatrième Evangile

Decr. S. Off. fer. IV. 16 Dec. 1903.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PP. X per me infrascriptum Secretarium relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 4 Decembris 1903.

ANDREAS CARD. STEINHUBER, *Praefectus.*

L. * S.

Fr. THOMAS ESSER, Ord. Praed.
a Secretis.

Die 24 Decembris 1903 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixam et publicatum fuisse in Urbe.

Henricus Benaglia, *Mag. Cur s.*

Hoc Decretum nuntiatum fuit Emo Richard, Archiepiscopo Parisien., adiecta infrascripta epistola Emi Cardinalis Secretarii Status S. S., in qua praecipui recensentur errores dogmatici, quos in hisce proscriptis libris docuit R. D. Loisg, nempe circa primitivam Revelationem, factorum ac praeceptorum Evangelii authenticitatem, Iesu Christi Divinitatem, Scientiam et Resurrectionem, divinam Ecclesiae Institutionem, atque circa, Sacramenta.

Sig. Card. Francesco B. Richard
Arcivescovo di Parigi

Emo e Rmo Sig. Mio Ossmo.

Per ordine del Santo Padre devo far conoscere all' Eminenza Vostra le misure che Sua Santità ha deciso di prendere rispetto alle opere del Rev. Abate Alfredo Loisy. Gli errori gravissimi che rigurgitano in quei volumi riguardano principalmente : La Rivelazione primitiva — l'Autenticità dei fatti e degli insegnamenti evangelici — la Divinità e la scienza di Cristo — la Risurrezione — la Divina Istituzione della Chiesa — i Sacramenti. Il Santo Padre profondamente addolorato e tristamente preoccupato degli effetti disastrosi che producono, e possono produrre ancora, degli scritti di tale natura, ha voluto sottometterli all'esame del Supremo Tribunale del S. Uffizio. Questo tribunale, dopo matura riflessione e uno studio prolungato, ha formalmente condannato le opere dell'abate Loisy, con un decreto del 16 corr., decreto che il Santo Padre ha pienamente approvato neli' udienza del giorno seguente 17 corr. — Sono incaricato di trasmettere all'Eminenza Vostra la copia autentica di questo documento di cui non sfuggirà all' Eminenza Vostra la grave importanza.

Baciandole umilissimamente le mani mi onoro raffermarmi con sensi di profonda venerazione

Di Vostra Eminenza

Roma, 19 Dicembre 1903.

Umo devmo servitor vero
R. Card. MERRY DEL VAL

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DECRETUM quoad litteras discessorias pro clericis in Americam et ad insulas Philippinas profecturis.

Clericos peregrinos, a remotis transmarinis oris venientes, iuxta veterum Patrum statuta, et canonicas sanctiones *tit. 22, lib. I Decret,* ipsasque prudentiae regulas, nonnisi caute ad sacri ministerii exercitium esse admittendos, neminem profecto latet. Nam propter distantiam et dissimilitudinem locorum, de personis earumque qualitatibus ac de valore documentorum, quae ab advenis exhibentur, iustum iudicium tute expediteque fieri saepe difficile est; fraus ac dolus (teste experientia) aliquando subrepunt; unde periculum passim imminet, ne indigni ac nequam viri super gregem fidelium constituantur cum gravissima divinae maiestatis offensa et rei christianae iactura.

Ad haec arcenda discrimina S. Concilii Congregatio, de speciali mandato SSmi D. N. Leonis XIII, circularibus litteris ad Italiae et Americae Ordinarios die 27 mensis Iulii 1890 datis, legem tulit, qua italorum sacerdotum migrationem in Americam certis regulis contineret.

Huiusmodi regulae hae sunt:

« 1) In futurum prohibentur omnino Italiae Episcopi et Ordinarii concedere suis presbyteris e clero saeculari litteras discessoriales ad emigrandum in regiones Americae.

« 2) Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata Episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecesano sacerdote maturae aetatis, sufficienti sacra scientia praedito, et vere iustam afferente emigrationis causam; qui tamen, bonum testimonium habens intemeratae vitae, in operibus sacri ministerii cum laude spiritus ecclesiastici et studii salutis animarum hactenus peractae, solidam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet numquam a se maculatam iri sacerdotalem dignitatem exercitatione vulgarium artium et negotiationum.

« 3) Sed in huiusmodi casu idem Italus Episcopus et Ordinarius, omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis interventu, agat cum ipso Ordinario Americano, ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso

Americano Ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptatione^, una cum promissione eum ad aliquod ministerii ecclesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis ad memoratam Sacram Congregationem Concilii referat. Quae si tamen assentiatur, tunc poterit Episcopus discessorias litteras concedere, communicando cum Americano Antistite per secretam epistolam, nisi ei iam cognitae sint, notas emigrantis sacerdotis proprias ad impediendas fraudes circa subiecti identitatem.

« Ex ea dioecesi ad aliam in America eidem sacerdoti emigrare ne liceat absque nova sacrae Congregationis licentia.

« 4) Excluduntur in quavis hypothesi presbyteri ritus orientalis.

« 5) Quod si non agatur de emigratione, sed de alio Italiae sacerdote, qui ob suas peculiares honestas ac temporáneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit ut proprius Ordinarius, his perspectis, ac dummodo de caetero nihil obstet, eum muniat in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non excedens), in qua ipsae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis expleto constituto tempore, nisi eius legitimam prorogationem obtinuerit.

« 6) Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americam ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio ».

Hac lege, noxia plura remota et sublata fuerunt, non tamen omnia, neque ex toto. Experientia enim docuit, ex praepostera art. 5 superius recensiti interpretatione, salutaris illius legis effectum saepenumero fuisse frustratimi. Praeterea constitit, nedum ex Italia, sed ex aliis quoque Europae regionibus nimiam esse, quandoque etiam perniciosam, sacerdotum migrationem in Americam, et ad insulas Philippinas.

Quare Emi S. C. Patres, plurium Episcoporum relationibus rite, uti par erat, inspectis, eorumdem Episcoporum votis obsecundantes, rebus omnibus mature perpensis, censuerunt latius atque uberius esse hac de re providendum nova generali lege, quae his capitibus continetur:

I. Pro Italiae clericis, firmis dispositionibus contentis in circularibus litteris diei 27 mensis Iulii 1890 sub numm. 1, 2, 3, 4 et 6, Ordinariorum omnium tam Italiae quam Americae conscientia super plena earum observantia graviter oneratur.

Facultas vero sub num. 5 concessa circumscribitur ad -casum strictae et urgentis necessitatis ut e. g. pro gravi infirmitate alicuius in America degentis, quem christiana charitas aut pietatis officium invisere exigant, neque tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem. Sed in hoc et similibus adiunctis causa urgentis necessitatis in discessoriis litteris clare ac determinate exprimenda erit, absentiae tempus ad sex menses cir--cumscribendum et de re statim edocenda S. Concilii Congregatio.

II. Extra Italiam vero in .posterum ne liceat Europae Ordinariis discessoriales pro America suis Clericis largiri, nisi requisito prius consensu Episcopi dioecesis illius, ad quam sacerdos pergere cupit, permutatis ad hunc finem secretis litteris, in quibus de aetate et de moralibus atque intellectualibus qualitatibus migrantis sacerdotis Americanus Praesul doceatur.

Excipitur tamen casus strictae et urgentis necessitatis, in <mo, pari modo ac supra, licentia a proprio Ordinario concedi poterit, sed ad sex menses tantum valitura, adnotata causa urgentis necessitatis et monito per Epistolam Episcopo loci ad quem sacerdos proficiscitur.

III. Pro migraturis denique ex qualibet orbis parte ad Philippinas insulas, eaedem leges ac normae serventur ac pro Italis sacerdotibus ad Americam pergentibus, hac tamen differentia, ut pro Europae sacerdotibus venia expetenda sit a S. C. Concilii; pro Americae vero aut alterius regionis sacerdotibus, a Delegatione Apostolica Washingtoniae.

Itaque in posterum discessoriae litterae pro clericis in Americam et ad Insulas Philippinas migraturis conficiantur in forma specifica, iuxta regulas superius statutas, et aliter factae nullius valoris sint, et qua tales ab Ordinariis illarum dioeceseon aestimentur.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio Pp. X in audientia diei 17 Septembris p. e. ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua Decreta Eihorum Patrum confirmavit, per circulares S. C. litteras publicari, et ab omnibus rite observari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii, die 14 Novemhris 1903.

V. Card. VANNUTELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

C. DB LAI, *Secretarius.*

CAUSAE

IACIEN.

DISMEMBRATIONIS.

Die 5 Septembris 1903.

Haec causa dismembrationis proposita primum fuit in Comitiis Generalibus diei 20 Decembris 1902, et ad propositum dubium : « *An et quomodo sit locus dismemhrationi in casu* » rescriptum prodiit, instante ipso Episcopo « *Dilata* ». Deinde iterum discussa fuit in Congregatione generali diei 5 Septembris 1903, et propositum dubium : « *An et quomodo sit locus dismemhrationi in casu* » hoc responso dimissum fuit : « *Affirmative, servata matricitate Ecclesiae-Archipresbyteralis loci Giarre recognoscenda cum aliquo obsequii signo* ». Hinc, praemissa factispecie, praestat heic referre summam argumentorum, quae hinc inde allata sunt, tum in prima tum in secunda causae propositione.

Factispecies.

In dioecesi Iaciensi in Sicilia, ecclesia parochialis oppidi Giarre valde amplum complectitur territorium, et suos subditos numerat ad septem et viginti millia, qui oppidula incolunt non parum dissita a matrice Ecclesia. Curae autem animarum prospicitur per vicarios ad *nutum amovibiles,* constitutos in novem ecclesiis filialibus. Quum sub a. 1747 per divisionem alterius paroeciae constituta est ecclesia parochialis loci Giarre, haec subditos sortita est non plus quam ad duodecim millia, at horum in dies auctus est numerus, uti dixi, *ad septem et viginti millia,* quamobrem incolae locorum *S. Giovanni Montebello et S. Alfio la Bara* enixius ab Archiepiscopo efflagitarunt ut dividerei veterem paroeciam, et novam erigeret in oppido S. Ioannis, quae

comprehenderet etiam oppidum S. Alphii la Bara. Potissima ratio adducta est distantia locorum et difficilior accessus, imo non semel defectus cuiuscumque accessus. Etenim oppidum S. Ioannis distat ab Ecclesia parochiali loci Giarre tria millia passuum (quattro chilometri e mezzo) et oppidum S. Alphii distat quinque millia passuum (sette chilometri). Utique via patet paulisper brevior, sed est alpestris et transversum habet torrentem hiberno tempore aquis redundantem, qui vado transiri non potest. Praeterea plures ex fidelibus subditis paroeciae loci Giarre, nempe fere sex millia habitant dispersi in agro, qui ab oris maris Ionii pertingit usque ad montem Etna, quocirca saltem nonnulli incolae distant ab Ecclesia matrice non minus quam tredecim millia passuum (dai 10 ai 20 chilometri).

Vicarii curati in ecclesiis filialibus deputati facultate utuntur administrandi omnia Sacramenta, ipsumque matrimonium celebrandi, sed nupturientes accedant oportet ad ecclesiam parochialem ut acta expleant praevia denunciationibus matrimonialibus, dum et matrimoniales denunciationes et appositae inscriptiones in tabulis publici census (quod matrimonium vocant civile) fiunt, pro commoditate civium, in ipsis oppidulis. Stipendium autem rependitur Vicariis curatis a Municipio loci Giarre, et pauperrimum est non attingens *ducentum* libellas annuas. Nunc sacerdotes et oppidani locorum *S. Giovanni Montebello et S. Alfio la Bara* concordi studio adnituntur ut paroecia erigatur in oppido S. Ioannis Baptistae, ita tamen ut nulla fiat diminutio fructuum praebendalium parochi loci Giarre, quippe et sacerdotes et fideles iam fidem dederunt suo Episcopo, se deposito daturos in manibus ecclesiasticae auctoritatis summam, pro fructu, correspondentem *annuas mille libellas* ad congruam parochialem statim ac eiusmodi paroeciae constitutio decernatur.

Verum Episcopus, quamvis in dubium vocare non intenderet bonum spirituale quod inde proveniret, tamen hoc decretum dare refragatus est, eo quod pertimesceret popula-

res seditiones, quas ipse ait secuturas esse ex divisione paroeciae. Cum igitur Sacerdotes et oppidani recursum habuerint ad S. C. Congregationem, Episcopus de sua sententia et voto percontatus, die 24 Iulii 1901 haec retulit, prudentius sibi videri si, pro nunc, ab expetita dismembratione supersederetur.

Rationes contra dismembrationem.

In primis Archiepiscopus memorat querelas publicas in oppido Giarre a civibus motas contra propositam divisionem, quum anno 1900, Ecclesia parochiali vacante, quaestio agitari coepit de dividenda paroecia. Et revera extat in actis epistola a Pro-Syndico huius oppidi ad Emum Praefectum S. C. C. data, in qua ipse demonstrare conatur magnum incommodum obventurum fore ipsi municipio, si haec divisio decerneretur. Etenim, dicebat Pro-Syndicus , postquam hi oppidani obtinerent sibi constitui propriam paroeciam, etiam obtinere conarentur divisionem municipii ut exinde sua oppida erigerentur in distinctum municipium. Unde addit, cives loci Giarre certe publici ordinis subversiones esse provocaturos ne decreta tam nefasta edantur, aut iam edita executioni dentur. Caeterum notat , municipium Giarre esse de Ecclesia optime meritum, siquidem plures impensas erogare solet in divinum cultum provehendum, praeter ea quae Vicariis Curatis tribuit pro congrua sustentatione.

Porro ipse Archiepiscopus advertit haec secutura esse ex divisione: 1) Municipium quod aegerrime hoc fert, non amplius daturum subsidium, quod antea tribuebat in sacras functiones; 2) iras exorituras inter oppidanos, qui et Archipresbytero et ipsi Archiepiscopo, divisionis facinus imputabunt.

Ideoque arbitratur Archiepiscopus modo satius esse supersedeo erectioni novae paroeciae, quousque ista oppida a civili auctoritate in distinctum municipium erecta sint.

Praeterea Archipresbyter plurima afferens factorum momenta ad denegandam necessitatem aut opportunitatem erigendae novae paroeciae, animadvertit, paroeciae divisioni modo haud posse fieri locum, cum non adsit urgens necessitas, et canones praescribant eiusmodi divisiones decernendas esse beneficio vacante, ne iura legitime quaesita invito possessore distrahantur.

nationes pro dismembratione.

Ex adverso oratores qui pro divisione paroeciae instant, exhibent supplicem libellum datum ad Episcopum, dum adhuc paroecia erat vacans ; et in hoc libello Episcopum deprecante ne paroeciam conferret, dum lis adhuc sub iudice est ; et si Episcopus nullimode differre vellet collationem, hanc ita conferret, quin ullum petitioni propositae praeiudicium afferret.

Praeterea ipsi oppidani loci S. Ioannis et S. Alphii qui supplicem libellum 250 subscriptionibus munierunt, ad suam thesim demonstrandam animadvertunt, haberi in casu distantiam a S. Canonibus requisitam pro decernenda dismembratione. Et sane tradit Bouix (De parocho pag. 263) « Regulariter loquendo duo millia passuum habentur pro distantia sufficienti.... Sic annotatur in Thesauro resolutionum... (tom. 18 p. 178).... quae distantia____ex communi Canonistarum sententia, idonea aestimatur, si duplicis sit milliarii, ut docet Rota ». Imo, urgent oratores, Doctores docent quod « si constiterit quod via sit montuosa , aspera, lutosa, ac ita ardua, ut parochiani sine magno incommodo, imo etiam periculo pro recipiendis sacramentis et audiendis divinis officiis ad parochialem accedere nequeant, praesertim tempore hiemali, propter imbres ac pluvias, non solum reputatur necessaria deputatio vicarii, verum etiam dismembratio sive erectio novae parochiae iuxta ea quae tradit Rota in *Lucana Dismembrationis* 9 Maii 1611 coram Ottembergo et Decem. 59, n. 2 coram Martino Andrea ». Cfr. Pignatelli Tom. 4, consult. 230, n. 9.

His praeterea addenda est, addunt oratores, praxis S. C C . quae consuevit commendare et confirmare dismembrationes et parochiarum erectiones, ut videre est in Aqüitanen. 17 Mart. 1827 Fulgitanen. an. 1729, non obstante oblatione facta providendi per cappellanos coadiutores, ceu testantur resolutiones editae in Comen. 2 Dec. 1750, Nolana 3 Februarii 1758. Ea potissimum ratione, quia plenius satisfit magno incommodo per erectionem novae parochiae, quam per cappellani, eaque in casu magni incommodi mens esse videtur Conc. Tridentini.

Insuper suam thesim oratores confirmare conantur ex aucto incolarum numero. Nedum, inquiunt, habentur in casu decem familiae a canonibus requisitae; c. 3, Caus. 10, q. 3 « Ut Ecclesia, quae decem habuerit mancipia, super ea habeat sacerdotem, quae vero minus decem mancipia habuerit, aliis coniungatur Ecclesiis » , sed oppidum S. Ioannis et S. Alphii subditos numerat ad septem millia, qui propter distantiam a parochiali Ecclesia loci Giarre saepissime ad sacras functiones et maxime ad sacramenta convenire nequeunt. Praeterea oratores conquerunt quod a Parocho non cognoscantur, dum Concilium Tridentinum mandat Episcopis pro salute animarum, ut distincto populo in certas et proprias parochias assignent unicuique proprium et peculiarem parochum, qui eas cognoscere valeat. (Sess. 24, De ref. c. 13).

Eo vel magis, urgent oratores, dismembratio decernenda est in casu, quia constat ex actis nihil deperire Ecclesiae parochiali loci Giarre et nihil deesse erigendae ecclesiae. Legitur enim in « Acta S. Sedis vol. 12, p. 293: « Antiquae ecclesiae nihil deperire dici potest, si post dismembrationem ad eundem statum redeat, in quo erat antequam populi augmentum inciperet . — Erigendae ecclesiae nihil deesse intelligitur, cum ipsa omnia parata habeat, ut saeculari curae inserviat, et congrua dote ad finem eundem fuerit ditata ». Cum igitur concludunt oratores, utrumque adamussim verificetur in casu, omnia suadent ut expetita dismembratio decernatur.

Dubium

An et quomodo sit locus dismembratione in casu.

R. ***Dilata.***

Summa argumentorum hinc inde allatorum in secunda eiusdem causae propositione, quae locum habuit sub die 5 Septembris 1903.

Rationes contra dismembrationem.

Episcopus in suis litteris diei 23 Iunii 1903 retulit gravissima incommoda, quae sequerentur ex obtenta dismembratione, sive quia Municipium subsidia ad sacras functiones necessaria denegaret, sive etiam quia et iurgia et lites quamplurimae exardescerent post concessam dismembrationem Episcopum inter et Municipium loci Giarre.

Ipse parochus, qui nonnullas dedit deductiones, in primis recolit, dismembrationem admitti non posse ad tramites Concilii Trid. Sess. 21 De Ref. cap. 4, si alias populi necessitatibus prospici valeat per sacerdotes coadiutores, prouti factum est in oppidis « S. Giovanni e S. Alno ». Praeterea in eodem textu Conc. Tridentinum perpendit necessitatem dividendi paroeciam, si tam difficilis sit accessus ad ecclesiam parochialem, ut parochiani absque gravi incommodo Sacramentis uti non possint. Iamvero asserit parochus, grave incommodum minime haberi in casu, quamvis oppidani loci S. Ioannis et S. Alphii contrarium probare contendant. Neque fidem merentur, iuxta parochum, oratores quando asserunt : « potissima ratio adducta est distantia locorum, et difficilior accessus, immo non semel defectus cuiuscumque accessus ». Hoc enim falsum est, inquit parochus, et caeterum, uti DD. tradunt, tunc distantia locorum haberi debet uti legitima causa dismembrationis, quum nec Parochiani, praesertim tempore hiemali, possint accedere ad ecclesiam parochialem pro divinis, sine periculo aut ma-

gno incommodo, nec Parochus ad illos occasione infirmitatis pro administratione Sacramentorum. Sed in casu neutrum, iuxa parochum verificatur. Deinde parochus quaestionem considerat sub aspectu legum civilium, quibus, necessitate cogente, subesse deberet nova paroecia, si constitueretur, et deducit gravissima incommoda quae exinde orirentur.

Tandem parochus adnotat haud decerni posse dismembrationem in casu, eo quod nefas esset ipsum privare suo iure legitime quaesito, cum desit in casu, iusta causa, urgens necessitas et evidens utilitas.

Rationes pro dismembratione.

Advocatus qui ex adverso pro dismembratione decertat, animadvertit, legitimas dismembrationis causas in superiore propositione iam satis fuisse in lucem prolatas. Quae sane, - Parochialis nempe Ecclesiae distantia et viarum asperitas - ita in casu concurrunt, ut ne Episcopus quidem , licet Parocho non obscure faveat, negare potuerit quod erectio novae paroeciae utilis esset incolis « di S. Giovanni Montebello e S. Alfio la Bara ».

Quo posito transit advocatus ad obiectiones refellendas, periculum nempe seditionis in oppido Giarre si fiat dismembratio; certae congruae defectus pro nova paroecia; timor, ne municipium oppidi Giarre, si fiat dismembratio, ira succensum, summam annuam non amplius solvat, pro oneribus vulgo « ***di culto*** ». Has obiectiones nullius momenti advocatus existimat.

Quoad primam nempe de seditionis periculo, notat rationem haberi non posse quin Ecclesiae auctoritas paucorum arbitrio subiiciatur. Equidem nulla fere concipi potest dismembratio, qua uti huiusmodi dissensus fidelium, quorum dismembratur paroecia, per publicas protestationes non ostendatur. Si haec in pretio haberi deberent, nulla umquam paroecia dismembraretur, instat orator.

At seditionis nullum adesse periculum, iste ait, nisi parochus in suam partem animos concitet et seditionem sum-

moveat. Quod ut probet narrat, parochum ab ipso ingressu in Paroeciam Parochianos ita fuisse allocutum, ut instigaret ad resistendum ne fieret dismembratio. Nec postea, usque ad superiorem causae propositionem, agendi rationem mutavit : immo etiam- comitiorum die adventante, municipii praesidi nunciavit, se Romam proficisci, ut dismembrationem impediret : testatus, se demissurum officium , nisi S. H. O. suis votis obsecundaret.

Verum nulla seditio timenda est ; ait patronus, quod optime animadvertit ephemeris Ecclesiastica, vulgo *Acta Sanctae Sedis,* quum causam isti similem illustraret: « In huiusmodi causis dismembrationis fere semper redit eadem historia, cum Parochi se obstinate opponant. Provocant enim populum ut dissentiat, quasi vero dismembratio Paroeciae pendere debeat a populari arbitrio. Et quid est facilius Parocho, animi agitatione commoto, quam aliquem Paroecianorum numerum excitare, ut se dissentientes Paroeciae dismemhrationi ostendant ? Ceterum christianus populus, qui non provocetur studio aliorum ad dissentiendum, obsequentissimus esse solet Ecclesiasticae auctoritati, quae sola habet officium cognoscendi, decernendique quid populo salutique animarum magis expediat » *(Acta S. Sedis,* vol. IV, pag. 271 in nota).

Quod si periculum seditionis pertimescendum non est in oppido Giarre, si Paroecia dismembretur, istud e contra - instat advocatus - habetur nisi fiat dismembratio, in oppidis S. Giovanni Montebello et S. Alfio La Bara. - Revera petitio a quingentis Parochianis subscripta plene probat, quanti istorum intersit, Paroeciam dismembran. Quanta vero sit civium indignatio in Parochum, qui dismemhrationi resistit, inde clare patet, quod Parochus, quum ad oppidum, patronalis festi occasione, accedere debuerit, vi armata usus est, veritus ne simultas in actus inciviles erumperet. Et hoc magistratus, et praesides circumstantium municipiorum dilucide testantur.

Quoad *alteram* obiectionem de congrua non satis certa

paucis respondet advocatus: Hodie enim huic obiectioni arbitrato amplius non esse locum quum congrua a fidelibus oblata, apud S. V. O. arcarium deposita fuerit in quadam syngraphi *crediti* adversus publicum institutum *Banca cFItalia.*

Sed notat orator, decisionem sive affirmativam sive negativam amplius differri non posse ; etenim qui ***congruam*** obtulerunt *summam,* eamdem amplius infructiferam haud volunt remanere : eoque magis, quod, quum aliquibus inter oblatores, senectute oppressis, mors ingruere videtur.

Quoad *tertiam* obiectionem, timet Parochus, ne municipium deneget consuetas pecuniae summas erogare in cultum divinum, quippe municipes existimant Ecclesiasticam dismembrationem oppidorum S. Giovanni et S. Alfio viam sternere ad *civilem* dismembrationem obtinendam. Sed primo reponit advocatus, haec esse potius somnia, quam argumenta, nulla enim allegatur probatio, ideo peti *Ecclesiasticam* dismembrationem quo facilius *civilis* obtineatur. Quin etiam vix mente concipi potest, quomodo possit ex Ecclesiastica dismembratione, civilis dismembrationis occasionem capi : quum constet vel Parochiam esse posse ex duobus constantem municipiis, vel municipium, quod in duas Paroecias dividatur.

Sed hoc misso, magnopere instat advocatus, municipium ad sumptus Ecclesiasticos suppeditandos ita teneri, ut eos denegare non valeat.

Quod si ratio esset investiganda, qua municipium ad sumptus Ecclesiasticos suppeditandos astringitur: rationem duplicem esse advocatus opinatur : *legem* nempe et *praescriptionem.*

Primum *lex:* municipium hos sumptus suppeditare coepit in compensationem praestationum, quibus antea divino cultui prospiciebatur, quaeque civilis auctoritatis imperio, in Sicilia, abolitae sunt.

At hunc titulum, regiis decretis comprobatum, quae onus imponunt municipiis indotatas paroecias dotandi *(die 25 iu-*

Iii et 10 sept. 1782): eumdemque etiam a concordato confirmatum *(art. 5):* titulum istum, inquam, hodiernae leges asciscunt, ita ut sumptus, hac de causa, suppeditatos, haud possint, nec nostra aetate, a municipio denegari.

Praeterea *praescriptio :* civilis enim disciplina illud hodie fixum habet et certum, expensas, ut obligatorias habendas esse, quas municipia triginta per annos, pro Ecclesiasticis oneribus, repensarunt.

Qua de re perillustris quidam advocatus sententiam rogatus, pro certo habuit nullum adesse periculum ne sumptus denegentur, quia nequeunt, ad iuris italici tramitem denegari.

Et municipium ipsum, quod hodie absurde minitatur, non suspecto tempore, quum quidam, a reipublicae gubernatoribus missus *civilis commissarius,* onus istud supprimere vellet, haud posse supprimere demonstravit.

Obiectionibus ita reiectis, concludit advocatus, nihil amplius esse cur dismembratio retardetur. Qua de re bona enumerat ex dismembratione obventura: quod scilicet oves proprium habeant pastorem a quo cognosci et pasci valeant, quum constet hodie semel tantum in anno ad duo oppida (S. Giovanni et S. Alfio) Parochum accedere, ut sacra expleat solemnia, quibus expletis ex oppidis digreditur usque ad sequentem annum non amplius reversurus. Accedit quod duo oppida servitio divino destituantur : nam Parochus ad ea numquam accedit: capellani, qui curam agunt Parochi nomine, incongrua prorsus remuneratione *(191 lib. in singulos annos)* tanto oneri impares sunt. Quin etiam cum eorum ius sit aliquantisper circumscriptum, fidelium haud semper possunt occurrere necessitatibus qui coniugium inituri, toties ad Ecclesiam parochialem longe sitam accedere debent, quoties praeliminares actus, coram Parocho, explendi sunt. - Accedit denique quod duorum oppidorum Ecclesiae suos habent reditus ; qui, pro Ecclesia oppidi S. Giovanni Montebello libellas fere septingentas, oneribus immunes attingunt. Dismembrata paroecia huiusmodi reditus

Parochi congruam a fidelibus oblatam augebunt : et erit unde sacrorum decori congruenter provideatur.

Concludit advocatus adnotando in casu, concessa dismembratione, eam facile ad exitum adduci posse. Nam ad auctoritatem Ecclesiasticam quod attinet, dismembrandae paroeciae fines per vias publicas ex eo tempore sunt constituti ex quo anno 1747 in oppido S. Giovanni Montebello Ecclesia succursalis erecta est. - Civilem vero non defuturam approbationem, ubi dismembratio ab Ecclesia concessa fuerit, iam certa argumenta persuadent.

Dubium

An et quomodo sit locus dismemhrationi in casu.

R. Affirmative, servata matricitate Ecclesiae archipresbyteralis loci Giarre recognoscenda cum aliquo obsequii signo.

BERGOMEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

Die 21 Novembris 1903.

Haec causa dispensationis ab irregularitate ex defectu corporis, proposita fuit per ***summaria precum,*** cum agatur de gratia obtinenda, in Comitiis generalibus diei 21 Novembris 1903, et Oratori instanti pro gratia responsum fuit ***Attentis omnibus, non expedire.***

Samuel Gotti alumnus Seminarii Bergomensis, ex contracti morbi consequentia, amputationem utriusque pedis pati coactus est. Verum huic defectui suppletum est applicatione automatici instrumenti ad genua, ita ut commode se movere et deambulare queat iuxta medici curantis fidem. - Cupiens praefatus iuvenis militiae ecclesiasticae sese adscribere, supplicem libellum pro dispensatione a contracta irregularitate S. Concilii Congregationi obtulit.

Quod orator irregularis sit nulla dubitatio : hoc enim diserte colligi potest ex cap. *Presbyterum de clerico aegrotantes* in quo sacerdoti cui fortuito palmae medietas cum duobus digitis abscissa erat, non permittitur Missae celebratio « *quia ne: secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem hoc f eri posse confidimus* ».

Hinc colligitur, ait Pirhing *Ius can. lib. 3 in commentario ad hoc cap.* « quod duae generatim sint causae quae inducunt irregularitatem ex corporis vitio, seu inhabilem reddunt ad officium sacerdotale exercendum vel in totum vel solum ex parte, quarum quaelibet per se sola sufficit, videlicet propter debilitatem, per quam impeditur congruum exercitium ordinis vel propter notabilem deformitatem, quae parit scandalum, vel horrorem aliquem affert spectantibus ».

Iam vero quod haec duo in infelici Oratore concurrant, eruitur ex relatione Episcopi Bergomensis ad interpellationem S. Concilii C. data: ipse enim testatur « Sacrosancti Sacrificii caeremonias alumnum Gotti exequi non posse absque aliqua admiratione, praesertim dum altare ascendit vel descendit ; nec Oratorem sese ex altari ad populum vertere posse absque fulcro manus sinistrae super eodem altari.

Potius in casu inspiciendum est utrum adsint causae proportionatae pro benigna relaxatione a praefata irregularitate. - At in casu non pauca gratiae concessioni obicem parare videntur.

Imprimis res est de gravissimo defectu membrorum, nempe de defectu utriusque pedis, qui propter notabilem deformitatem grave scandalum et admirationem inter fideles gignere valet.

Insuper S. Concilii Cong. dispensationem denegavit in casibus mitioribus -, uti videre est in *Patavina Dispensationis 27 Aprilis 1861* ob deformitatem in manu dextra, quamvis indicem et pollicem expeditos Orator haberet; in *Pampilonen. Dispensationis 22 Novembris 1856,* propter defectum in sinistra manu ; et in *Policastren. Dispensationis super irregidaritate 21 Martii 1863.*

Accedit tertio quod non agitur de sacerdote iam promoto ius habente ad ordinum exercitium, sed de clerico promovendo, quo in casu difficilius huiusmodi dispensationes concedi solent.

Nec tandem clericus Orator est extraordinaria ingenii vi praeditus, qua quodammodo posset physicum defectum compensare et magnae esse Ecclesiae utilitatis, sed tantum pollet intellectualibus dotibus ordinariis, uti declaratum est a Rectore Seminarii Bergomensis.

Verum ex adverso perpendendum est quod ratio seu causa irregularitatis ex defectu in eo sita est, quod defectus talis sit, vel quod impediat exercitium ordinis, vel quod pariat scandalum et admirationem in populo Christiano. — Id praeter quam quod liquet ex cit. cap. *Presbyterum* de clerico aegrotante, erui etiam potest ex eo quod Alexander III scribit super cap. **1** De corpore vit. : « Respondemus, quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quod *sine scandalo* possit solemniter celebrare, satis potes permittere ipsum in suo ordine ministrare », et de clerico promovendo cui super dexterae pollice fortuito casu avulsa fuerat ungula in cap. eodem: « Mandamus quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in ipso pollice potens, et aliud canonicum non obstet impedimentum, propter deformitatem huiusmodi non dimittas, quin eum ad ordinem promoveas sacerdotii ». Hinc quando duo praefata extrema exulant, videtur potius agi de materiali quam de formali irregularitatis defectu, uti traditur in *Mediolanen. Dispensationis ab irregularitate diei 14 Aprilis 1894* circa finem.

Iam vero clericus Cotti non obstante enunciato defectu.

1. *Valet explere sacras Missae caeremonias.* - Ordinarius enim Bergomensis in cit. relatione dicit : « deesse verum periculum et veram irreverentiam in explendis, sacrosancti Sacrificii coeremoniis »; quin immo dominus Longhi medicus, postquam testatus est « fere impossibile esse morbum denuo renovari posse », addit « progressu temporis faciliorem fieri deambulationem, sicurosque reliquos omnes actus

propter auctam confidentiam Oratoris in ortopedico instrumento ».

2. *Nulla timenda est in populo admiratio ex huiusmodi promotione.* - Quamvis enim Episcopus de clerico Gotti testetur « exoriri aliquam in populo admirationem, praesertim dum altare ascendit vel descendit, et dum se ad populum vertit in dicendo *Dominus vobiscum, Orate fratres* », tamen certissime haec admiratio progressu temporis evanescet, tum ob faciliorem et perfectiorem usum instrumenti automatici ab Oratore acquisitum, tum ex consuetudine in populo videndi Oratorem in Missae celebratione, ex noto axiomate « ab assuetis non fit passio ».

Neque pro relaxatione huiusmodi impedimenti desunt graves et rationabiles causae. In primis non deest votum favorabile Ordinarii commendantis Oratoris instantiam considerationi S. Sedis; adsunt attestationes parochi oppidi Oratoris et Rectoris Seminarii Bergomensis, qui concorditer deponunt de candore morum Oratoris, de eius propensione ad statum ecclesiasticum, et de sufficienti capacitate pro explendis sacris studiis.

Praeterea dispensationem suadent etiam utilitas et necessitas Ecclesiae : cum enim rari hodie sint iuvenes, qui sacram militiam amplectantur, pia mater Ecclesia remittere aliquantulum solet de antiquo suo rigore in huiusmodi dispensationibus concedendis ; hinc quando adsint iuvenes bonae indolis, ingenio ac bonitate morum distincti, hanc dispensationem elargitur; christifideles enim bonorum morum exemplum conspicientes, corporis defectum haud curare solent.

Denique contra obiectionem quod non agitur de sacerdote iam promoto, sed de clerico promovendo, innumerae adduci possent S. C. Congregationis dispensationes super irregularitate proveniente ex gravi defectu corporis, immo plurimae etiam recentissimae quae quamdam affinitatem habent cum praesenti casu. - Sic dispensatum fuit in *Bergomen. Dispensationis ab irregularitate diei 13 Iunii 1868*

cum clerico, qui pedi sinistro amputato substituerai instrumentum automaticum, quo expedite ambulare poterat, quamvis aliquantulum claudicans ; in *Mathilicen. diei 5 Martii 1866* quamvis inibi res sit de clerico religioso professo; *in Adrien, diei 11 Decembris 1875,* in qua agebatur de promotione ad ordines cuiusdam clerici, cui crus et pars coxae praecisa fuerat, ac proinde pro deambulatione utebatur instrumento ligneo; et in *Mediolanen, diei 14 Apr. 1894* cum quodam clerico qui, ex morbi consectario, amputationem perpessus fuerat cruris sinistri: surrogatum ei fuit crus ligneum quod motum recipiebat ab instrumento ortopedico, ita ux ascendere et descenderé ab altari possit, quamvis in genuflectendo aliquam experiretur difficultatem.

EE. PP. vero, rationibus omnibus hinc inde perpensis, diiudicarunt tales in proposito casu circumstantias non concurrere quae Oratoris preces benigne excipiendas esse suaderent, ac proinde die 21 novembris 1903 rescriptum fuit: *« Attentis omnibus non expedire ».*

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 19 Decembris 1903,

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Concilii Congregatio in qua, praeter alia, propositae sunt infrascriptae Causae, iuxta morem eiusdem S. Congregationis discutiendae ; quaeque sequenti modo resolutae fuerunt :

PER SUMMARIA PRECUM

I. VITERBIEN. - IUBILATIONIS.

R. *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis servato onere missarum.*

II. COMEN. - RESTITUTIONIS ARCHIDIACONATUS. *(Reservata).*

R. *In decisis, attenta etiam declaratione recurrentium.*

III. CASSANEN. - INTERPRETATIONIS RESCRIPTI.

R. *Servetur solitum ut ante bonorum directionem.*

IN FOLIO

I. VERSALIEN, SEU PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

R. *Attentis noviter deductis recedendum a decisis.*

II. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

R. *Sententiam esse confirmandam.*

III. VARSAVIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. *(Sub-secreto).*

R. *Affirmative et scribatur ad Archiepiscopum iuxta mentem.*

IV. MOHILOVIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. *(Sub-secreto).*

R. *Affirmative et sbribatur ad Archiepiscopum iuxta mentem.*

V. POSNANIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. *(Sub-secreto).*

R. *Dilata et ad mentem.*

VI. ANDRIEN. - QUOAD CONGRUAM PAROCHIALEM. *(Reservata).*

R. *Parochos conservandos esse in possessione et administratione et ad mentem et amplius.*

VII. ANDRIEN. - QUOAD PRAEBENDAM CANONICI ARCHIPRESBYTERI. *(Reservata).*

R. *Archipresbyterum conservandum esse in possessione et administratione et ad mentem et amplius.*

«täte*-

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

PHAREN.

DUBIA circa nonnullas absolutiones et Missas de Requie.

Hodiernus Rmus Ordinarius dioeceseos Pharen. a Sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

I. Ah absolutiones quae fiunt in exequiis Summi Pontificis, Episcopi Ordinarii vel Imperatoris, etc. iuxta Caeremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum peragendae sint a dignitatibus et in ecclesia cathedrali vel etiam a simplici sacerdote ex clero sive saeculari sive regulari et in aliis ecclesiis ?

II. An Rubricae et Decreta circa Missas de Requie privilegiatas respiciant etiam Missas de Requie quae celebrantur pro Summo Pontifice, Episcopo Ordinario vel Imperatore etc.,, ita ut hae postremae Missae nullo gaudeant speciali privilegio diebus per Rubricas vel decreta impeditis?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Dictae absolutiones fieri debent a dignitatibus et in ecclesia cathedrali vel in alia Ecclesia arbitrio Ordinarii eligenda si ipsa ecclesia cathedralis impedita fuerit. In ceteris autem ecclesiis et a simplicibus sacerdotibus non sunt faciendae,, nisi interveniente Apostolico indulto (1).

(i) Praefatae absolutiones, utpote functiones pontificales, peragendae sunt a dignitatibus et in ecclesia cathedrali. Quod si cathedralis ecclesia fuerit impedita, tunc spectat ad Episcopum suo arbitrio aliam eligere ecclesiam. Hoc patet etiam ex decreto n. 2306 *Amnionen,* ad I et II ; quod est huius tenoris.

« I. An exequiae Summorum Pontificum, Regum, Ducum, Magnorum principum, et similia, tamquam functiones pontificales fieri debeant in ecclesia metropolitana ; vel eius loco in Ecclesia Patrum Franciscanorum ?

» II. An in casu quod una ex dictis ecclesiis sit quocumque modo impedita «lectio alterius ecclesiae spectet ad Archiepiscopum seu Capitulum; vel potius ad; Cónsules civitatis? »

Et S.R. C, sub die IS februarii 1727, respondendum censuit:

« Ad I. Quoad primam partem affirmative ; quoad secundam, relinquendum arbitrio Archiepiscopi.

» Ad II. Provisum in primo ».

Ad II. Affirmative (1).

Atque ita rescripsit, die 20 Novembris 1903.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus***

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

COTRONEN.

De modo deferendi S. Viaticum infirmis.

Reverendissimus Dominus Emmanuel Merra Episcopus Cotronen. in relatione status suae Ecclesiae sive Dioeceseos exhibita Congregationi Concilii die 23 novembris 1903, sequens postulatum ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna declaratione transmissum, reverenter proposuit, nimirum:

In tota dioecesi Cotronensi invenitur consuetudo deferendi a Parocho Sacrum Viaticum infirmis comitante magno numero non confratrum, sed mulierum, quae umbellam et intorticia ferunt, tintinnabula pulsant, et rosarium recitant: quaeritur utrum hic mos tolerari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, rescribendum censuit:

***« Negatine et, ad mentem »*. Mens est, ut aliquos saltem adolescentes adhibeat Parochus pro umbella, campanula et luminibus. Mulieres autem, si velint deferre lumina, sequantur sacerdotem.**

Atque ita rescripsit, die 2 decembris 1903.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., ***Secret.***

(1) Huiusmodi enim Missae nullo gaudent privilegio; ideoque subsunt communibus legibus, quae quidem prohibent diebus festivis et duplicibus Missas de Requie non privilegiatas.

DECRETUM. Episcopus extraneus vel titularis nequit Missam et Vesperas solemnes celebrare utens faldistorio et indumentis pontificalibus, nisi de licentia Ordinarii.

Quum e Concilio Tridentino Sess. VI, cap. V, nulli Episcopo liceat Pontificalia in aliena Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii expressa licentia; nonnulli dubitarunt, an inter Pontificalia, de quibus loquitur praefata Synodus, comprehendantur Missae et Vesperae solemnes, quas Episcopus extraneus solet Romae et alibi celebrare, sedens in faldistorio et baculo pastorali non utens, sed cum ornamentis Pontificalibus. Hinc a Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: An Episcopus extraneus vel Titularis possit, inconsulto Ordinario Dioecesano, atque in titulo, Cardinali Titulari, Missam et Vesperas Pontificales celebrare supradicto modo, idest sedens in faldistorio, non utens baculo Pastorali, sed cum ornamentis Pontificalibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

***« Negative etiam iuxta Decretum N 2283 Ascolana, 10 Aprilis 1728 ad VII et VIII»* (1).**

Atque ita rescripsit, die 4 decembris 1903.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

(1) En dubia supra citata:

« VII. An liceat Episcopo Titulari canenti Missas et Vesperas, ceu canonico in propria hebdomada, uti faldistorio, et indumentis Pontificalibus; seu potius illas canere debeat sedendo in scamno prout reliqui canonici, et absque Pontificalibus Indumentis? et quatenus affirmative ad primam parlem;

» VIII. An tali in casu teneatur petere licentiam Episcopo locali »?

Et S. R. C. etc. rescribendum censuit....: « ad VII. Ad mentem, et mens est, ut in Missis de turno abstineat et subroget alium: in solemnioribus vero posse, de licentia Episcopi.

« Ad VIII. Iam *provisum...* »

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

DECRETUM de Indulgentiis Tertiariorum in communitate viventium et vota simplicia nuncupantium.

Ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam saepe dubia delata sunt circa relationem Tertiariorum, tanto hodie numero in communitate viventium et simplicia vota nuncupantium, ad respectivos suos Ordines regulares quoad Indulgentias et spirituales gratias. Quae dubia succreverunt ex quo Leo XIII fel. rec. speciales Indulgentias pro iis solis Tertiariis tum Franciscalibus, tum Ordinis Servorum B. M. V. qui in saeculo vivunt, concessit, sublatis omnibus aliis Indulgentiis eousque istis Tertiis Ordinibus tributis, Verum est Sacram Congregationem EE. et RR. in suis Normis pro approbatione horum Institutorum (Sect. I, § 11, N. 16), statuisse: « Instituta Tertiariorum non approbentur, nisi a Superioribus Generalibus eorum Ordinum, a quibus et nomen et habitum mutuantur, in proprium respectivum Tertium Ordinem aggregentur, et ad Indulgentiarum et gratiarum spiritualium participationem, *quantum concedere fas est,* admittantur »; haec tamen postrema verba, ut patet, praesentem quaestionem in ambiguo adhuc reliquerunt.

Quare, ne tot ex utroque sexu Tertiarii horum Institutorum qui exemplo et opere de re catholica optime sunt meriti, certis Indulgentiis diutius careant, quaesitum est:

« An generali dispositione omnibus Institutis Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium ab Apostolica Sede sint concedendae Indulgentiae primo et saecundo Ordini respectivo propriae?

Et Emi Patres in Generali Congregatione ad Vaticanum coadunati die 18 Augusti 1903, responderunt:

« Affirmative ».

De quibus facta relatione Ssmo Domino Nostro Pio Pp. X in Audientia habita die 28 eiusdem mensis et anni ab infrascripto Cardinali Praefecto Sanctitas Sua Patrum Cardinalium

responsum approbavit et confirmavit, decrevitque; *primo,* ut Instituta Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium, dummodo Ordinibus a quibus nomen et habitum mutuantur legitime sint aggregata, participent omnes Indulgentias a RR. PP. primis et secundis Ordinibus directe tantum concessas; *secundo,* ut eorundem Ecclesiae iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur; *tertio,* ut aliae Indulgentiae huiusmodi Tertiis Ordinibus antea concessae in posterum solis Tertiariis in saeculo viventibus sint propriae.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 28 Augusti 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

Loco f Sigilli.

Pro R. P. D. Franc. Sogaro Archiep. Amid., *Secr.*

Iosephus M. Can. Coselli, *Subst.*

EX S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

LIMANA

ORDINIS MINORUM

INDULGENTIAE largiuntur Sodalibus Tertii Ordinis Franciscani pro adoratione nocturna SSmi Sacramenti in ecclesia Limana B. M. Virginis de Miraculo.

Beatissime Pater,

Superior Ecclesiae Franciscalis a B. Virgine de Miraculo nuncupatae ac in Civitate Lima Reipublicae Peruvianae sitae, ad S. V. Pedes provolutus, ea, quae sequuntur, humiliter exponit :

Ut spiritus fervor inter sodales Tertii Ordinis Franciscani in dies augeatur, atque iniuriae Divinae Maiestati quotidie illa-

tae reparentur, Fratres Ordinis Minorum Apostolatum Franciscanum pro nocturna SSmi Sacramenti Adoratione in supradicta Ecclesia instituerunt, et ea quidem lege, ut sodales Tertii Ordinis quintis quibusque feriis ac diebus Dominicis ab hora sexta post meridiem usque ad duodecimam coctis alternatim in Adoratione eiusdem SS. Sacramenti persistant; quodque, SSmo Sacramento de licentia Ordinarii solemniter exposito, item praestant per totam postremam noctem uniuscuiusque anni et primo die anni sequentis, in quo anniversarium ipsius invecti Apostolatus cum Communione generali et Missa solemni celebratur. Nunc ad maius incrementum huiusmodi piissimi Operis sive institutionis sequentes Indulgentiae a S. V. suppliciter implorantur; videlicet:

I. Indulgentia Plenaria ea die a sodalibus lucranda, qua in ipsum Apostolatum cooptantur.

II. Indulgentia Plenaria ab omnibus Christifidelibus lucranda, qui, etiamsi in Apostolatum non sint adscripti, per tres saltem horas intersint praemissae SS. Sacramenti Adorationi quotannis peragendae ab hora sexta post meridiem diei 31 Decembris ad horam 10 ante meridiem diei 1 Ianuarii.

III. Indulgentia 300 dierum lucranda a Sodalibus quotiescumque ex iniuncto sibi munere Adorationem ipsius SS. Sacramenti expleant. Et Deus, etc.

Romae ad S. Antonium, die 5 Nov. 1903.

F. BONAVENTURA MARRANI, *Proc. Gen.*

Ex Audientia SSmi, die 17 Novembris 1903.

SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. X, referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, benigne annuit pro gratia, iuxta preces, ad quinquennium proximum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr., die, mense et anno praedictis.

L. « S.

f PETRUS, Archiep. Caesarem, *Secretarius.*

ORDINIS MINORUM

FACULTATES pro Missionariis Capuccinis in Hollandia ad quinquennium prorogantur.

Beatissime Pater,

Infrascriptus Procurator Generalis Minorum Capuccinorum ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, instanter implorat novam prorogationem facultatum quae P. Ministro Min. Capuccinorum Provinciae S. Caroli Superioris Missionis Ordinis loci v. *Maoanhao* in Brasilia (America Meridionali) pro Missionariis, ad quinquennium concessae fuerunt, primum 12 Ianuarii 1892 ac dein prorogatae 7 Septembris 1898. Et Deus, etc.

Facultates sunt sequentes:

I. Vescendi per iter, et in locis, ubi necessitas vel incommoda salutis exegerint, carnibus, ovis, ac lacticiniis, in die ieiunii, et a propria Regula praescriptis, ita ut ob salutis incommoda etiam ab observantia ieiunii exempti remaneant.

II. Recitandi quindecim décades Rosarii B. M. Virginis, si quandoque itineris vel alia de causa absque gravi incommodo divinum Officium recitare religiosus nequeat.

III. Celebrandi per mare Missam super altare portatili, servatis servandis.

IV. Celebrandi pariter Missam etiam in terra super altare portatili, servatis servandis.

V. Faciendi sacrum vel una hora ante auroram, vel una hora post meridiem, legitima occurrente causa.

VI. Indultum personale perpetuum Altaris privilegiati ter in hebdomada, servatis servandis.

VII. Benedicendi extra Urbem, coronas precatorias, rosaria, cruces et sacra numismata, eisque applicandi Indulgentias consuetas ac eas S. Birgittae. Item benedicendi, et imponendi sacra Scapularia omnium piarum Congregationum, et Confraternitatum a S. Sede approbatarum cum relativis indulgentiis concessis.

VIII. Impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus in articulo mortis constitutis.

IX. Induendi se linea interiori tunica, et calceamentis utendi adstante praesente necessitate.

X. Equitandi vel alio modo seu medio progrediendi urgente necessitate.

XI. Recipiendi, deferendi ac expendendi pro suis urgentibus ac suorum subditorum necessitatibus, pecuniam, quae a piis benefactoribus ipsi fuerat oblata, vel alio modo legitimo ad eum pervenerit, si aliter de necessariis provideri nequeat, et secluso omnino periculo peculium particulare accumulandi, iuxta praescriptum Statuti Missionum Ordinis. Qua de gratia, etc.

Fr. IUCUNDUS A MONTORIO, Ord. Min. Cap., *Proc. Gen.*

Ex Audientia SSmi, die 1 Decembris 1903.

SSmus Dominus noster Pius divina Providentia Pp. X, referente infrascripto S. Congr. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, benigne prorogare dignatus est ad aliud quinquennium facultates, de quibus in precibus, in forma et terminis praecedentis concessionis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die, mense et anno praedictis.

L. & S.

f PETRUS, Archiep. Caesarem, *Secret.*

ORDINIS MINORUM

Indulgentiae pro Fratribus Minoribus.

Beatissime Pater,

Minister Provinciae S. Dionysii, Ordinis Minorum in Gallia, ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolutus, rogat, ut ob saevam persecutionem in Religiosos Ordines in Gallia excitatam, has opportunas et necessarias facultates tribuere non dedignetur; nimirum:

I. Ut in nova Residentia *Ehrestein* intra Limburgensem Provinciam sita, quae prope *Blyreheide* ad instaurationem Collegii Seraphici in perpetuum magnisque sumptibus disposita fuit, omnes religiosi ibi regentes aut inservientes nec non ipsi

iuvenes, tamquam alumni commorantes, possint in Sacello Domus, per Episcopum Ruremundensem approbato, omnibus frui indulgentiis, quae Seraphici Ordinis Ecclesiis sunt concessae.

II. Ut Religiosi tam Sacerdotes quam Laici, qui, acta violenta suorum Conventuum suppressione, in Gallus sub obedientia Superiorum remanent, possint servatis requisitis conditionibus, sive apud sua privata Sacella sive apud quamcumque Ecclesiam vel Oratorium publicum, lucrari omnes et singulas Indulgentias quae Ordini Fratrum minorum sunt attributae. Et Deus, etc.

Ex Audientia SSmi, die 1 Decembris 1903.

SSmus Dominus noster Pius divina Providentia Pp. X, referente infrascripto S. Congr. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, benigne annuere dignatus est pro gratia iuxta petita, servatis de iure servandis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr. die, mense et anno praedictis.

L. © S.

f PETRUS Archiep. Caesarem, *Secret*

SORORUM A S. THERESIA

INDULTUM perpetuum recipiendi SS. Communionem in nocte Nativitatis D. N. I. C. conceditur Communitatibus Sororum a S. Theresia in America.

Beatissime Pater,

Helena Eleuteria a Iesu Sacramentato, Superiorissa Generalis Sororum Collegii et Orphanotrophia Sanctae Theresiae, dioecesis Cordubensis, in America, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provoluta, postulat indultum perpetuum quo communitatibus sororum dicti ¡Instituti *Sa,cram Communionem in Nocte SSmae Nativitatis Domini recipere* benigne concedatur. Pro qua gratia, etc.

H. ELEUTERIA DE IESUS SACRAMENTADO.

Preces in Domino commendavit.

PHILEMON CABANILLAS, *Gen.*

Ex Audientia SSmi, die 1 decembris 1903.

SSmus Dominus noster Pius divina Providentia Pp. X, referente infrascripto S. Congr. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, benigne concedere dignatus est indultum de quo in precibus, de consensu tamen Ordinariorum locorum ubi dictae Communitates extant, et cauto ut omnia cum debita decentia ac veneratione fiant. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr. die, mense et anno praedictis.

L. © S.

f PETRUS„ Archiep. Caesarem, *Seeret.*

EX VICARIATU URBIS

EPISTOLA CIRCULARIS

Emi Card. Respighi, Vicarii S. S., ad omnes Superiores Urbis, circa instaurationem musicae sacrae.

Nell'atto che trasmettiamo copia del *Motu Proprio* della Santità di Nostro Signore Papa Pio X, in data 22 p. p. novembre (1), e copia della *Lettera* a noi dalla stessa Santità Sua indirizzata il giorno 8 corrente dicembre (2) — *sulla Restaurazione della Musica saera,* — ci preme di far notare come nella sovraccennata lettera siano in ispecial modo mentovati i bisogni che su tale materia maggiormente si sentono nella nostra Roma, ove i fedeli convenendo da ogni parte del mondo debbono attingere, come a più pura sorgente, i buoni esempi, gli ammaestramenti, le norme.

Le disposizioni contenute nel *Motu Proprio* sono così chiare ed esplicite che niuno, anche estraneo alla tecnica dell'arte musicale, potrà d'ora innanzi ragionevolmente dubitare sulla scelta delle composizioni e sul modo col quale debbono queste nei sacri templi essere eseguite.

Avvertiamo tuttavia che abbiamo dato l'incarico di coadiuvarci, per una sorveglianza rigorosa, alla *Commissione Romana di Musica Saera* da noi istituita nel gennaio 1901; e che, approfittando dell'opera e dei prudenti giudizii di detta Commissione

(1) Quod nos retulimus pag. 529 praesentis voluminis.
(2) Item, pag. 325.

prenderemo all'occasione quelle pratiche disposizioni che si rendessero necessarie nei singoli casi, affinchè i saggi provvedimenti di Sua Santità sieno appieno e da tutti osservati.

Particolare cura poi, secondo il desiderio del Santo Padre, avremo dei Seminarii, dei Collegi e degl'Istituti di educazione ecclesiastica, molto importando che il giovane clero fino dai primi anni sia educato, come in tutte le altre discipline, cosi anche nel canto e nella musica sacra con principii e criterii del tutto retti e convenienti.

Non dubitiamo punto che i RR. Parrochi e Rettori di Chiese i RR. Superiori dei Seminarii, dei Collegi e degl'Istituti di educazione ecclesiastica, tutto il Clero Secolare e Regolare, ed anche i Maestri e i Cantori di Chiesa con il loro buon volere e con l'opera efficace prontamente ci aiuteranno al conseguimento del desiderato scopo, cosicché non abbiamo mai a trovarci nella necessità di dover ricorrere a severe misure disciplinari.

Con questa speranza, invochiamo sopra di tutti la benedizione del Signore.

Dalla Nostra Residenza, il 29 Décembre 1903.

PIETRO CARD. VICARIO

La Commissione Romana di Musica, Sacra è composta dei signori:

1. *R. M. Lorenzo Per osi,* Direttore Perpetuo della Cappella Sistina.
2. *M. Cao. Filippo Capocci,* Direttore ed Organista della Cappella dell'Arcibasilica Lateranense.
3. *R. D. Calcedonio Mancini,* p. d. m., Consultore della S. C. dei Riti e Segretario della Commissione Liturgica.
4. *Barone Rodolfo Kanzler,* Professore di canto gregoriano nel Liceo di S. Cecilia e Segretario della Pont. Commissione di Archeologia Sacra.
5. *Cav. Alessandro Parisotti,* Professore di armonia e Segretario del Liceo musicale e dell'Accademia di S. Cecilia.
6. *R. D. Antonio Relia,* Professore di canto gregoriano.
7. *M. Filippo Mattoni,* Cantore della Cappella Giulia in S. Pietro.

/ RR. M. Lorenzo Perosi e D. Antonio Relia sono in modo speciale addetti alla sorveglianza del canto gregoriano nei Seminarii, nei Collegi e negli Istituti ecclesiastici di educazione.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

MOTU PROPRIO

De electione Episcoporum ad Supremam S. Congregationem S. Officii avocanda.

PIUS PP. x.

Romanis Pontificibus maximae semper curae fuit, ut singulis in orbe terrarum Ecclesiis tales praeficerentur Pastores qui probe scirent strenueque valerent tantum sustinere *onus* vel ipsis *angelieis humeris formidandum. Ex* quo factum est ut ab antiquis temporibus plura iidem ediderint, quibus vel novae pro Episcoporum felici delectu traderentur normae vel iam traditarum observantia urgeretur.

Haec inter speciali quidem recordatione digna censemus quae, ante Sacrosanctum Tridentinum Concilium , Supremus Pontifex Leo X (1), post illud vero, Xistus V (2), Gregorius XIV (3) atque Urbanus VIII (4) de qualitatibus promovendorum deque forma in eorum promotione servanda sapientissime constituerunt; Nobis tamen in primis memorare libet quae a piae memoriae Decessoribus Nostris Benedicto XIV (5) et Leone XIII (6) decreta sunt. Quorum alter methodum hac in re gravissima a priore invectam ab usu paulatim recessisse dolens, eam instaurare cogitans, inde a primo sui Pontificatus anno, Constitutione « *Immortalis memoriae* » peculiarem S. R. E. Cardinalium Congregationem instituit, cuius esset, salva manente in omnibus forma et ratione in electione et confirmatione Episcoporum exterarum regionum eousque a Sancta hac Sede servata, operam suam ad promotionem praeficiendorum Italiae dioecesibus sedulo praestare.

(1) Bulla « *Supernae dispositionis* » edita 3 Nonas Maii 1514.

(2) Bulla « *Immensa* » edita 11 Kal. Febr. 1587.

(3) Bulla « *Onus* » edita Idibus Maii 1591.

(4) Instructio circa modum servandi praescriptiones Conc. Trid., et Constit. « *Onus* » Greg. XIV in processibus de eligendis Episcopis, edita an. 1627. — In Conc. Trid. hac de re agitur ses>. VII, cap.. I; sess. XXIV, cap. 2; sess. XXV, cap. I.

(5) Bulla « *Ad Apostolicae»* edita 16 Kal. Nov. 1740, et « *Gravissimum»* edita die 18 Ian. 1757.

(6) Bulla « *Immortalis memoriae* » edita 11 Kal. Oct. 1878.

Providentissimi huius instituti salutaribus effectibus experientia comprobatis, vix dum, licet inviti, universalis Ecclesiae gubernacula, Deo disponente, tractanda suscepimus, ad illud perficiendum provehendumque animum intendimus. Quem in finem praefatam de eligendis Italiae Episcopis a Leone XIII fundatam Congregationem, Supremae Sacrae Congregationi S. Officii, cui Ipsimet immediate praesidemus, coagmentantes, decernimus ac statuimus ut, servatis ex integro rationibus et formis quae in electione Episcoporum pro locis Sacris Congregationibus de Propaganda Fide et Negotiorum Ecclesiasticorum Extraordinariorum subiectis vel ubi peculiaribus Constitutionibus aut Concordatis res moderatur, in praesens adhibentur, ceterorum omnium Episcoporum delectus ac promotio eidem Supremae S. Officii Congregationi, veluti materia ipsius propria, deferatur.

Et quoniam huius Congregationis id proprium est, quod eius membra et officiales ad suum munus fideliter obeundum inviolatumque in omnibus et cum omnibus secretum servandum sub poena teneantur excommunicationis maioris latae sententiae, ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua nonnisi a Nobis atque a Nostris pro tempore Successoribus Romanis Pontificibus, privative etiam quoad S. Poenitentiariam ipsumque D. Cardinalem Poenitentiarium, praeterquam in articulo mortis, absolvi queant; eadem prorsus obligatione sub iisdem omnino poenis et sanctionibus teneri in posterum volumus atque expresse declaramus omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis ac praeeminentiae sint, quos in negocio de eligendis per supradictam Supremam S. Officii Congregationem Episcopis, quovis modo, ratione vel titulo partem habere contingat.

Ut autem eidem Supremae Congregationi in gravissimo hoc expediendo negocio certa et constans norma presto foret; methodum ea in re sequendam, opportuna Instructione, singillatim describi curavimus; qua, praeter ea quae de accuratissima circa promovendorum fidem, vitam, mores prudentiamque inquisitione peragenda statuimus, in plenum vigorem revocavimus *periculum de doctrina* quod ab ipsis promovendis, habita ratione praescriptionum S. Caroli Borromaei in Conc. Prov. Mediolan. I, p. 2, omnino faciendum praecipimus.

Quae quidem omnia ut per ipsammet Supremam Congregationem S. Officii plane adimpleri valeant, mandamus denique,

ad quos spectat, ut Sedium Episcopalium, ut supra non exceptarum, vacatio eidem in posterum, litteris ad ipsius Cardinalem Secretarium datis, quamprimum ac recto tramite notificetur.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die xvu Decembris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

MOTU PROPRIO

SS.mi 0. N. Pii PP. X de musica sacra.

(Versio fidelis) (1)

PIUS PP. X.

Inter plurimas pastoralis officii sollicitudines, non huius Supremae Cathedrae tantum, ad quam abscondito Dei numine sumus, quamvis indigni, nuperrime evecti, sed singularum ecclesiarum, absque dubio illa principem tenet locum, cuius est munus decori favere domus Dei, in qua et divina peraguntur mysteria et Christifidelium grex convenit, ut Sacramentis fruatur, collectam et dominicum agat, Corporis D. N. Sacramentum adoret, precibusque Ecclesiae in publico et solemni liturgico officio communicet. Nihil igitur in templo sit quod pietatem et religionem Christifidelium perturbet vel minuat, nihil quod fastidio vel malo exemplo sit, nihil praesertim quod SS. Rituum decus et sanctitatem offendat, ideoque orationis domo et Dei maiestate minime sit dignum.

Malos usus qui occurrere possint singillatim non pertractabimus. Nunc vero prae omnium oculis illum malum usum ponimus, qui et saepissime evenit et qui auferatur difficillimus esse videtur; aliquoties insuper vituperandus est etiam cum omnia maxima sint laude digna templi venustate, caeremoniarum ordine, clericorum frequentia, pietate et religione celebrantium. Hic maius usus in cantu et sacris musicis est reperien-

(1) Textus officialis, italice exaratus, prostat in hoc ipso volumine pag. 329.

dus. Enimvero sive huius artis natura fluctuantes variaeque, sive iudicii, volventibus annis, deformatione, sive malo influxu, quo ars profana et theatralis in eam influit, quae merito sacra appellatur, sive voluptate, quae ex musicis directe captatur, neque debitis modis facile contineri potest, sive denique plurimis errantibus iudiciis, quae in hac arte pullulant, etiam apud nonnullos viros vel auctoritate praeditos et religione conspicuos, peccatur in lege, quae vult SS. Ritus artem subter se habere ; quae lex in singulis Ecclesiae canonibus et Conciliis vel generalibus vel provincialibus, et SS. Romanarum Congregationum et RR. Pontificum decretis saepe saepius clare aperteque inducitur.

At suspicantibus Nobis aliquid boni proximis temporibus factum esse videtur et in hac alma Urbe plurimisque Italiae nostrae ecclesiis; praecipue vero apud nonnullas nationes, ubi viri egregii religione flagrantes, hac suprema Sede adprobante et Ordinariis dirigentibus, iure sociati fecerunt ut in singulis ecclesiis et sacrariis musica omnino floreret. Sed quod captum est bonum non apud omnes populos invenitur Nostra quidem sententia; quod si rationem habemus plurimarum conquestionum, quae undique Nostras ad aures latae sunt hoc exiguo temporis spatio, quo Domino visum est Nos ad supremum Pontificatus fastigium evehi, diutius differre nolentes, quidquid in sacris agendis a lege, quam supra exposuimus, alienum est et vituperandum et damnandum clare aperteque censuimus. Etenim cum nihil Nobis potius sit et vehementer optemus ut virtus christianae religionis floreat et in omnibus Christifidelibus firmior sit, templi decori provideatur oportet, ubi Christicolae congregantur ut hoc virtutis spiritu ex priore fonte fruantur, quae est participatio divinorum mysteriorum atque Ecclesiae communium et solemnium precum. Frustra vero speramus super nos abundantius coeli gratiam esse descensuram, ubi nostra pietas in Deum non ut odorum suavitas adscendit in coelum, sed Domino rursus dat flagella quibus olim Iesus Christus violatores e templo expulit indignos.

Itaque ne quis in medium afferat sui iuris inscitiam, et ut quaeque in interpretatione quorumdam rerum cunctatio auferatur, principia, quae musicam sacram gubernant brevi exponenda esse censuimus, et hac in tabula colligenda praecipua Ecclesiae decreta malos usus in hac disciplina ad vitandos.

Certa scientia igitur et motu proprio hanc Nostram *Instructionem in* lucem edimus, quae vel *codex iuris sacrorum musicorum* et quasi lex plenitudine Nostrae Apostolicae Auctoritatis placet et mandamus ut vigeat et valeat, eamque omnes Christifideles ad litteram servent.

INSTRUCTIO DE SACRIS MUSICIS

I.

Principia generalia.

1. Musica sacra, prout pars integrans solemnis liturgiae, huius particeps est finis, qui gloriam Dei et sanctificationem Christifidelium spectat. Ipsa decus caeremoniarum ecclesiasticarum adauget, et quod eius praecipuum munus est concentu opportuno verba liturgiae exornare, ita musicis sacris haec verba intelligentiora fieri debent, quo facilius Christicolae ad fidem et religionem eccitentur, et abundantius percipiant gratiam, quae sacrorum mysteriorum propria est.

2. Ex quo evenit ut musica sacra omnibus muneribus liturgiae praedita sit, praesertim *sanctitate, bonitate formarum* quibus et *unwersalitas* oritur.

Sit *sancta,* eiiciat igitur e sacris profana, non tantum in se, sed etiam quoad formam qua a cantoribus proponitur.

Sit *ars cera,* ut in animis audientium illam habeat virtutem, quam Ecclesia postulat quum musicis liturgiam societ.

Sit *universalis* hac ratione, scilicet quamvis singulis nationibus liceat in musicis sacris admittere illos praecipuos modos, qui formam earum musicae constituant, hi tamen modi legibus generalibus sacrorum musicorum subiiciantur, ne ullius alienigenae animus, eos cum audiat, perturbetur.

II.

De sacrorum musicorum generibus.

3. Hae dotes praecipue inveniuntur in cantu gregoriano, qui igitur Ecclesiae Romanae est, quem ea a maioribus accepit, et in codicibus liturgicis, volventibus aevis, fidelissime servavit, quem vero, prout est proprius, Christicolis proponit et

aliquoties in liturgia praecipit, quem denique novissima studia pristinae dignitati et integritati restituerunt.

His de causis cantus gregorianus ut exemplar optimum sacrorum musicorum semper est habitus, cum vera sit haec lex: *musica compositio eo magis est sacra et liturgica, quo in modis cantum gregorianum sequitur, et eo minus templi digna est, quo magis illo optimo exemplo peccat.*

Cantus gregorianus, quem transmisit traditio, in sacris solemnibus omnino est instaurandus, et omnes pro certo habeant sacram liturgiam nihil solemnitatis amittere, quamvis hac una musica agatur. Praesertim apud populum cantus gregorianus est instaurandus, quo vehementius Christicolae, more maiorum, sacrae liturgiae sint rursus participes.

4. Quas supra exposuimus dotes, eae optime reperiuntur in classica poliphonia, praesertim Scholae Urbanae, quam XVI vertente aevo Petrus Aloysius Praenestinus ad sidera tulit, neque in posterum sibi defuit. Classica poliphonia optime exemplo totius musicae sacrae cohaeret, quod exemplum est cantus gregorianus, quam ob rem una simul cum cantu gregoriano accepta est in solemnibus liturgiis Ecclesiae, quae sunt illae *Pontificiorum musicorum* (delia cappella pontificia). Instauranda est igitur et haec in maximis basilicis, in ecclesiis cathedralibus, in sacrariis seminariorum aliorumque conventuum, qui opibus florent.

5. Progredientibus artibus semper Catholica Ecclesia favit, cum cultui servire voluisset quidquid boni et pulchri, vertentibus annis, ingenium invenerit, servatis tamen legibus liturgicis. Ex quo efficitur ut et musica hodierna in ecclesiis admittatur cum sit modis suavis nec sacris liturgiis minime indigna. Tamen, quod musica hodierna finem habet profanum , curandum est ne musicorum modi hodierno stylo, qui in ecclesiis admittuntur, quid habeant théâtrale vel profanum, neve quoad formas alienos modos attingant.

6. Inter hodiernae musicae genera stylus ille theatralis ad sacra sequenda minime aptus videtur, qui nuper elapso aevo praesertim in Italia viguit. Ille vero sua ipsius natura cantui gregoriano et classicae poliphoniae omnino repugnat, ideoque sacrorum musicorum legibus. Huius denique styli structura, modus et qui dicitur *convenzionalismo* musicae necessitatibus apte non nectuntur.

III.

De texto liturgico.

7. Ecclesia latina lingua utitur ; in sacris igitur liturgiis prohibetur quidlibet vulgari sermone canere, praesertim partes variantes vel communes Missae et Officii.

8. Cum singulis liturgiis sint texta statuta, quae musicis cani possint, et ordo, hunc perturbare non licet, neve statutis textis ad libitum alia substituere, neve penitus ea amittere vel imminuere, nisi liturgicae rubricae concedant ut organum aliqua verba texti, quae in choro recitentur, substituat. Liceat tamen more Romanae Ecclesiae canere *cantiunculam* (mottetto) in honorem SS. Sacramenti post *Benedictus* in missa solenni. Concedimus denique ut, Missae Offertorio absoluto, brevis cantiuncula canatur super verba ab Ecclesia adprobata.

9. Textum liturgicum ut est in libris sine verborum permutatione vel repetitione et intelligibili forma Christicolis audientibus est canendum, neque dividantur verba.

IV.

De forma exteriore sacrarum compositionum.

10. Singulae partes missae et divini officii et in musicis servent quam ecclesiastica traditio eis dedit formam, quae in cantu gregoriano optime invenitur. Non eodem enim modo componitur *introitus, graduale, antiphona, psalmus, hymnusj Gloria in excelsis* etc.

11. Haec praesertim sunt servanda :

***a) Kyrie, Gloria, Credo* Missae habeant unitatem compositionis texto pertinentem. Non liceat igitur *Kyrie, Gloria* etc. ita separatim componere ut singulae eorum partes perfecta musica compositio videantur et quae evelli possint vel aliis substitui partibus.**

***b)* In solemni recitatione Vesperarum sequendum est *Caeremoniale Episcoporum,* quod praecipit cantum gregorianum salmodiae, et concedit *musieum concentum* (musica figurata) hymno et versibus *Gloria Patri.* — Liceat tamen in quibusdam solemnitatibus cantum gregorianum et eos qui dicuntur *falsibordoni* alternis psallere aut versus simili modo apte compo-**

sitos. Liceat denique aliquoties singulos psalmos musice canere, dummodo forma propria salmodiae servetur, idest dummodo cantores alternis psallere videantur modis vel novis vel e cantu gregoriano sumptis vel huic similibus. Prohibemus igitur psalmos qui dicuntur *concentus* (di concerto).

c) In hymnis Ecclesiae forma traditionis hymni servetur. Non licet ideo componere, exempli gratia, *Tantum ergo* ita ut prior stropha videatur *romanza* vel adagium et Genitori *allegro.*

d) Antiphonae Vesperarum cantu gregoriano proponendae sunt ; quod si musice canantur videri non debent concentus melodiae, neque cantiunculae amplitudinem habeant.

V.

De cantoribus.

12. Praeter melodias celebrantis ad altare et ministrorum, quae cantu gregoriano semper cani debent sine organi sequentia, quae cantus liturgici extant sunt Chori Levitarum, ideoque cantores ecclesiastici, quamvis non clerici, chori ecclesiastici munere funguntur. Musica igitur, quae proponitur servare debet formam musicae choralis. Sed non excluditur vox, at in sacris solemnibus haec ita non supersit ut maior pars texti liturgici hoc modo proponi videatur ; videatur potius simplex indictio melodica et compositioni, ut forma choralis, strictius adhaereat.

13. Ex eodem principio sequitur ut cantores in ecclesia liturgico munere fungantur, ideoque mulieres, cum huius muneris non sint capaces, admitti non possint ad chorum vel ad musicos. Quod si igitur *voee acutiore* (soprani) vel *acuta proxima* (contralti) uti velimus, perantiquo ecclesiastico more a pueris hae voces edantur.

14. Denique *ecclesiasticorum musicorum* (cappella di chiesa) participes tantum sint viri religione et pietate conspicui, qui pie et devote sacris cum adsint, munere, quo funguntur, digni videantur. Convenit ut cantores, dum in ecclesia canunt, induant talarem vestem et superpelliceum ; quod si in orchestris palam adstantes prospicientibus sint, transennis edentur.

VI.

De organo et musieis instrumentis.

15. Quamquam Ecclesiae musica propria est illa vocalis, tamen permittitur musica cum sequentia organi. Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia musica instrumenta, sed annuente Episcopo, ut *Caeremoniale Episcoporum* praecipit.

16. Quod cantus vocalis superesse debet, organus et musica instrumenta eum tantum substineant, non opprimant.

17. Non licet longa praeludia praemittere cantui vel partibus intermediis interrumpere.

18. Sonus organi in sequentiis cantus, in praeludiis, interludiis, similibus, huius instrumenti naturam non solum sequatur, sed musicae sacrae omnium qualitatum, quas supra exposuimus, particeps sit.

19. In ecclesia uti non licet *cymbalis* (pianoforte), *tympano* (tamburo), *magno tympano* (grancassa), *catillis* (piatti), *tintinnabulis* (campanelli), similibus.

20. Prohibetur omnino illis quae dicuntur *musica urbana* (bande musicali) in ecclesiis canere; tamen, annuente Episcopo, liceat admittere aliqua musica instrumenta vocalia, ratione perpensa, dummodo compositio et sequentia sit in stylo gravi et omnino simili stylo organi.

21. In publicis supplicationibus liceat Episcopo admittere musicam urbanam, dummodo ne haec modos profanos canat.

Est in votis musicam urbanam in his casibus tantum sequi aliquem hymnum spiritualem latino vel vulgari sermone a cantoribus, vel a piis congregationibus, quae supplicationis sunt participes, praepositum.

VII.

De amplitudine musicae liturgicae.

22. Non licet ratione cantus vel soni sacerdotem ad altare longius quam caeremonia liturgica quaerit, expectare. Iuxta ecclesiastica decreta *Sanctus* Missae ante elevationem perficiatur, ideoque etiam sacerdos celebrans cantorum rationem habeat. *Gloria*, et *Credo* iuxta gregorianam traditionem brevia satis sint.

23. Generatim est omnino damnandum, ut maius usus, in sacris solemnibus liturgiam inferiorem locum habere, quasi musicorum sit ancilla, at contra tantum pars liturgiae.

VIII.

De mediis praecipuis.

24. Quae statuimus ut rite serventur, Episcopi in propria dioecesi instituant, nisi iam fecerint, *societatem* (commissione) virorum sacrae musicae expertium, qui, uti aptius Episcopi videatur, pervigilandi musicam, quae in ecclesiis canitur, munus habeant. Curent insuper ut musica optima sit, cantorum aequa viribus et semper optime canatur.

25. In seminariis clericorum et in conventibus ecclesiasticis, iuxta Tridentina decreta, magna cum diligentia et studio cantus gregorianus, quem transmisit traditio, colatur, et iuvenibus praepositi omnimodo faveant. Ubi fieri potest inter clericos *Schola Cantorum* erigatur, quae sacram poliphoniam et optimam musicam liturgicam exequatur.

26. In quotidianis lectionibus liturgiae, theologiae moralis et iuris canonici, quibus imbuuntur discipuli scholae theologicae, doctores curent ut quae sacram musicam attingant, pertractent, et discipulos pulchrum artis sacrae doceant, ne clerici, studiorum cursu absoluto, his notionibus cultui rerum ecclesiasticarum necessariis, careant.

27. Detur opera ut restituantur, saltem apud priores ecclesias, antiquae *Scholae Cantorum*, ut iam plurimis in locis actum est. Clero volenti haud difficile est has Scholas instituere etiam in ecclesiis minoribus et ruralibus, quin etiam his Scholis pueri et grandes natu facilius ad sacerdotem conveniunt suo ipsorum fructu et populi religione.

28. Curetur denique et quoque modo Scholae superiores sacrae musicae ubi iam sint provehantur et augeantur, ubi vero adhuc non sint, fiant. Oportet enim Ecclesia faveat et provideat, iuxta sacrae artis principia, cultui et humanitati suorum coriphaeorum et cantorum.

IX.

Conclusio.

29. Mandamus denique coriphaeis, cantoribus, clericis, praepositis seminariorum et conventuum ecclesiasticorum et reli-

giosorum, parochis et rectoribus ecclesiarum, canonicis collegialibus et cathedralibus, praesertim Ordinariis ut omni modo et studio his sapientibus reformationibus faveant, iam diu optatis ab omnibusque Christifidelibus expetitis, ne Ecclesiae auctoritas contemnatur, quae eas saepe saepius proposuit, nunc vero rursus inculcat.

Ex Aedibus Vaticanis, in festo S. Caeciliae V. et M., X Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

LITTERAE

SS.mi Pii PP. X ad Em.um Card. Respighi, Generalem Urbis Vicarium, de sacris musicis instaurandis.

(Versio fidelis) (1)

Eminentissime Domine,

Quod cupimus ubique terrarum decus et dignitatem et sanctitatem SS. Rituum florere, quid sentiamus de sacris musicis, quae maxime divino cultui inserviant, Nostro Chirographo exponendum censuimus. Omnes Nobis aures esse patefacturos in tam optata instauratione confidimus, nec tantum caeco obsequio, quod tamen est laudabile, quo imperia humeris graviora et voluntati repugnantia non aegre feruntur, sed et illa voluntatis alacritate, quae firma persuasione oritur, omnino esse assentiendum.

Si enim spectamus paulisper rationem qua ars servituti cultus est, et perpendimus Domino non esse offerenda, quae minime bona sint, quin etiam, ubi fieri possit, optima, absque dubio videmus Ecclesiae decreta, quae sacram attingant musicam, nihil aliud esse nisi horum principiorum rectam traductionem. Ubi clerus et *eoriphaei* (maestri di cappella) huic veritati assentiunt, optima sacra musica sua sponte florebit, ut plurimis in locis evenit; ubi vero illa contemnuntur principia,

(1) Textus italicus invenitur pag. 321 huius voluminis.

neque hortationes, neque monita, neque acerbe severa et repetita imperia, neque canonicarum poenarum minae efficiunt ut in his praeceptis peccantes ad bonam frugem reducantur; ita mala voluntas vel crassa ignorantia Ecclesiae desideria ad eludenda valent et multos per annos hoc non laudabili more ad agendum.

Hanc vero voluntatis alacritatem a clero et Christifidelibus Nostrae almae Urbis, quae est caput mundi et supremae Ecclesiae auctoritatis sedes, speciali modo speramus. Nobis enim videntur qui verba Nostro ex ore audiant, hi facilius assensuri esse, et exemplum perfectae obedientiae Nostris monitis esse datura, quae Christi gregis nobilior ceteris pars est, scilicet Urbis Ecclesia Nobis speciali modo Episcopali munere commissa. Huc accedit ut hoc exemplum prae oculis totius orbis sit ferendum. Undique huc concurrunt et Episcopi et Christicolae Vicarium Christi ad visendum et spiritum temperandum, cum nostras venerabiles basilicas visant et martyrum sepulcra, et maiore pietate sacris solemnibus adsint, quae apud nos quotidie magno sumptu et decore celebrentur. « *Optamus ne mo-* « *ribus nostris offensi recedant* » dixit ille Benedictus XIV, qui Nos Apostolica auctoritate praecessit, in Epistola Enciclica « *Annus qui* » musicam sacram attingens. Et superius de malo musicorum instrumentorum usu, qui tunc vigebat, loquens, ipse aiebat Pontifex: « *Quem sensum omnium nostrum habe-* « *bunt venientes e regionibus, quarum ecclesiae instrumentis* « *non utuntur, ea si audient in nostris ecclesiis, ut mos est in* « *theatris aliisque locis alienisi Nonnulli vero venient e regionibus* « *ubi nostro more in ecclesiis canitur; sin autem consilio praediti* « *sint admiratione afficiantur, cum apud nos suarum ecclesiarum* « *mali usus medicamen non invenissent, quod huc quaesiissent*».

Praeteritis temporibus musica, quae in ecclesiis canebatur, forsitan in legibus et decretis Ecclesiae minus peccare videbatur, neque maius forte erat malum exemplum ex eo quod maius usus apertior erat et communior. Nunc vero, quod egregii viri magno cum studio rationes liturgiae et artis, quae ritui inservit, declaraverunt, et cum in tot orbis ecclesiis iam musicorum instaurationis fructus ingens captus sit, multis obstantibus difficultatibus, quae tamen sunt deiectae; quod denique in omnium animis est musicam sacram esse instaurandam, omnis maius usus diutius ferendus non est ideoque auferendus.

Tu igitur, Eme Princeps, qui Romae Nostras vices quoad spiritualia geris, quae tua est suavitas et firmitas, cura, hoc enim pro certo habemus, ut musica, quae in ecclesiis et sacrariis cleri vel saecularis vel regularis huius almae Urbis canitur ad Nostras Instructiones accommodetur. Multa sunt in cantu Missae, litaniarum lauretanarum et hymni eucharistici corrigenda; sed cantus Vesperarum in festis, quae in ecclesiis et basilicis celebrantur, corrigatur oportet. *Caeremonialis Episcoporum* decreta liturgica et classicae Scholae Romanae pulchras traditiones frustra quaerimus. Alternorum cleri modorum, quorum et populus particeps erat, locum tenent perlongae musicae compositiones super verba psalmorum, antiquarum theatri operarum more, et insuper ita ab arte aberrantes, quae ne in concentibus quidem alienis essent ferendae. Religio et christiana pietas non provehuntur; augetur quorumdam minime intelligentium curiositas, at plerique molo exemplo afficiantur et mirantur hunc malum usum adhuc vivere. Nos igitur volumus et cupimus hunc omnino auferri et solemnitates Vesperarum iuxta leges liturgicas, quas exponemus, ubique celebrari. Omnibus ecclesiis exemplo sint basilicae maiores cura Emorum PP. Cardinalium iisdem praepositorum, earumque sequantur exempla in primis basilicae minores, ecclesiae collegiales, paroeciae, ecclesiae et sacraria Ordinum religiosorum.

Tu vero, Eme Domine, noli indulgere, rumpe moras. Res moram cum habeat, non minuit difficultas, quin etiam auget; quo autem est amputandum, amputetur citius. Nobis et Nostris verbis, quae gratia Dei sequitur, omnes confidant. Instauratio ad quosdam frigebit in primis ; quidam forte inter coriphaeos satis paratus non erit, sed paullatim res bene se aget, et ubi musica legibus liturgicis et concentus naturae erit accommodata, pulchritudinem et bonitatem nusquam cognitam omnes sentient. Ita solemnitates Vesperarum imminuuntur; sin autem velint aliquoties ecclesiarum rectores sacra protrahere, ut adsit in ecclesia populus, qui sub vesperum Domum Dei convenit, in qua festum celebratur, nihil vetat, quin etiam Christifidelium pietati et religioni prodest, ut accurata oratio et SSmi Sacramenti benedictio habeatur.

Denique volumus sacram musicam speciali cura et debitis modis coli in omnibus seminariis et collegiis Urbis, ubi tot selecti clerici totius orbis sacras discunt scientias. Scimus, et hoc

Nobis solatio est, ita apud nonnulla collegia musicam florere, ut haec aliis exemplum praebere possint. Aliquot vero seminaria vel praepositorum socordia, vel inscitia et corrupto iudicio eorum, qui musicis et cantui praesunt, non sunt laude digna.

Tu igitur, Eme Princeps, quae tua est alacritas, cura ut cantus gregorianus iuxta decreta Concilii Tridentini plurimorumque Conciliorum provincialium et dioecesanorum totius orbis maxima cum diligentia colatur, et in sacris solemnibus praeferatur. Antehac, verum si loqui volumus, cantus gregorianus ex libris errantibus et imminutis cognoscebatur, sed cum viri egregii et de arte optime meriti omni studio in musicam incubuissent, mutata res est. Cantus gregorianus pristinae dignitati et decori restitutus, ut a Patribus accepimus et codicibus, dulcis videtur et suavis et qui facillime disci possit, ac tanta et nova pulchritudine indutus, ut iuvenum cantorum animos accierit, ubi iam colitur. Cum vero officio et muneri dulce misceatur, omnia diuturno et maiore studio aguntur. Volumus igitur et mandamus ut in omnibus collegiis et seminariis huius almae Urbis perantiquus cantus romanus inducatur, qui iam in nostris ecclesiis et basilicis cantitabatur, et optimis christianae religionis temporibus magno in honore fuit. Ut iam olim ex Romana ecclesia ad alias occidentales perlatus est, ita optamus ut clerici, qui Nobis spectantibus scientias sacras discunt, rursus eum ferant in suas dioeceses, ubi sacerdotes ad gloriam Dei sint operaturi.

Nobis autem terdecies centenum diem, qua gloriosus et immortalis Pontifex Divus ille Gregorius Magnus appellatus diem obiit supremum, cui Ecclesiae traditio multos per aevos horum concentuum tribuit compositionem, quibusque nomen unde fuit, magna cum solemnitate celebraturis haec mandare et praecipere placet. Cari Nobis iuvenes illis se exerceant concentibus, gratum enim Nobis erit sacram liturgiam agentibus eos hoc tam solemni eventu audire concentus gregorianos edentes apud illius Divi Pontificis tumulum in Basilica Vaticana.

Ut vero Nostrae erga Te, Eme Princeps, benevolentiae pignus sit Apostolica Benedictio, quam Tibi, clericis et Nostro dilectissimo populo ex toto corde impartimus.

Ex Aedibus Vaticanis, in festo Deiparae immaculatae, anno MCMIII.

PIUS PP. X

EPISTOLA

quam Pius X ad Episcopum Tarbien. misit, eius zelum commendans ac pietatem peregrinorum ad Sanctuarium B. M. V. Lapurdense confluentium, (i)

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Valde gratum est quod nunciasti nuper, istic ad aedem, miris Virginis Immaculatae praesentiis insignem, celebres increbrescere fidei pietatisque significationes, postquam arcana Dei benignitas humilitatem Nostram ad fastigium Apostolatus evexit. Eo vel magis quod certiores Nos fecisti, complura millia peregrinorum his diebus fere ex omni Gallia istuc, Episcopis suis praeeuntibus, confluentium nihil habere antiquius, quam ut Nobis, de multiplici Ecclesiae necessitate sollicitis, uberiora divinae gratiae subsidia comprecando concilient. Officium sane commendabile, et catholicis, hoc dignis nomine, apprime congruens. Quod quidem officium si omnes Ecclesiae filii debent his temporibus difficillimis praestare Pontifici, plane par est et consentaneum ut ante alios Galli praestent, quorum causa hodie angitur Pontifex vehementius ; idque praesertim faciant ad istum Specum praecipui in Galliam amoris misericordiaeque testem Virginis beatissimae. Quare habe tibi, Venerabilis Frater, grati animi Nostri testimonium; idque volumus communices cum tuis in Episcopatu collegis, universaque peregrinorum multitudine, quorum etiam nomine plenas obsequii observantiaeque litteras ad Nos dedisti.

Te vero, qui magnam Dei Matrem in ista potentiae gratiaeque eius nobilissima sede eximio studio et sedulitate colis colendamque aliis curas, propria ornamus laude, atque ut opera tua quotidie magis proficias ardenter cupimus. Quippe scias, Nos non minus quam Decessores Nostros materno ipsius patrocinio tribuere ; cuius potissimum ope confidimus fore, ut non modo patria vestra, sed Ecclesia universa ex malis quae premunt, aliquando emergat.

Coelestium munerum auspicem et paternae nostrae benevolentiae testem tibi, Venerabilis Frater, caeterisque omnibus

(1) Hanc epistolam in lingua italica relatam invenies in hoc volumine p. 283-

quorum tu mentionem fecisti, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 14 Septembris 1903, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

Ven. Fratri Francisco Xaverio
Episcopo Tarbien.

EX SECRETARIA BREVIUM

Ecclesia B. M. V. Dominae Nostrae a Spe, Briconii extans, ad Basilicam minorem evehitur.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Vetustis sacris aedibus Deo in honorem Deiparae Virginis dicatis, ac splendidiorem ipsius cultum in Gallia efferentibus, merito accensenda est, quae Briconii saeculo XIV insigne artis Gothicae monumentum, aedificata fuit, quaeque anno 1848 mutato nomine nostrae Dominae a Spe coepit condecoran; deinde ampliori forma auctoque honore funditus instaurata anno 1898, consecrata fuit. Pervetustum ipsius Virginis Dei Genitricis simulacrum, prodigiis clarum, aureoque diademate Summi Pontificis nomine anno 1865 redimitum, magno devotionis studio veneraturi, e Britanniae praesertim regionibus, piae peregrinationis causa, illuc turmatim accedere solent Christifideles, qui saepius Archisodalitati ibidem anno 1848 sub ipsius Dominae Nostrae a Spe auspiciis ac titulo canonice erectae dant nomen. Quae omnia animo recolens cum venerabilis Frater Petrus Maria Fallieres Episcopus Briocensis et Trecorensis supplicia quoque vota depromens cleri populique sibi commissi, quibus etiam Antistitum Hierapolitani, Molinensis, Niciensis et Alindensis suffragia accedebant, Nos enixis precibus flagitaverit, ut dictum

templum Dominae Nostrae a Spe ad Basilicae minoris dignitatem elevare dignaremur; Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis, votis huiusmodi annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Ecclesiam titulo B. Mariae Virginis Dominae Nostrae a Spe Briconii extantem, Apostolica nostra auctoritate, praesentium vi, ad Basilicae minoris gradum ac dignitatem evehimus, cunctis privilegiis atque honorificentiis eidem attributis, quae minoribus Almae Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit, in omnibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud *S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20 Decembris 1902, Pontificatus Nostri anno vigesimoquinto.

A. CARD. MACCHI.

Facultas conceditur Archiepiscopo Mechliniensi solemniter coronandi imaginem SSmi. Cordis Iesu in Basilica loci *Berchem.*

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Aedes Deo Sacras, arte non minus quam cultu ac fidelium concursu celebratas, praecipuis honoribus ex more institutoque Romanorum Pontificum ditare libenti quidem animo solemus. Novimus itaque in tua ista dioecesi Mechliniensi, idest in suburbio Antverpiae civitatis vulgo *Berchem* nuncupato, insigne extare templum SS. Iesu Cordi dicatum, et ab hac Apostolica Sede titulo Basilicae minoris auctum, cui pia filiarum ab eodem SS. Corde Congregatio inservit, et quod christianus populus

summa religione veneratur. Cum vero quintus et vigesimus annus ab hoc extructo templo propediem expleatur, Tuque, dilecte Fili Noster, hac data occasione instanter a Nobis petieris, ut ibidem positam SSmi Iesu Cordis imaginem habeas coronandi facultatem ; Nos, quo tam frugifer cultus magis magisque augeatur in dies, piis huiusmodi votis censuimus obsecundandum. Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, tibi, dilecte Fili Noster, praesentium tenore committimus, ut dictam SSmi Iesu Cordis imaginem in memorato templo Suburbii Antverpiensis existentem die per te eligendo sollemni ritu, servatisque servandis, Nostro nomine et auctoritate coronare licite queas.

Quo autem sollemne huiusmodi Sacrum in spirituale quoque Christifidelium bonum cedat, omnibus ac singulis utriusque sexus fidelibus, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, ipso Coronationis die, vel in posterum diebus eiusdem Coronationis anniversariis praefatum templum visitaverint, ibique ante supradictam SSmi Iesu Cordis imaginem pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione atque Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse concedimus ac largimur. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 28 Aprilis 1903, Pontificatus Nostri anno vigesimo sexto.

A. CARD. MACCHI.

L. S S.

Dilecto Filio Nostro Petro Lamberto
S. R. E. Presb. Card. Goossens
ex concessione et dispensatione Apostolica
Archiepiscopo Mechlinien.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM prohibitionis librorum.

Feria VI. die 4 Decembris 1903.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino nostro PIO PAPA X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 4 Decembris 1903, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Charles Denis, Un carême apologétique sur les dogmes fondamentaux. Paris, 1902.

•Charles Denis, L'église et l'état; les leçons de l'heure présente. Paris, 1902.

L'abbé Georgel, La matière; sa déification; sa réhabilitation au point de vue intellectuel et aimant; ses destinées ultimes. Oran, 1902-1903.

Joseph. Olive, Lettre aux membres de la pieuse et dévote association du Coeur de Jésus et de N. D. de sept douleurs. Cette, 1886-1903.

P. Sifflet, Decreto S. Congregationis, edito die 5 Martii 1903, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro PIO PP. X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datam Romae die 4 Decembris 1903.

ANDREAS CARD. **STEINHÜBER,** ***Praefectus.***

L. ✠ S.

Fr. THOMAS ESSER, **Ord. Praed.**
a Secretis.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

GUASTALLEN.

CONSUETUDINUM QUOAD SERVITIUM CHORALE.

Die 21 Novembris 1903.

Causa haec quum non sit controversa, sed potius petitio sanationis de praeterito et concessionis gratiae pro futuro, inter ***Summaria*** relata fuit et in generalibus comitiis discussa.

Facti species

Capitulum Ecclesiae Guastallensis ad trutinam reducens suam agendi normam quoad servitium chorale et quotidianas distributiones nonnullas inspexit irreptas esse consuetudines iuri Tridentino praesertim contrarias, proindeque omnibus enarratis in supplici libello, veniam petit de praeterito, gratiam pro futuro.

Praedictae vero consuetudines iuri contrariae ita praelaudatum Capitulum in suo supplici libello recenset:

« *A.* Canonici et Mansionarii, qui feriato tempore duorum mensium tantum (iuxta constitutiones proprias) chorali servitio non intersunt, non amittunt quotidianas distributiones, seu potius punctaturis non mulctantur;

« *B.* Chorales e contra qui infirmitatis causa realiter servitium chorale praestare nequeunt, faciunt suas distributiones propriorum canonicatuum et mansionariarum sed non augmentum distributionum quas amittunt non interessentes servitio chori.

« ***C.*** Sub-Oeconomus R. singulis annis rite persolvit tertiam partem fructuum omnium beneficiorum vacantium; sed talis summa non in ***fallentiarum cumulum*** refunditur sed distribuitur ***super capita*** pro rata fructuum uniuscuiusque prebendae.

« *D.* Canonicus Theologus et Canonicus Poenitentiarius respective habent propriam praebendam, ex Canonicatu

de massa et ex medietate beneficii simplicis auctoritate Apostolica extincti et distracti, conflatam; attamen ipsi subiiciuntur punctaturis tantum quoad praebendam primitivi canonicatus, nulla habita ratione ad maiores proventus ex parte adiuncti beneficii.

« *E.* Ex eo quod numerus Choralium fuerit valde imminutus, imo fere dimidiatus, Missa Conventualis canitur tantum diebus festis licet nuperrime suppressis ; in festis solemnioribus omittuntur Primae Vesperae, et Hora Tertia non canitur, nisi Missa Pontificalis ab Illmo et Rmo Episcopo postea celebretur ».

En facta de quorum liceitate movetur quaestio a Rmo Oapitolo Guastallen. et de quibus iudicium prodere rogantur Emi Patres S. C. C.

Rationes favorabiles

Canonici praelaudati Capituli, expositis veteribus consuetudinibus, has praebent rationes, quae suadent convenientiam gratiae concessionis. Ipsum Capitulum putat consuetudines contentas sub litteris *A. B. C.* reputari posse uti legitime introductas eo quia non tantum omnes particulares et immemorabiles, sed etiam quoad primam et alteram taxative expressas et contentas in capitularibus nunc vigentibus constitutionibus et a superiore auctoritate approbatis cum decreto sub die 27 Iunii 1850. Quoad consuetudinem quae refertur sub littera *D.* Capitulum eam a quinquaginta iam annis introductam esse cognoscit, et quoad consuetudinem de qua sub littera *E.* quamvis tantum viginti ab hinc annis introductam, tamen pariter legitimam agnoscit, vel ob fere dimidiatum numerum Canonicorum vel ob fere innumera munia, quibus nostris temporibus Clerus cuiuscumque Dioeceseos incumbere debet.

Episcopus ipse talibus rationibus suasus, eas ulterioribus argumentis corroborare studet, et sic in suis commendatitiis litteris se exprimit : « Quoad consuetudines expositas sub litteris *A.* e *B.*, sunt hae reapse receptae in constitutionibus

capitularibus ab Ordinariis approbatis; relate ad consuetudinem contentam sub littera C, videtur legitimata ab Ordinariis qui antiquitus singulis annis approbabant schema distributionum choralium inter capitulares. Quoad consuetudinem sub littera *D.* tertiam partem redituum beneficii adnexorum praebendis canonici Poenitentiarii et Theologi non fuisse adiunctam distributionibus, quia beneficium hoc cum sit Missarum numero oneratum, habitum fuit uti distinctum a praebendis canonicalibus. Quoad postremam vero consuetudinem procul dubio introducta pro arbitrio haec fuit'; ast cum Canonicatus de 20 ad 12 reducti sint et presbyteri omnes ad 17 in civitate, opportunum non esset actuale chorale servitium immutare; secus enim clerus tam imminutus impar fieret necessitatibus Dioecesis ». Hinc Rmus Ordinarius concludit exorans Emum Cardinalem Praefectum ut velit ad *quinquennium* vel saltem ad *biennium* imploratam choralis servitii reductionem concedere nec non alias consuetudines ratas habere, quum non obsint regulari Ecclesiae servitio.

Igitur iuxta Episcopi relationem momenta pro gratiae concessione existunt: quales procul dubio sunt reductus numerus canonicorum, gravia et multiplicia officia quibus canonici et mansionarii incumbere debent sive in Seminario, sive in Curia, sive in ipsa civitate Cuastallensi cum in ea non alii adsint presbyteri praeter enunciatos chorales. Ergo Capituli preces viderentur benigno favore esse excipiendae. Attamen haec generice dicta sunt.

Insuper in specie quoad lucrum distributionum quotidianarum pro absentibus tempore vacationum Conciliarium expendi potest, quod cum tale tempus in Capitulo Guastallensi restrictum sit ad duos menses et aliunde cum canonici infra annum variis gravibus muneribus detineantur, aequum censetur ut hi compensentur implorato privilegio. Reapse S. Congregatio concedere solet talia indulta ex specialibus circumstantiis uti testantur resolutiones in *Oriolen. 1 Decembris 1794* et in *Alben, servitii chori 11 Iulii 1885* et

quidem cum clausula sicuti in praecitata *Alben*, ut canonici eodem tempore absentes non sint ultra tertiam partem et vacationes non contingant tempore Adventus et Quadragesimae vel solemnioribus anni festis, uti fuit praescriptum in *Auximana diei 12Iulii 1631*.

Quoad consuetudinem excludendi canonicos infirmos e participatione distributionum canonicorum negligentium seu a iure accrescendo quamvis hoc videatur opponi dispositioni Concilii Trid. *sess. 24 cap. 12*, quae considerat canonicos infirmos tamquam personaliter praesentes quoad distributiones quotidianas, tamen cum haec consuetudo non tangat chori servitium, nullum divino cultui damnum ex eius approbatione obvenire potest. Idque eo fortius quia ipsa est etiam sancita in Constitutionibus Capituli Guastallensis ab Ordinario recognitis.

Relate ad consuetudinem sub littera *C*, vi cuius tertia pars redituum praebendarum vacantium a Gubernio persoluta non immittitur *in cumulum fallentiarum*, sed potius cuique praebendarum tribuitur in ratione proportionali praebendae, observari posset quod haec partitio spectari potest ceu quaedam redintegratio bonorum vel redituum Capitulo a Fisco direptorum ; deinde Episcopus notat quod haec divisio facta semper fuit de consensu Ordinariorum. Ad rem censeo referre resolutionem H. S. Congregationis in *Veliterna Pandatur arum, die 27 Martii 1885*. Inibi inter alia agebatur de partitione redituum duorum beneficiorum vacantium quae ex defectu subiectorum interim conferri non poterant. Quaesitum proinde fuit: II. *An reditus duorum aliorum beneficiorum vacantium aeque atque, ex integro dividantur inter beneficiatos non habita ratione servitii vel potius sit distrahenda tertia pars quae diligentioribus tantum accrescat in casu ;* S. Congregatio respondit : *Affirmative ad pri?nam partem, negative ad secundam.*

Quoad consuetudinem sub litera *D*. adverti potest quod augmentum praebendae sive Theologalis, sive Poenitentiariae proveniens ex partitione beneficii suppressi est parvi

momenti, uti notat Episcopus Guastallensis ; deinde haec tenuis quota fere absorbetur ab oneribus particularibus Missarum quae beneficium suppressum gravabant : hinc pars in cumulum distributionum quotidianarum vel fallentiarum immittenda levissima evaderet.

Demum quoad consuetudinem sub literal, relate ad Missam conventualem nota est dispositio *cap. Creatura de celeb. Missar.* et Constitutio Bened. XIV *Cum semper oblatas,* quae in omnibus ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegiatis praescribit, ut quotidie pro benefactoribus in genere applicetur et cantetur Missa conventualis : hisce tamen non obstantibus, quando causae iustae concurrant, aliqualis reductio concedi solet, praesertim quando agitur de reductione Missarum cum cantu in Missas lectas ut in themate, pari ratione iudicium ferendum videtur circa omissionem cantus in recitatione Vesperarum in diebus solemnibus et in recitatione Tertiae praeter quam in Missa Pontificali. Quamvis enim haec sint contra Rubricas Generales, tamen iustis concurrentibus causis aliqua indulgentia in hoc puncto concedi solet. Causas vero pro reductione officiaturae choralis in casu adesse easque gravissimas, uti supra visum est, testatur relatio Episcopi Guastallensis.

Rationes adversae

Contra praenarratas consuetudines primo loco observari potest eas conglobatim fuisse a S. C. C. reprobatas, uti patet ex ipsa Episcopi Guastallensis relatione. Nam eadem S. **C.** alias interrogata sic respondere censuit : « Cathedralis ecclesiae canonicos admone nullam peculiarem consuetudinem, quantumvis inveteratam, posse contra generales iuris leges in chorali servitio uti legitimam haberi. Si locorum ac temporum adiuncta remissionem aliquam suadent, ea est ab Apostolica Sede, commendatis a Te *(Episcopo)* precibus, impetranda ». Attamen contra ipsam Episcopi commendationem sequentes militant rationes.

In merito enim presentís controversiae advertam primo consuetudinem sub littera *E.* denuntiatam directe afficere Choris servitium: caeteras *directe* quotidianas distributiones, *indirecte* etiam servitium Chori. Distributiones enim quotidianae, quibus équivalent punctaturae, invectae sunt et a iure statutae, ut edicitur *in Veliterno,, Punctaturarum 27 Martii 1886,* ut chorali servitio addicti de negligentibus diligentes, de tardis assidui fierent et iuxta Conc. Trid. : *session. 21. C. 3. de Reform.* » ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum in omnibus obsequium praestetur.

Nonnullae aliae rationes in facto extant in contrarium, quae quamvis parvi sint roboris, tamen pretium esse operis adducere puto. Primo quoad consuetudines a litera *A.* usque ad litteram *B.* inclusive tum Episcopus tum Capitulum eas censet esse admittendas, quia sunt recognitae in Capitularibus Constitutionibus ab Ordinario anno 1850 approbatis. Sed statuta Capitularia quantumvis iurata et auctoritate Ordinarii roborata nihil possunt contra ius commune et praesertim contra ius Tridentinum ut docet Fagnanus in *cap. licet de praeb. n. 92* et passim alii auctores. Praeterea denegare canonicis infirmis augmentum ex negligentium fallentiis videtur esse contra aequitatem.

Quoad consuetudines sub literis C, D., Episcopus ait se iis non adversari, sicuti non reprobat duas praecedentes consuetudines « perchè veggo che non sono di ostacolo alla regolarità del servizio corale ». Quae ratio non satis solida apparet; distributiones enim quotidianae vel punctaturae ideo a iure invectae sunt, uti supra monitum fuit, ut canonici de negligentibus fiant diligentes : hinc indirecte afficiunt servitium chori.

Quoad consuetudinem sub litera *E.* adnotasse sufficiat, hanc arbitrario modo a Capitulo fuisse introductam : uti testatur ipse Episcopus: « La consuetudine di cui alla lettera *E.* **è** stata senza dubbio introdotta arbitrariamente »; quare eam convalidare, esset quodammodo praemio Capituli malitiam

donare, et aliis Capitulis ansam dare chorale servitium negligendo

Emi Patres hisce omnibus hinc inde perpensis adductis rationibus in generalibus comitiis die 21 mensis Novembris nuper elapsi respondendum censuerunt :

R. Ad 1um *Praevia sanatione quoad praeteritum, quoad futurum pro gratia ad quinquennium facto verbo cum SSmo.*

Ad 2um *Serventur statuta.*

Ad 3um et 4um *Servetur ius comune.*

Ad 5um *Pro gratia dispensationis a cantu dumtaxat Missae Conventualis per quinquennium, exceptis omnibus diebus festis aliisque ab Episcopo determinandis pro suo arbitrio et conscientia, facto verbo cum SStio.*

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 23 Ianuarii 1904.

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Concilii Congregatio in qua, praeter alia, propositae sunt infrascriptae Causae, iuxta morem eiusdem S. Congregationis discutiendae; quaeque sequenti modo resolutae fuerunt :

PER SUMMARIA PRECUM

I. FRIBURGEN. - DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

R. ***Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia dispensationis, dummodo non adsit scandalum, super quo oneratur Archiepiscopi conscientia, praevia salutari poenitentia, facto verbo cum SSmo.***

II. CAIETANA - FONTIS BAPTISMALIS.

R. ***In decisis in omnibus et amplius.***

III. RUBEN. - ORDINATIONIS PAROECIARUM.

R. ***Pro gratia approbationis iuxta mentem.***

IN FOLIO

I. MESSANEN. - NULLITATIS MATRIMONII.
R. *In decisis.*

II. VARSAVIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. *{Sub secreto).*
R. *Affirmative.*

III. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII. *(Sub-secreto).*
R. *In decisis.*

IV. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII.
R. *In decisis.*

V. RHEDONEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. *(Sub-secreto).*
R. *Affirmative.*

VI. BAREN. - IURIUM.
R. Ad 1um *dubium, quoad exemptionem Archipresbyteri a punetatura confirmandum decretum eum declaratione, ut parochus praesens habeatur quoties curae animaram incumbit, onerata super hoc eius conscientia; infirmandum quoad alteram partem.*
Ad 2um *serventur consuetudines legitimae praescriptae, ita tamen ut parochus praesens habeatur quoties curae animarum incumbit, onerata, super hoc conscientia.*
Ad 3um et 4um *Ad mentem. Mens est ut conservato Archipresbytero in possessione et administratione bonorum, eidem imponatur pensio 100 libellarum favore participantium; salvo iure providendi pro aliqua aequa pensione in nova beneficii provisione.*

VII. VALVEN. - REMOTIONIS A PAROECIA. *(Sub-secreto).*
R. . . . .

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

FACULTATES

Ordinariae atque Extraordinariae Sacrorum Rituum Congregationis.

FACULTATES EXTRAORDINARIAE
QUAE PER S. R. C. EX AUDIENTIA SANCTISSIMI OBTINERI POSSUNT.

I. *Facultates extraordinariae in causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei.*

1. Deputandi Episcopos, in numero a Generalibus Decretis designato, ad construendis Processus Apostolicos.

2. Prorogandi terminum ad explendos Processus Apostolicos.

5. Indulgendi apertionem Processuum Ordinaria non minus, quam Apostolica Auctoritate constructorum, attamen adiecta clausula: *servatis servandis.*

4. Proponendi in Congregatione Ordinaria absque interventu et voto Consultorum Dubia : I. Validitatis Processuum : II. Signaturae Commissionis Introductionis Causae: III. Reassumptionis Causae ad Canonizationem: IV. Singula, quae communiter nuncupantur *minora:* V. Causas adprobationis seu confirmationis Cultus immemorabilis.

5. Proponendi Dubium in Congregatione Ordinaria Signaturae Commissionis Introductionis Causae, quamvis non defluxerit terminus requisitus decem annorum a praesentatione Processum Ordinaria Auctoritate constructorum.

6. Proponendi Dubium supra Virtutibus, quamvis requisitus terminus quinquaginta annorum non defluxerit a morte Servorum Dei, de quibus agitur.

7. Concedendi Litteras particulares Sacrorum Rituum Congregationis cum Instructionibus R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris: I. Ad perquirenda scripta Servorum Dei: II. Ad recognoscenda, "vel transferenda eorum corpora, seu reliquias: III. Ad extrahendas reliquias pro Beatificatione. — Quocumque alio in casu a R. P. D. Sanctae Fidei Promotore Instructiones coniiciuntur in Causis Servorum Dei particularibus hisce litteris semper accludendae.

8. Concedendi easdem Litteras particulares quoties eae spectent ad executionem alicuius Decreti Sacrorum Rituum Congregationis, vel pertinent ad aliquam notitiam, quae a R. P. D. Sanctae Fidei Promotore desideretur in Animadversionibus etiam in Monasteriis clausurae inquirendam.

9. Indulgendi computationem Processuum Informativorum in Apostolicos.

10. Concedendi Litteras Remissoriales pro constructione Processuum, *ne pereant probationes,* ante examen Dubiorum de Cultu non exhibito, et de Fama sanctitatis.

11. Concedendi Litteras Remissoriales pro constructione Processuum auctoritate Apostolica, dirigendas non modo Episcopis iuxta Generalia Decreta, verum aliis iuxta exempla allata a sa. me. Benedicto Papa XIV in opere de *Canonizatione Sanctorum lib. 2, eap. 5,* et aliis etiam de quibus aliquod exemplum inveniatur, iuxta circumstantiarum varietatem.

12. Deputandi Emos Cardinales Sacrorum Rituum Congregationis a Postulatoribus requisitos in Ponentes seu Relatores Causarum Beatificationis et Canonizationis.

N. B. *Supradictae facultates,* quamvis ex Audientia Ssmi obtineri debeant, a Sacra tamen Congregatione, *vigore facultatum sibi specialiter tributarum,* immediate concedi possunt, *quoties necessitas urgeat, et ad Summum Pontificem non habeatur accessus.*

II. *Aliae Facultates extraordinariae.*

1. Altaria fixa consecrandi per Sacerdotem.

2. Altaria portatilia » » »

3. Altarium (Ad) consecrationem subdelegandi *Pro Episcopo.*

4. Altare portatile erigendi sub dio.

5. Altarium consecratorum titulum mutandi.

6. » » **imagines** »

7. Ablutiones in Missa cum sola aqua peragendi.

8. Absolutiones impertiendae in exequiis post Missam lectam.

9. Benedictionum formulas proprias adprobandi.

10. Benedicendi novum Abbatem die feriali.

11. Benedictionem solemnem impertiendi nomine Summi Pontificis.

12. Benedictionem solemnem impertiendi post Missam Pontificalem.

13. » » » extra Missam.

14. Benedictionem eamdem cum dispensatione a lectura Brevis.

15. Barbam deferendi.

16. Basilicae minoris titulum concedendi.

17. Beatorum imagines exponendi.

18. Beatorum reliquias deferendi in solemni processione; servata Instructione R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris.

19. Beatis dedicandi altaria.

20. Consecrationem (Ad) altarium fixorum et portatilium subdelegandi *pro Episcopo.*

21. Consecrandi Episcopum die feriali.

22. » Ecclesiam cum nonnullis dispensationibus.

23. Chori parvi aperiendi in Ecclesiis et Oratoriis.

24. Candelarum numerum reducendi in expositione Ssmi Sacramenti.

25. Dedicationis Anniversarium una eademque die ab omnibus Ecclesiis alicuius Dioeceseos, Ordinis, Congregationis etc. celebrandi.

26. Dispensandi a Missa feriae, vigiliae etc. *pro Capitulo.*

27. Dispensandi a ieiunio ante consecrationem altarium.

28. Festa Beatorum extendendi ad Dioeceses et Ecclesias.

29. Festorum ritus elevandi ad Duplex maius, 2ae et 1ae classis.

30. Festorum ritus reducendi a dupl. mai., 2ae et 1ae classis ad inferiorem ritum.

31. Habitandi super Ecclesiam.

32. Insignia specialia Episcopis, Canonicis, Parochis, Dignitatibus etc. indulgendi, et throni usum Episcopo coadiutori.

33. Kalendaria particularia concedendi, reformandi etc.

34. Missae Conventualis legendae, vel non.

35. Missas proprias concedendi et adprobandi, iuxta praxim.

36. Missam celebrandi cum nonnullis dispensationibus.

37. » » propriam in quatriduo.

38. » » propriam in octavario.

39. » » in interiori clausurae sacello.

40. » » votivam B. M. V. in Sanctuariis.

41. Missam votivam alicuius Sancti in Sanctuariis.

42. » *Rorate* celebrandi durante Sacro Adventu.

43. » celebrandi duabus horis ante auroram et post meridiem.

44. Missam celebrandi Feria V in Coena Dñi pro communitate cum Communione Paschali.

45. Officii feriae in aliud commutandi.

46. » recitationem anticipandi in choro.

47. » » » ante secundam horam pomeridianam pro aliquo ecclesiastico.

48. Officia concedendi, extendendi, vel supprimendi.

49. Patroni eligendi et approbandi.

50. » » » pro universa classe vel universitate.

51. Purificationis B. M. V. festum transferendi cum benedictione candelarum.

52. Pileolum gestandi et vittas ad vulnus in capite tegendum.

53. Portam Ecclesiae contiguam aperiendi.

54. Processionem in festo Corporis Christi transferendi ad horas pomeridianas.

55. Pontificalium usum concedendi Canonicis etc.

56. Rocheto utendi *pro Episcopo Regulari.*

57. Ritus et Caeremonias itemque Libros Liturgicos iuxta praxim adprobandi.

58. Ssmum Eucharistiae Sacramentum asservandi ad tempus in Oratorio privato Communitatum et Sanctimonialium.

59. Ssmum Eucharistiae Sacramentum asservandi in Oratorio Episcopi.

60. Ssmum Eucharistiae Sacramentum deferendi in Civitate capite tecto, *galero* vel *pileo* vel *pileolo.*

61. Vesperas, sine vel cum Completorio, anticipandi ante meridiem in Choro.

62. Erigendi alia Oratoria praeter principale in domibus religiosis, iuxta decretum 4007 Nivernen.

FACULTATES ORDINARIAE QUAE PER S. R. C. OBTINERI POSSUNT.

1. Altaris portatilis erigendi ante Imagines Beatorum.
2. Abluendi linteamina sacra *pro Sanctirnonialibus.*
3. Benedictionem solemnem Aquae peragendi in Vigilia Epiphaniae.
4. Benedictionum formulas approbatas adhibendi, quae indigent facultate Apostolica.
5. Benedicendi, speciatim, candelas in honorem S. Ioseph.
6. » cingula » » »
7. » annulos » » »
8. » coronas angélicas S. Michaelis.
9. » aquam in honorem S. Ignatii Conf.
10. » numismata S. Benedicti Abb.
11. » omnia scapularia.
12. » quatuor scapularia sub unica formula.
13. » parvam imaginem , ad instar scapularis, S. Cordis Iesu.
14. Benedicendi nolas.
15. » » non exclusa aqua.
16. » sacras supellectiles, in quibus sacra unctio non adhibetur.
17. Benedicendi, seu reconciliandi Ecclesias et Coemeteria per Sacerdotem.
18. Benedicendi, seu reconciliandi Ecclesias et Coemeteria per sacerdotem cum aqua a Sacerdote benedicta.
19. Benedictiones (Ad) Episcopo reservatas, in quibus sacra unctio non adhibetur, subdelegandi *pro Episcopo.*
20. Benedictionem impertiendi infirmis in honorem S. Annae.
21. Consecrationem (Ad) calicum, patenarum subdelegandi *pro Episcopo.*
22. Consecrationem Altarium per formulam brevem privatim perficiendi.
23. Consecrandi Olea sancta minori Ministrorum numero.
24. Comam adscititiam gerendi.
25. Confessionem sacramentalem in privato oratorio peragendi.

26. Dispensandi a recitanda IX Lectione Officii simplifican' *pro Monialibus.*

27. Dispensandi quamcumque ecclesiasticam Communitatem instantem ab adiunctis Officio feriali, nempe a Psalmis Poenitentialibus et Gradualibus, nec non ab Officio parvo Beatae Mariae Virginis, et Defunctorum.

28. Festa extendendi ad Dioeceses et Ecclesias.

29. Festorum ritus elevandi ad Dupl. min.

30. » » reducendi a duplici minor, ad inferiorem ritum.

31. Functiones hebdomadae maioris peragendi in Oratoriis Sanctimonialium, Religiosorum etc.

32. Functiones supradictas et similes celebrandi, adhibito Memoriali Benedicti XIII, in Ecclesiis et Oratoriis praesertim Sanctimonialium, Religiosorum etc.

33. Imagines detegendi tempore Passionis.

34. Indumentorum usum ex lana vel gossypio confectorum permittendi, donec consummentur.

35. Matutini privatam recitationem anticipandi.

36. Missam celebrandi nocte Nativitatis Nomini *pro Oratoriis privatis* et *pro Oratoriis Sanctimonialium, vel Communitatum.*

37. Missas votivas omnes celebrandi *pro eaeeutiente.*

38. » » » *pro eaeeo.*

39. Missas proprias celebrandi in Triduo.

40. » » » aliqua die, praesertim pro Sacerdote novensili.

41. Missam propriam celebrandi in Oratorio etiam privato

42. Missas plures celebrandi in Oratorio privato (ter in. anno).

43. Missas plures celebrandi in Oratorio privato, die Titularis.

44. Missas plures in Oratorio privato occasione infirmitatis Indultariorum.

45. Missam celebrandi in mari.

46. » » in carcere.

47. » Votivam B. M. V. vel alicuius Sancti etc., in Sanctuariis *pro Sacerdotibus peregrinis, aut ducibus peregrinorum.*

48. Missam Votivam Passionis in Hebdomada Maiori.

49. Missam de Requie pluries in hebdomada pro Ecclesiis cum cantu.

50. Missam de Requie lectam ad nuncium mortis.

51; » una hora ante auroram et post meridiem.

52. » Feria V. in Coena Domini *pro Sacerdote.*

53. » cantatam absque Ministris cum thuriflcatione.

54. » solemnem nec non Missas lectas proprias occasione festivitatis extrinsecae alicuius Sancti, vel Beati vel Mysterii iuxta praxim.

55. Missam solemnem de Communi, ubi asservatur Corpus alicuius Sancti Martyris nominis proprii.

56. Missas lectas celebrandi de Communi, ut supra.

57. Officii divini recitandi et Missae peragendae iuxta Kalendarium propriae Religionis *pro Regularibus, qui eiusdem Religionis habitu, iusta de causa dimisso, in statu saeculari versantur,* usque dum residentiali aliquo Beneficio non provideantur.

58. Officii Divini recitationem commutandi et dispensandi.

59. » recitationem anticipandi.

60. Officia transferendi.

61. Oleum sanctum adhibendi ab anno benedictum.

62. Oratorium privatum erigendi tum domi tum ruri, *pro Sacerdotibus infirmis.*

63. Oratorium, ut supra, cum adimplemento praecepti, exceptis diebus solemnioribus, pro cohabitantibus.

64. Oratorium, ut supra, *pro altero Sacerdote,* impedito Sacerdote indultario.

65. Oratoria privata erigendi in Coemeteriis tum ad familias tum ad Communitates spectantia.

66. Paramenta caerulei coloris permittendi in Missa de Festo aut votiva Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis *pro regno Hispanico* et regionibus nunc vel olim eidem subiectis.

67. Ssmum Eucharistiae Sacramentum asservandi sub consuetis clausulis in Ecclesiis non Parochialibus, Oratoriis publicis et semipublicis.

68. Ssmum Eucharistiae Sacramentum asservandi cum dispensatione a quotidiana Missae celebratione, iuxta praxim.

69. Ssmum Sacramentum distribuendi in Oratorio privato, excepto Paschate.

70. Ssmum Sacramentum deferendi, capite tecto galero, pileo, vel pileolo, *extra civitatem.*

71. Ssmum Sacramentum exponendi in forma XL. Horarum, cum dispensatione ab horis nocturnis.

72. Extensiones Officiorum et Missarum propriarum et adprobatarum.

73. Evehendi festa ad ritum duplicem maiorem.

74. Satisfaciendi praecepto audiendi Sacrum in Oratoriis privatis:

a) Pro personis cohabitantibus.

b) Pro hospitibus.

c) Pro consanguineis et affinibus.

75. Altera Missa in Oratoriis privatis:

a) Pro unico Sacerdote hospite.

b) Sexies per annum.

76. Privatam Matutini cum Laudibus recitationem anticipandi pridie ab hora prima post mer. cum aliqua rationabili causa.

77. Altera Missa in Oratorio privato, quoties Indultarii ad S. Synaxim accedunt.

78. Missa in Oratorio privato solemnioribus diebus.

79. Missa in Oratorio privato diebus festis Assumptionis et S. Patroni.

80. Ut commensales et Coloni satisfacere valeant praecepto Sacri audiendi, Missae adstando in Oratorio privato.

Ex Audientia SSmi, die 7 Septembris 1903.

Praedictae facultates a Ssmo Dno Nostro Pio Papa X ea lege munitae sunt, qua nec immutari nec augeri, absque Summi Pontificis venia, unquam possint; deque legis ipsius custodia, S. R. C. Secretarii et Substituti conscientia omnino oneretur.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

✝ D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ORDINIS PRAEDICATORUM

Solemnitas SSmi Rosarii alumnis Provinciae Baeticae recolenda indulgetur Dominica prima mensis maii.

A. Reverendus Pater Prior Provinciae Baeticae Ordinis Praedicatorum, Capituli Provincialis vota humiliter depromens Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X enixis precibus rogavit ut Dominica prima mensis maii ab alumnis ipsius Regularis Provinciae Festum solemne Beatae Mariae Virginis de Rosario, quod Festum *Rosae* vulgo nuncupatur, cum Officio ac Missa de solemnitate eiusdem Sanctissimi Rosarii, uti Dominica prima octobris, recoli valeat; quemadmodum Regulari Provinciae Aragoniae suimet Ordinis iampridem concessum fuit.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, attento commendationis officio Reverendissimi Patris Procuratoris Generalis memorati Ordinis, benigne precibus annuit. Servatis peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Augusti 1903.

M. CARD. MOCENNI

L. * S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ORDINIS PRAEDICATORUM

Missa solemnis de S. Dominico infra eiusdem festi Octavam conceditur Monialibus Ordinis Praedicatorum in loco de Belves.

Ad enixas preces Priorissae Sanctimonialium Ordinis Praedicatorum degentium in oppido *Belois* vulgo nuncupato, intra fines Archidioeceseos Compostellanae, et Reverendissimi Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis commendationis officio suffultas, Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, benigne indulsit, ut Dominica infra Octavam festi Sancti Patris Dominici, in ecclesia contigua eidem monasterio, unica Missa

solemnis de Sancto Patre legifero propria celebretur : dummodo non occurrat Duplex primae classis, nec omittatur Missa Conventualis Officio diei respondens. Servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Septembris 1903.

M. CARD. MOCENNI

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

FIRMANA

Non licet parochis alienam ecclesiam ingredi ibique funera peragere super cadavere proprii defuncti.

A decem Parochis Civitatis Firmanae Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime propositum fuit, nimirum :

An stante antiqua consuetudine, etiam actis Synodalibus an. 1773 et 1845 confirmata, et nemine contradicente, Parochi eiusdem Civitatis deferentes cadavera defunctorum propriae paroeciae in alienam ecclesiam, possint non solum ingredi cum propria cruce et clero, sed etiam praesidere cum stola Officio defunctorum, quod fit cum cantu, et post Ps. *Benedictus* absolutionem peragere iuxta Rituale cum aspersione aquae benedictae, thurificatione et oratione *Absolve,* haud obstante quod acta postremae Synodi Dioecesanae an. 1900 edita Cap. *De funeribus et sepulturis* part. III, tit. III, de supradicta consuetudine omnino sileant et tantummodo referant Decretum d. d. 23 Aprilis 1895 « servandum pro quibuscumque ecclesiis etiam collegialibus sive ad saecularem sive ad regularem clerum pertinentibus, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante ? »

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii , audito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Serventur in casu acta ultimae Synodi Dioecesanae et Decretum (*).

Atque ita rescripsit. Die 1 Decembris 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. % S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secreta*

(*) En citatum DECRETUM

Super exequiis defunctorum.

Sacra Rituum Congregatio, Ritualis Romani Rubricis pluribusque alias evulgatis Decretis inhaerens, declarat:

I. « Cadavera defunctorum associanda esse cum unica tantum Cruce, quae debet esse illius Ecclesiae ad quam corpus defuncti defertur: dummodo non interveniat Capitulum Ecclesiae Cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes ».

II. « Ius et onus inesse semper, etiam praesente Capitulo Cathedralis Ecclesiae, extra hanc tamen, parocho induendi Stolam et officia omnia persolvendi super cadavere defuncti ad suam pertinentis Ecclesiam, usque dum e loco obitus ingressus fuerit Ecclesiam tumulantem : ad quam, per alias quoque Paroecias libere transeundo (recto tamen tramite, nisi aliud consuetudo ferat) cadaver deferendum est ».

III. « Eumdem Parochum primas habere super omnem Clerum ; excepto (si interfuerit) Capitulo Cathedralis Ecclesiae, quod in associatione incedet post ipsum Parochum: excepto etiam Capitulo Ecclesiae Collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu dignior Capituli Cathedralis incedat cum Stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat Parochus; et id ipsum servabit, si Capitulum Ecclesiae Collegiatae post Parochum incedat ».

IV. « Si defunctus in alia parochiali Ecclesia sit tumulandus, illius uni Ecclesiae Rectori, Stola pariter induto, ius et onus competere reliqua officia ibidem peragendi super cadavere; aliisque omnibus praecedere, ne defuncti quidem Parocho excepto, qui, cadavere ad Ecclesiae limen delato, recedat».

V. « Haec autem omnia servanda Sacra Rituum Congregatio iubet pro quibuscumque Ecclesiis etiam Collegialibus, sive

ad Secularem sive ad Regularem Clerum pertinentibus; quacumque in contrarium consuetudine minime obstante ».

Atque ita decrevit et servari mandavit.

Die 23 Aprilis 1895.

GRATIANOPOLITANA

Decretum confirmationis cultus Servorum Dei Theobald!, Viennensis Archiepiscopi, aliorumque sexdecim Sanctorum nuncupatorum.

Rmus Dnus Paulus Aemilius Henry Episcopus Gratianopolitanus una cum Capitulo suae Cathedralis Ecclesiae nuper animadvertit in Kalendario dioecesano die 27 Aprilis 1865 approbato nonnullos praetermissos fuisse coelites clero ac populo dioeceseos sibi commissae acceptissimos. Horum cultus immemorialis seu casus exceptus a decretis Urbanianis licet ab Apostolica Sede nondum confirmatus et declaratus, tamen per indubia atque valida argumenta etiam ex Indultis Pontificiis deprompta probari posse ferebatur. Hinc idem Antistes pro sua pastorali sollicitudine ipsum Kalendarium et Proprium dioecesanum reformare volens, cura et studio clarissimi viri in agiographia et liturgia periti ea testimonia et argumenta quae ad rem conferre possent, diligenter ordinateque collegit, protulit atque Apostolicae Sedi demisse subiecit. Eodem tempore dispensationem a processibus Ordinariis et probationem tantummodo per documenta authentica super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII expetivit atque obtinuit pro omnibus Servis Dei, sanctis nuncupatis, quorum gloriosa nomina infra recensentur, servato ordine dierum quibus singuli festiva celebritate honorati sunt vel recolendi proponuntur. Ex his tamen primum obtinet locum, die 21 Maii, *Tkeobalclus Archiepiscopus Viennensis,* ex piis ac nobilissimis parentibus Hugone et Willa Burgundiae regibus consanguinea anno circiter 930 in castro Tolvione Gratianopolitanae dioecesis ortus, qui Cathedram Viennensem, Episcopo Sobone vita functo, tenuit atque illustravit usque ad obitum qui obtigit die 21 Maio anno 1001. In antiquis Kalendariis, Missalibus, Breviariis et Martyrologiis Ecclesiae Viennensis ad diem 21 Maii descriptus est, sequenti elogio etiam cohonestatus: «XII Kalendas Iunii. Viennae de-

positio S. Theobaldi confessoris, L VIII Archiepiscopi Viennensis, qui a Sancta Sede Apostolica Sanctorum Archiepiscoporum Viennensium ultimus inter divos est relatus. Hic in maiori ecclesia, post eiusdem restaurationem ab eo circa annum 954 factam, plenus miraculis quiescit. Ob cuius venerationem plebs Viennensis devotissima cappellas quatuor in sacra maiori basilica aedificavit; quarum praecipua, ubi corpus eiusdem quiescit ». De hoc sancto Praesule plura ac praeclara referunt Vita eius antiqua peritorum iudicio circa saec. XI et XII exarata, atque Historia et Acta Viennensis Ecclesiae. Sexdecim alii Servi Dei sunt : — die 2 Ianuarii *Clarus Viennensis abbas,* in monasterio S. Marcelli, ubi decessit die 1 Ianuarii an. circ. 670, religiosae perfectionis exemplum monachis relinquens. — Die 19 Ian., *Fergeolus Gratianopolitanus Episcopus* martyr, quem e suggestu concionantem ad plebem impii et sicarii percutientes interfecerunt die 16 Ianuarii an. circ. 683.— Die 23 Ian., *Barnardus Viennensis Episcopus,* in dioecesi Lugdunensi natus, qui divitias a patre acceptas in causas pias erogavit, extructis etiam binis coenobiis, uno Ambroniacensi, altero Romanis, ubi vitae cursum exegit die 22 Ianuarii an. 842. — Die 28 Ian., *Amedeus Lausannensis Episcopus,* ex nobili gente de Altaripa Castae in oppido natus, Viennensis dioeceseos, qui ex coenobio Claravallensi ad Cathedram Lausannensem translatus, singulari pietate in Deiparam Virginem exarsit quoad vixit ad an. 1159. — Die 13 Martii, *Eldradus Nooalieiensis Abbas* virtute atque operibus clarus obiit die 13 Martii an. circ. 840. — Die 1 Aprilis, *Hugo Bonaeoallis Abbas* in Ordine Cisterciensi, Valentiae in lucem editus, mediator extitit inter Alexandrum III et Fridericum I de Hohenstaufen, quos sua prudentia et charitate conciliavit: annis et meritis plenus defunctus est die 1 Aprilis an. 1194. — Die 20 Aprilis, *Ioannes Valentinensis Episcopus,* patria Lugdunensis, qui ordinem Cisterciensem et Sedem Episcopalem humilitate praesertim et beneficientia adornavit diemque supremum obiit 21 Martii an. 1146. — Die 13 Martii, *Arigius Vapincensis Episcopus,* qui sacerdos Gratianopolitanus episcopali dignitate ornatus, sacro ministerio ita excelluit, ut S. Gregorii Magni amicitiam sibi comparare meruerit: obiit die 1 Maii anno circ. 612. — Die 7 Iunii, *Ceratus Gratianopolitanus Episcopus* an. 441 Synodo Arausicanae et an. sequente Synodo Vasensi interfuit; per epistolam sancto Leoni Magno de litteris ad Flavianum

scriptis gratias retulit, servansque gregem ab haeretica lue incolumem, ipse ab haereticis in exitium pulsus occubuit in pago Simorra dioeceseos Ausciensis die 6 Iunii an. circ. 452. — Die 7 Iulii, *Iustus Condatensis monachus* saeculo VI vitae sanctitate floruit, deinceps in Salegensi Prioratu et in Gratianopolitana dioecesi celebratus. — Die 7 Septembris, *Stephanus Diensis Episcopus,* ex nobili domino de Castellione Dombarum natus, monachus cartusianus ac Prior, postea ob praeclaras virtutes Episcopus consecratus, vita functus est die 7 Septembris an. 1208. — Die 3 Octobris, *Ismido Diensis Episcopus,* canonicus ecclesiae Lugdunensis Sancti Stephani, virtute et doctrina illustris atque sacra infula ornatus, die 30 Septembris an. circiter 1115 in pace Christi quievit. — Die 6 Novembris, *Leonianus Viennensis Abbas,* Sabariae in Pannonia natus, a barbaris in Gallias captivus deductus, Augustoduni primum, mox Viennae quadraginta et amplius annis monachos et monachas sanctissime rexit, atque ineunte saeculo VI die 13 Novembris obdormivit in Domino. — Die 12 Novembris, *Hesyehius Viennensis Episcopus,* post S. Mamertum Episcopum Viennensem e senatoria dignitate ad episcopalem evectus, ex duobus Aliis unum Apollinarem Valentiae Antistitem, alterum Avitum Viennae Episcopum sibique successorem habuit. — Die 17 Novembris, *N amatius Viennensis Episcopus,* postquam civilia munera recte gessisset, Sedem Episcopalem tenuit atque decoravit usque ad extremum vitae diem 17 Novembris an. 559. — Die 5 Decembris, *Aper presbyter,* apud Senonas natus, atque sacerdotio auctus sua et suos ipsamque patriam relinquens, Gratianopolim devenit, ubi prope Isaram, cellula sibi extructa, solitariam ac poenitentem vitam egit, de qua migravit saeculo VII die 4 Decembris. — Quum itaque omnia Acta ad rem pertinentia rite essent exhibita atque distributa, instante praelaudato Rmo Dno Episcopo Gratianopoiitano una cum Capitulo suae Cathedralis Ecclesiae per R. D. Alexandrum Grospellier Causae Postulatorem, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit; nimirum: *«An constet de cultu seu de casu exeepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, praedictorum Servorum Dei Theobaldi Viennensis Archiepiscopi, aliorumque sexdecim Sanctorum nun-*

eupatorum? ». Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore rescribere rati sunt: *Affirmative* seu *constare.* Die 1 Decembris 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 9, eisdem mense et anno.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. % S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret*

URBIS ET ORBIS

Decretum quoad applicationem *Motus Proprii* **diei 22 Novembris 1903 sub forma** *Instructionis de musica sacra.*

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X *Motu proprio* diei 22 Novembris 1903 (1) sub forma *Instructionis de musica sacra* venerabilem Cantum Gregorianum iuxta codicum fidem ad pristinum Ecclesiarum usum feliciter restituit, simulque praecipuas praescriptiones, ad sacrorum concentuum sanctitatem et dignitatem in templis vel promovendam vel restituendam, in unum corpus collegit, cui tamquam *Codici juridieo musicae sacrae* ex plenitudine Apostolicae Suae Potestatis vim legis pro universa Ecclesia habere voluit. Quare idem Sanctissimus Dominus Noster per hanc Sacrorum Rituum Congregationem mandat et praecipit, ut *Instructio* praedicta ab omnibus accipiatur Ecclesiis sanctissimeque servetur, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis, ut sunt privilegia et exemptiones ab Apostolica Sede maioribus Urbis Basilicis, praesertim vero Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensi concessa. Revocatis pariter sive privilegiis sive commendationibus, quibus aliae quaecumque cantus liturgici recentiores formae pro rerum ac temporum circumstantiis

(i) Cuius textus italicus ac versio latina respective prostat in hoc ipso volumine pag. 329 et 387.

ab Apostolica Sede et ab hac Sacra Congregatione inducebantur, eadem Sanctitas Sua benigne concedere dignata est, ut praedictae cantus liturgici recentiores formae, in iis Ecclesiis ubi iam invectae sunt, licite retineri et cantari queant, donec quamprimum fieri poterit venerabilis cantus Gregorianus iuxta codicum fidem in eorum locum sufficiatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

De hisce omnibus Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X huic Sacrorum Rituum Congregationi praesens Decretum expediri iussit. Die 8 Ianuarii 1904.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. © S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

PARENTIN. ET POLEN.

Quibus in diebus solemnibus funera defunctorum persolvi nequeunt.

Rmus Dnus Ioannes Baptista Flapp, Episcopus Parentin, et Polen., a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expetivit, nimirum :

Decreto S. R. C. N. 3570 ***Corduben.*** **d. d. 27 Ianuarii 1883 ad I. statutum est: « exequias pro defuncto, cum effertur corpus, non posse expleri in Ecclesiis diebus solemnioribus primae classis, et huiusmodi funera transferenda esse ad sequentem diem, aut saltem ad horas postmeridianas post diei festi Vesperas et sacris functionibus non impèditas, abstinendo tamen ab emortuali aeris campani sonitu ». Et subsequenti Decreto pariter S. R. C. N. 3946 in una** ***Illerden.,*** **d. d. 15 Ianuarii 1897 declaratum est non posse tolerari consuetudinem vigentem pulsandi campanas pro funeribus defunctorum, quando locum habent in festis sollemnioribus et servanda decreta praesertim illud in una** ***Corduben.,*** **diei 27 Ianuarii 1883 ad primum. Hinc quaeritur :**

I. Quae dies nominatim per annum, incipiendo a primis Vesperis festi et usque ad totum insequentem diem, in supradicto decreto ***Corduben.*** **comprehendi censeantur?**

II. Utrum aliqua exceptio, pro rerum adiunctis, ab hac regula dari possit, iis praesertim in casibus, ubi necessitas mo-

ralis funera ecclesiastica cum aliqua solemnitate peragendi se proderet, et ad quae ista exceptio semel extendat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. « Omnia festa quae iuxta I. Catalogi Festorum a S. R. C. die 22 Augusti 1893 cum Decreto Generali N. 3810 publicati (1), uti festa primaria sub ritu duplici primae classis et quidem de praecepto celebrantur : et si non sint de praecepto, illae Dominicae ad quas praefatorum festorum solemnitas transfertur ».

Ad II. « Negative et Rmus Episcopus pro sua prudentia provideat, ut praescripta Ritualis Romani et Decreta S. R. C. observentur ».

Atque ita rescripsit, die 8 Ianuarii 1904.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. « S.

f D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

COMPOSTELLANA.

Decretum in una *Pisana* diei 20 Martii, 1903 circa instrumentorum sonitum in maiori hebdomada, tamquam generale habendum est.

Quum ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis in una *Pisana* diei 20 Martii anni nuper elapsi 1903 (2), tolerari non possit ut cantus lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* in Feriis IV., V. et VI. Maioris Hebdomadae fiat simul cum instrumento « Harmonium » et aliis instrumentis sine strepitu, «a corda, violini, viole, controbassi» nuncupatis, neque cum solo instrumento « Harmonium » Emus et Rmus Dnus Cardinalis Ioseph Maria Martin de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus ab eadem Sacra Congregatione sequentis dubii opportunam declarationem reverenter expostulavit, nimirum :

An praedictum Decretum habendum sit tamquam Decretum generale, seu Urbis et Orbis, ita ut ubique obliget, non obstante quacumque consuetudine in contrarium etiam immemoriali?

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXVI, pag. 179.

(2) Quod relatum invenies Voi. XXXV pag. 625.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

«Affirmative, quum Decretum Rubricas respiciat universam Ecclesiam spectantes, et in casu provisum etiam *Motu proprio* SSmi Dñi Pii Papae X super Musica Sacra d. d. 22 Novembris 1903 (1) et subsequenti Decreto S. R. C. *Urbis et Orbis,* hac die 8 Ianuarii 1904 (2) ».

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. & S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

AURELIANEN.

Decretum Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servae Dei ioannae D'Arc, Virginis vulgo dictae puellae Aurelianen.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum ei in proximum, ac de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur Ì

Dei Sapientiae, quae ludit in orbe terrarum, placuit saeculo XV excitare virili pectore virginem, quae Deboris, Iaelis, Iudith aemulata virtutem, verius ac proprius praeconium sibi vindicaret rarae mulieris, quale in sacris Litteris legitur : « *aecinxit Fortitudine lumbos suos, roboravit brachium suum: — manum suam misit ad Fortia».* Decuit autem eo prodigio donari gentem et nominis amplitudine et rei militaris gloria nobilissimam, ut, quemadmodum haec olim salutem ac dignitatem suam acceptam referre debuit Aurelianensi Puellae, sic in praesenti tempestate turbolentissima, dona pacis ac iustitiae ab eadem sperare discat, cui hodie faustissimis auspiciis, heroicarum virtutum gloriam Ecclesia decernit.

Ven. Dei Serva Ioanna D'Are, in pago *Domremy* prope Valliscolorem, ad Campaniae et Lotharingiae fines, VIII Id. la-

it) Cfr. *Acta S. Sedis* huius voluminis pag 529 et 587.

(2) Cfr. *Item* pag. 426.

nuar. anno MCCCGXII edita est piissimis parentibus atque in humili fortuna constitutis. Adolescentula domesticis curis intenta, saepe etiam paterno custodiendo gregi, delituit in Deo, vacans orationi plurimum in sui oppidi templo. Singulari quoque in proximos caritate flagrans invisebat aegrotos, afflictos relevabat, aliorum necessitatibus tanta liberalitate occurrebat, ut aliquando suo se lecto privaret, ne fessis itinere quietis copia deesset. Hoc umbratilis vitae genus retinuit usque ad annum aetatis suae XVIII.

Erant eo tempore Galliae res inclinatae maxime, ob exturbatum avito regno Carolum VII eundemque coactum ad sui principatus australes partes confugere. Ubi, pressus ab Anglis, Britannis, Burguntionibus, imminutis eius exiguis copiis, locisque munitis huc illuc expugnatis, vix regium retinebat nomen. Iamque Aurelianorum ad moenia totius impetus belli constiterat, eamque urbem Angli sperabant ianuam fore, qua effracta et revulsa, tota sibi ad victoriam Gallia pateret.

Extrema in hac fortuna belli, cum iam vel acérrimos duces animus consiliumque deficeret, constitit reipublicae salus in foemina. Huic, ante annos quatuor, obiecta per quietem fuerat Michaelis Archangeli species cum caelestium aligerum ingenti multitudine, voxque audita principis aethereae militiae praecipientis ut Aurelianam ad urbem properaret duceretque Carolum, regem Rhemis consecrandum. Obstupuit primo puella; sed iteratis diu visis ac vocibus, adiectisque deinde caelesti Duci sanctis virginibus Catharina et Margarita, divinis monitis audientem se praebuit, suamque Deo virginitatem, quasi obedientiae pignus, devovit. Ac multum quidem eam exercuit arcani celandi prudentia; multum postea, res comperta parentibus. Quibus omnibus tandem aliquando superatis, ab avúnculo, sic ipsa flagitante, Valliscolorem, ad Robertum de Baudricourt praefectum deducta est. Hic primum risu excepit puellae consilia; inde secum reputare, mox diem ex die ducere; ad ultimum, omni abrupta mora, armis indutam cum equis et militum comitatu iussit coram rege se sistere. Quem cum Venerabilis Ioanna convenisset eique ad aurem secreta quaedam revelasset, praeter ipsum nota nemini, facta illi potestate, cum exercitu Aurelias profecta est.

Urbem ingressa, atque impetu terribili hostes insecuta, obsidionis opera singula deiecit, perruptisque munitionibus, vexil-

ìum sustulit suum. Pari prodigio aliis oppidis überaus, nutantem Carolum impulit ut regia consecratione Rhemis inungeretur.

His, quae Deus illi mandaverat, iuncta plus quam viriliter, iustitiae humanae indignam mercedem haud minori virtute constantiaque tulit. Capta enim in emptione quadam a Burgundionibus, iniqua proditione venumdata est Anglis animum expleturis nece virginis crudelissima. Rothomagum delata raptaque in ius, nullius fuit criminationis expers, excepta morum castitate. Acta tandem per corruptissimos iudices causa, innocens virgo damnata est poena combustionis, quam fortiter subiit die XXX mensis Maii anno MCCCCXXXI, oculis in Christi Crucem defixis, effusis precibus fervidissimis et implorata venia pro suae mortis auctoribus coram populo confertissimo.

Anno ab eius interitu quarto et vicesimo, auctore Callisto III P. M., qui Rhemensi episcopo aliisque negotium dedit totius Causae denuo cognoscendae, res antea iudicata, rescissa est, et redintegrata fama Ven. Dei Servae, cuius de innocentia vix erat apud quemquam dubitatio. In dies autem crescente rumore sanctitatis ac prodigiorum, quibus Deus visus est illustrare velle demortuam, a viris ex omni gente, praesertim gallica, praeclarissimis, admotae sunt preces Apostolicae Sedi, ut, quemadmodum olim a Christi Vicario vindicata puellae fuisset integritas, ita ab ipso sententia prodiret, qua caelitus honores eidem adsererentur. Itaque multis collectis testimoniis ex Aurelianensi, Virdunensi ac S. Deodati dioecesibus, iisque ad SS. Rituum Congregationem delatis, introductionem Causae signandam esse declaratum est a Sanctissimo Domino Nostro Leone PP. XIII fel. rec. die 27 mensis Ianuarii an. MDCCCXCIV (1). Secuti sunt Apostolici processus; quorum validitate comprobata, de virtutum gradu heroico Ven. Servae Dei disceptatum est apud SS. Rituum Congregationem, primum in antepraeparatorio Conventu in aedibus bo. me. Rmi Cardinalis Lucidi Mariae Parocchi decimo sexto calendas Ianuarii anno MDCCCCI; secundo in praeparatoriis Comitiis ad Vaticanum, decimo sexto calendas Apriles anno mox praeterito; denique ibidem in coetu universo coram Sanctissimo D. N. Pio PP. X. habito decimo quinto calendas Décembres eiusdem anni. Ubi, cum a Rmo Cardinali

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXVI, pag. 500.

Dominico Ferrata, Causae Relatore, dubium fuisset propositum : *« An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et in proximum, ac de cardinalibus Prudentia, Iustitia Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servae Dei Ioannae D'Are in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* ». Rmi Cardinales SS. Ritibus praepositi et Patres Consultores, singuli suam protulere sententiam. Quibus suffragiis perpensis, Sanctissimus Dominus Pius Pp. X a supremo edendo iudicio in praesens abstinuit, adstantes hortatus ut in re tam gravi divinum lumen expostularent.

Hodierno vero die Deo Servatori sacro Se gentibus manifestanti per stellam, qui dies idem natalis fuit Ven. Servae Dei Ioannae, futurae olim quasi flammae coruscantis et in terrestri et in caelesti Hierusalem, idem SSmus Dominus, Sacro religiosissime peracto, nobiliorem hanc Vaticanam aulam ingressus et pontificio solio assidens, Rmos Cardinales accersivit Seraphinum Cretoni S. R. Congregationi Praefectum et Dominicum Ferrata Causae Relatorem ; item R. P. D. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque praesentibus solemniter edixit: *«ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et in proximum ac de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servae Dei Ioannae D''Arc in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ut procedi possit ad ulteriora, hoc est ad quatuor miraculorum discussionem ».*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta SS. Rituum Congregationis referri iussit VIII Idus Ianuarias, an. MDCCCCIV.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

t D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

DIARIUM

Feria III, die 22 mensis Decembris Î903, in Aedibus Emi et Revmi Dñi Card. Dominici Ferrata, Ponentis, habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum antepraeparatoria in Causa:

Lycien. - Canonizationis Beati Pompilii Mariae Pirrotti a Sancto Nicolao Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum

Piarum. - ***Super Dubio:*** **« An et de quibus Miraculis constet, post indultam eidem Beato venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur ».**

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt Revmi Patres Consultores Theologi, et Illmi ae Rmi Domini Consultores Praelati, necnon Emi ac Revmi Dui Cardinales S. R. C. Praepositi.

Feria III, die 12 mensis Ianuarii anno 1904, in Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacrorum Rituum Congregatio nova praeparatoria in Causa:

Romana seu Parisien. **- Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat, fundatricis Societatis Sororum a S. Corde Iesu. -** ***Super Dubio:*** **« An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ».**

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt Rmi Patres Consxdtores Theologi, ac Illmi et Revmi Domini Consultores Praelati, necnon Emi et Revmi Dñi Cardinales S. R. C. Praepositi.

Feria III, die 26 mensis Ianuarii anno 1904, in Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum Generalis coram Sanctissimo, in Causis:

Bellieien. **- Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae Vianney, Parochi Vici Ars. -** ***Super Dubio :*** **« An et de quibus Miraculis constet in casu, et ad effectum de quo agitur ».**

Strigonien, seu Cassovien. **- Beatificationis seu Declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei Marci Crismi, Canonici Strigonien., Stephani Pongraczii et Melchioris Grodeczii, Sacerdotum e Societate iesu, Cassoviae in odium fidei ab haereticis interfectorum. -** ***Super Dubio:*** **« An stante approbatione Martyrii eiusque causae, itemque Signorum seu miraculorum Martyrium ipsum illustrandum** ***tuto*** **procedi**

possit ad eorundem Venerabilium Servorum Dei Beatificationem ».

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt super duobus Dubiis Revmi Patres Consultores Theologi, Ilhfii et Rrfii Dñi Consultores Praelati, necnon Emi ac Revmi Dñi Cardinales S. R. E. Praepositi.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

SORRENTINA

Tertiarii Saeculares nulla gaudent communicatione Indulgentiarum cum respectivis Ordinibus, atque nova Indulgentiarum Summaria pro approbatione exhibenda sunt.

De communicatione Indulgentiarum et gratiarum inter Tertiarios Saeculares diversorum Ordinum S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita mentem suam iam satis aperuit. Dubio enim proposito « Utrum, demptis Tertiariis Saecularibus S. Francisci et Servorum B. Mariae Virginis, quibus per Constitutionem *Misericors Dei Filius* et Rescriptum diei 15 Decembris 1883 respective provisum est, Tertiarii Saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione Indulgentiarum sive cum respectivo Ordine ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus? » haec S. Congregatio die 31 Ianuarii 1893 respondit: « Negative, nisi constet de speciali indulto ».

Nihilominus haud molto post ad eandem S. Congregationem denuo sequens dubium fuit relatum:

« Utrum detur inter Tertiarios diversorum Ordinum reciproca communicatio Indulgentiarum et gratiarum Ordinum, ad quos Tertiarii ipsi pertinent? »

Et Eminentissimi Patres in Generalibus Comitiis apud Vaticanas Aedes habitis die 15 Iulii 1902 responderunt :

« In decisis in Generali Congregatione diei 31 Ianuarii 1893 ad dubium XVI; et supplicandum SSmo, ut singulis Tertiis Ordinibus, sublata qualibet, etiam speciali indulto concessa, Indulgentiarum communicatione, providere dignetur per concessionem ad instar illius, quae facta est favore Tertii Ordinis

S. Francisci per Breve *Quia multa* diei 7 Septembris 1901 ; et ad mentem. Mens autem est, ut Rmi Patres Generales Ordinum Religiosorum, qui Tertium Ordinem habent, huic S. Congregationi exhibeant novum Summarium illarum Indulgentiarum, quas pro suis Tertiis Ordinibus obtinere cupiunt ».

De quibus omnibus facta relatione SSmo Dno Nostro Leoni PP. XIII. ab infrascripto Cardinali Praefecto in audientia habita die 18 Iulii 1902, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum confirmavit, easque executioni mandari iussit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 18 Iulii 1902.

S. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. & S.

Pro R. P. D. FRANCISCO, Archiep. Amiden., *Secret.*

Iosephus M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

URBIS ET ORBIS

Indulgentia 50 dierum adnectitur iaculatoriae *« Deus sit benedictus ».*

Solent pii Christifideles, dum blasphemias in Deum, vel Deiparam Virginem aliosve Sanctos proferre audiunt, ut aliquo modo tantam impietatem réparent, Sancto Dei Nomini benedicere hac iaculatoria prece : « *Deus sit benedictus !* » *(Dio sia benedetto!).* Quae piissima praxis ut magis magisque propagetur, SSmo Dno Nostro Pio PP. X. preces porrectae sunt, ut fidelibus praedictam orationem iaculatoriam pronuntiantibus aliquam Indulgentiam elargiri dignaretur.

Et Sanctitas Sua, in audientia habita die 28 Novembris 1903 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, preces benigne excipiens, Indulgentiam quinquaginta dierum concessit, defunctis quoque applicabilem, toties a Christifidelibus lucrandam, quoties iidem, blasphemias audientes, corde saltem contrito ac devote eandem iaculatoriam precem pronuntiaverint. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 28 Novembris 1903.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

✝ F. SOGARO, Archiep. Amiden., *Secret.*

Indulgentiae conceduntur recitantibus Antiphonam cum versiculis et Oratione in honorem S. Stephani Protomartyris.

Beatissimo Padre,

Nicola Camilli, Arcivescovo titolare di Tomi, umilmente prostrato al bacio del S. Piede, implora dalla S. V. qualche indulgenza per tutti coloro, che reciteranno la seguente Antifona coi Versetti e l'Orazione in onore di S. Stefano Protormartire (1):

Antiphona

Elegerunt Apostoli Stephanum Levitam plenum fide et Spiritu Sancto, quem lapidaverunt Iudaei orantem et dicentem : *Domine Iesu, accipe spiritum meum, et non statuas illis hoc peccatum.*

y. Meritis et precibus Beati Stephani

R. Propitius esto, Domine, populo tuo.

Oratio

Omnipotens, sempiterne Deus, qui primitias Martyrum in beati Levitae Stephani sanguine dedicasti: tribue, quaesumus, ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exoravit Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui vivit et regnat in saecula saeculorum.

R. Amen.

Ex Audientia SSmi diei 3 Ianuarii 1904.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X. omnibus ex utroque sexu Christifidelibus praefatam Antiphonam cum versiculis et Oratione, corde saltem contrito ac devote recitantibus, indulgentiam tercentum dierum, semel in die acquirendam, benigne concessit ; iis vero Christifidelibus, qui eandem Antiphonam cum versiculis et Oratione quotidie per annum recitaverint, clementer elargitus est plenariam indulgentiam die 3 Augusti et 26 Decembris lucrandam, dummodo dictis diebus iidem Christifideles vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique pias ad Deum preces iuxta mentem Sanctitatis Suae fuderint : quas indulgentias defunctis quoque applicabiles eadem Sanctitas Sua fore de-

(1) *(Versio).* Nicolaus Camilli, Archiepiscopus titularis Tomitanus, ad osculum S. Pedis humiliter provolutus, a S. V. aliquam petit indulgentiam pro omnibus recitantibus sequentem Antiphonam cum versiculis et Oratione in honorem S. Stephani Protomartyris.

claravit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 23 Ianuari 1904.

A. CARD. TRIPEPI, ***Praefectus.***

L. © S.

•j F. SOGARO, Archiep. Amid., ***Secret.***

EX S. G. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

ORDINIS S. BENEDICTI

PRIVILEGIA conceduntur Missionariis Benedictinis in Hollandia et Germania.

Beatissimo Padre,

Don Gottardo Heigl, Benedettino della Congr. Cassinese della primitiva osservanza, Abbate visitatore della Provincia del Belgio, prostrato al bacio del S. Piede, implora dalla Santità Vostra, che voglia estendere ai Religiosi Benedettini che danno le Ss. Missioni in Olanda e Germania gli stessi privilegii accordati con Rescritto del 17 febbraio 1903 ai Benedettini Missionarii nel Belgio. Che, ecc. (1).

Eœ Audientia SSmi, die 24 Novembris 1903.

SSiîius Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X, referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, benigne annuit pro gratia iuxta preces in forma et terminis dictae concessionis per Re-

il) *(Versio).* Rev. P. Gottardus Heigl, Benedictinum e Congregatione Cassinensi antiquae observantiae, Abbas Visitator Provinciae Belgicae, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, implorat extensionem privilegiorum, quae Rescripto 17 februarii 1903 Missionariis Ordinis S. Benedicti concessa fuerunt, pro Religiosis eiusdem ordinis Missionariis in Hollandia et Germania. Et Deus etc.

scriptum diei 17 februarii 1903 *). Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die, mense et anno praedictis.

L. © S. f PETRUS, Archiep. Caesarem, *Secretarius.*.

**) En* RESCRIPTUM *superius eitatum*

Ex Audientia SSmi, die 17 Feb. 1903.

SSmus Dominus Noster Leo divina Providentia Pp. XIII, referente infrascripto S. Congr. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, oratoris precibus benigne annuens sequentes spirituales gratias concedere dignatus est:

1. Indulgentiam plenariam ab omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus lucrandam, qui sacris Missionibus, quas praedicti Religiosi O. S. B. in Belgii Dioecesibus peragent, interfuerint, et saltem dimidiam partem sacrarum concionum audierint; dummodo vere poenitentes, sacramentaliter confessi et sacra Communione refecti aliquam ecclesiam visitaverint, ibique iuxta mentem Sanctitatis Suae devotas preces Deo effuderint: quam quidem plenariam indulgentiam idem SSmus Dominus etiam ipsis religiosis Missiones habentibus benigne est impertitus.

2. Facultatem iisdem religiosis impertiendi in fine Missionum benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria pro fidelibus qui benedictioni adstiterint, Sacris Missionibus saltem quinquies interfuerint, et Sacramentum Confessionis et Communionis, ut supra, receperint et Deum iuxta mentem SSmi Patris oraverint: adhibita pro benedictione Crucifixi imagine, servatisque praescriptionibus Const Bened. XIV, quae incipit « *Exemplis Praedecessorum* ».

3. Erigendi et benedicendi de consensu Ordinariorum in fine Missionum Cruces ferreas vel ligneas, eisdemque applicandi: *a)* Indulgentiam tercentorum dierum pro omnibus fidelibus qui earum erectioni devote interfuerint; *b)* Indulgentiam quinque annorum, totidemque quadragenarum semel in die pro omnibus qui corde saltem contrito coram praedictis Crucibus ter *Pater, Ave* et *Gloria Patri* recitaverint in memoriam trium horarum Agoniae D. N. I. C. et unum iuxta mentem S. S.; *c)* Indulgentiam septem annorum septemque quadragenarum

recitantibus, ut supra, coram Crucibus, septem *Ave Maria* in honorem septem Dolorum B. M. V.

4. Plenariam indulgentiam, adimpletis conditionibus ab Ecclesia praescriptis, pro omnibus fidelibus in die anniversaria erectionis Crucis Missionis, aut, si hic dies est ferialis, Dominica sequenti, nec non in festo Inventionis et Exaltationis Sanctae Crucis, aut Dominica sequenti, ut supra.

Huiusmodi vero indulgentias applicabiles animabus Purgatorii eadem Sanctitas Sua misericorditer in Domino est impeditus.

Denique SSmus Dominus potestatem fecit iisdem religiosis commutandi in confessione Sacramentali sacram communionem in aliud pium opus pro pueris qui nondum ad illam sunt admissi, et concionibus adsistentiam pro infirmis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis die mense et anno praedictis.

L. © S. i PETRUS, Archiep. Caesarem, *Secretarius.*

EX 3. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Dubium circa rescriptum obreptitium pro dispensatione matrimoniali.

Eminentissime Princeps,

Titius adhuc in fiorenti aetate constitutus, uxorem suam *Caium* amisit, quae mortua est viro relinquens puellulam. Defuncta *Caia, Titius* sororem huius *Semproniam* adamare coepit, et cum ea matrimonium inire cupiens, dispensationem, ut par erat, obtinuit, componenda satis magna prius soluta. Res bene processisse videtur; sed nunc *Titeas,* remordente conscientia, dubitat de validitate dispensationis; nam tamquam unicum motivum tum dispensationis obtinendae, tum ad consensum Semproniam inclinandi, allegavit promissionem factam, aiebat, *Caiae* morienti ducendi Semproniam. Porro de hoc nec verbum fecerat Caia. — Titius vero, propter verecundiam non ausus rem Confessori suo aperire, negotiorum praetextu satis longum arripuit iter, occasione cuius ad ecclesiam quamdam advenit, et ibi animi anxietates aperit, postulans a confessario solutionem. Iste autem se casui illico solvendo imparem profitens, poenitentem non reversurum de circumstantiis matrimonii diligenter interrogatum dimittit, illi per epistolas, caute tamen,

uno vel altero verbo, ne mulier qui negotio exigente in absentia viri litteras aperit, aliquid praeteritae fraudis suspicari possit, solutionem significaturus.

Confessarius ergo apud se omnia recogitans, ex una parte attendit plures, ut videtur, in casu dispensationis causas adfuisse, quas licet vir non allegaverit, bene tamen, quin res resciri possit, sacerdos ad inquisitionem dispensationis praeviam delegatus manifestare potuit : e. g. necessitas providendi prolis educationi, periculum incontinentiae, aetas superadulta mulieris, et, ut caetera omittam , componendae solutae valor haud spernendus, attenta utriusque contrahentis conditione ; posito praesertim quod facillime in disciplina hodierna eiusmodi dispensationes concedantur, ita ut, praecipue refrigescente fide ne damna graviora fere semper timenda eveniant, ipsa dispensationis petitio unicum aliquando videatur ipsius concessionis motivum. — Recolit insuper motivum a viro allegatum in se sufficiens non apparere, si causa gravis requireretur ad huiusmodi dispensationem, nec proinde Supremum Tribunal principaliter movisse ad illam concedendam : hinc, etiamsi illud non verificaretur, alia motiva principalia subsistere. — His omnibus perpensis confessarius staret pro valore dispensationis.

Ex alia parte nihilominus, certum est unicum a viro allegatum fuisse motivum, promissionem scilicet Caiae iamiam moriturae factam, idque falsum esse et fraudulenter allegatum, ac fortasse etiam in supplici libello a delegato transmisso unice memoratum. — Insuper ex c. *Super litteris, De Rescriptis,* in dolosae obreptionis poenam rescripti nullitas decernitur.

His omnibus positis Confessarius ambigens, nec valens decisivum dare poenitenti responsnm, a Sacro Tribunali petit:

I. Utrum respondere possit Titio ut acquiescat?

Et quatenus *Negative,*

II. Quam enixissime rogat, ut, attenta difficultate maxima Titium revocandi, et illius renitentia alium adeundi confessorem, ac *Semproniae* nullitatem matrimonii iam contracti manifestandi, dicto *Titio* concedatur sanatio in radice absque onere renovandi consensum ante confessarium ac certiorandi alteram partem.

Et Deus.

Sacra Poenitentiaria circa praemissa describit : Iuxta exposita orator, de quo in precibus, quoad dubium de valore dispensationis , nec non matrimonii sui cum Sempronia, acquiescat omnino.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 24.... 1903.

V. LUCHETTI, *S. P. Canonista.*

A. Can. MARTINI, *S. P. Secret.*

APPENDIX I.

—*—

COMMENTARIUM

In S. R. C. Decretum « *Urbis et Orbis* » die 14 Augusti 1903, de Missa votiva solemni Immaculatae Conceptionis (1).

Summus Pontifex Pius X, ut Christifideles quinquagenariis solemniis dogmaticae definitionis Immaculatae B. M. V. Conceptionis rite ac devote celebrandis praeparentur, per Decretum S. R. C. die 14 Augusti 1903 (2) privilegium Missae votivae de Immaculata, necnon per Apostolicas Litteras in forma Brevis die 7 Decembris 1903 (3) peculiares indulgentias sive assistentibus piae functioni in honorem B. M. V. Immaculatae quolibet mense peragendae sive etiam ad Urbem Romam peregrinantibus, durante integro anno 1904, benigniter concedere dignatus est. Animadversiones nostrae, coeteris omissis, se referunt tantummodo ad privilegium Missae votivae de Immaculata, tum in Lectorum commodum tum quia nonnulla, quae hac de re sive dicta sive scripta sunt, minus recta minusve ipsius S. R. C. Decreti tenori conformia nobis videntur. Lectores nostri huiusmodi Decretum « *Urbis et Orbis* », die 14 Augusti 1904, in hoc ipso relumine pag. 58 relatum, reassumere non dedignentur.

1. *Sanctissimus D. N. Pius PP. X....* (ita Decretum nostrum)... *indulsit ut, decurrente anno, a proximo die festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. computando, die octava cuiusque mensis, vel iustis de causis, Dominica, eam immediate sequente....*

Pontifex igitur concessit ut, durante anno 1904, in die VIII. cuiuscumque mensis, vel, aliqua rationabili causa intercedente, in Dominica immediate subsequente, celebretur Missa votiva de Immaculata (4).

Haec Missa est « *Gaudens gaudebo* », quae prostat sive inter Missas, quae uti votivae per annum in fine Missalis notan-

(1) In hoc nostro Commentario exarando prae oculis praesertim habuimus illud, quod Docl. Petrus Piacenza in Diario « *Ephemerides Liturgicae* » elucubrava.

(2) Quod relatum fuit in hoc Volumine pag. 58.

(3) Cfr. *Acta S. Sedis* huius voluminis pag. 315. - 347.

(4) Preces exhibitae fuerunt Sacrae Rituum Congregationi, ut hoc privilegium Missae votivae de Immaculata, pro decurrente a. 1904 tantummodo valiturum, ad alios futuros annos in perpetuum extenderetur; sed, usque nunc, quoad sciamus, ipsae exceptae non fuerunt.

tur, sive etiam in corpore Missalis sub ipso die festo Immaculatae Conceptionis.

Iusta causa transferendi hanc Missam votivam a die VIII mensis ad Dominicam proxime insequentem habetur e. g. quando fideles, operibus praesertim ruralibus intenti, die feriali ad ecclesiam accedere nequeunt.

2\. . . . *in Ecclesiis aut Oratoriis ubi, approbante loci Ordinario, quaedam exercitia pietatis fiant in honorem B. Mariae Virginis Immaculatae praeparatoria quinquagenariis solemniis enunciatae dogmaticae definitionis....*

Huiusmodi Missa votiva de Immaculata celebrari potest tum in ecclesiis tum in oratoriis sive publicis sive semipublicis sive etiam privatis, dummodo duae verificentur conditiones, ut adsit nempe approbatio Ordinarii loci, atque in iisdem ecclesiis aut oratoriis quaedam exercitia pietatis fiant in honorem Virginis Immaculatae.

Omnibus compertum est quid sub denominatione ecclesiae vel triplicis speciei Oratorii veniat, uti de caetero liquet praesertim ex Decreto S. R. C. *super oratoriis semipublicis* n. 4007, die 23 Ianuarii 1899 (1); proinde supervacaneum ducimus hac super re vel parum immorari. Animadversum tamen volumus cappellani principalem Seminariorum, Collegiorum, aliarumque Communitatum oratoriis semipublicis; e contra alias cappellas, si quae in dictis locis existant, oratoriis privatis accensendas esse.

Nomine Ordinarii, ad mentem Instructionis S. Officii diei 20 Februarii 1888 § 2 (2), in casu nostro veniunt «Episcopi, Administratores seu Vicarii Apostolici, Praelati seu Praefecti iurisdictionem in foro externo habentes, eorumque Vicarii in spiritualibus generales, et sede vacante, Vicarius Capitularis vel legitimus Administrator ».

Ipsis cura demandata est ecclesias et oratoria designandi ad huiusmodi pietatis exercitia peragenda in honorem Virginis Immaculatae, imo et ipsas pias preces praescribendi. In casu sufficere potest ut prius recitetur S. Rosarium, dicatur oratio ad Immaculatam Virginem « *Vergine Santissima* » vel « *Beatissima Virgo* » a Pio PP. X conscripta (3), una simul cum ver-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXXI, pag. 412.

(2) *Item,* Vol. XXI, pag. 694.

(3) *Item,* Vol. praesens pag. 66-68.

siculis v. *Immaculata conceptio tua, Dei Genitrix Virgo,* R. *Gaudium annuntiavit universo mundo* » et Oremus « *Deus qui per Immaculatam* » ; deinde recitentur vel decantentur Litaniae Lauretanae, ac tandem finiatur devota functio per Benedictionem SSmi Sacramenti, more solito, cum Ostensorio seu etiam cum Pixide.

Haec pia functio, nisi Ordinarius aliter statuat, censemus fieri posse tum mane tum sero, iuxta fidelium commodum et praxim communiter in similibus functionibus receptam. Pontifex enim nihil omnino de tempore huius peragendae functionis edixit, ac proinde hic locum habet adagium « legislator quod voluit expressit, quod noluit non expressit ». Et hoc adeo verum est quod, quum Summus Pontifex voluit ut talis functio de mane fieret, expresse statuit, uti videre est in Decreto S. R. G. n. 3712 « *Urbis et Orbis* » die 28 Iunii 1889 (1) pro Missa votiva SSmi Cordis Iesu.

Animadvertendum praeterea est huic piae functioni, non autem Missae votivae de Immaculata, adnexas esse indulgentias, quas Romanus Pontifex citatis Litteris Apostolicis diei 7 Septembris 1903 concessit : etenim hoc clare eruitur sive ex verbis ipsius concessionis pontificiae, sive ex eo quoque quod Missa votiva per se dicit ordinem ad privilegium. Attamen non desunt qui dicunt superdictam piam functionem tantum mane persolvendam esse, una simul cum Missae votivae celebratione.

3. . . . *unica Missa votiva, sive cum cantu sive lecta, de ipsius Sanctissimae Virginis Immaculatae Conceptione celebrari valeat....*

Missa votiva solemnis de Immaculata potest esse ad libitum sive cantata, sive etiam lecta, quin ex hoc suam solemnitatis notam amittat. In ecclesiis Cathedralibus ac Collegialibus, aliisque in ecclesiis seu oratoriis, quae ad divini Officii recitationem tenentur, Missa votiva de Immaculata, iuxta Rubricas Missalis Tit. XV, n. 5, cani vel legi debet post *Nonam;* pro aliis ecclesiis nulla temporis determinatio est praescripta.

Insuper haec Missa votiva solemnis debet esse *unica;* quod verificatur sive in duplicibus sive etiam in semiduplicibus. Verum in semiduplicibus, praeter Missam votivam solemnem de Immaculata, quae sola gaudet privilegiis Missae votivae pro re gravi, locum habere possunt et aliae Missae votivae privatae

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXI, pag. 694.

de eadem Immaculata iuxta Rubricas ordinandae. Ita dies VIII Iulii et Augusti a. 1904 incidunt in semiduplici.

Non omittendum praeterea est Missam votivam solemnem de Immaculata diebus festis celebrari non posse illis in ecclesiis tum conventualibus tum parochialibus, ubi una tantum Missa habetur, quia haec, iuxta Decretum n. 3887 diei 21 Februarii 1896 (1), tunc Officio occurrenti conformis esse debet (2). Sunt qui putant hanc conventualem vel parochialem Missam excludere commemorationem festi simplicis et Collectas, quum ipsa locum teneat solemnis Missae votivae de Immaculata tunc impeditae; nos e contra censemus omnino contrarium tenendum esse, quia Missa occurrentis diei neque ullam ex se praesefert solemnitatem, neque ipsam a Missa votiva, quae in hypothesi est impedita, accipere potest.

Qui tandem facultatem habet die festo duas litandi Missas, in eadem ecclesia conventuali seu parochiali primam de Officio occurrenti, alteram solemniter de Immaculata celebrare valet.

4. . . . *cum eisdem privilegiis, quae competunt Missae votivae solemni pro re gravi et publica Ecclesiae causa iuxta Decretum n. 3922* De Missis votivis, *30 Iunii 1896* § /7. (3), *quaeque concessa fuerunt Missae votivae de S. Corde Iesu pro prima feria sexta uniuscuiusque mensis ad normam Decreti n. 3712* Urbis et Orbis *28 Iunii 1889* (4) *et subsequentium declarationum: ita ut huiusmodi Missa dicatur eum* Gloria *et* Credo *et unica Oratione, et dummodo non occurrat festum duplex primae classis aut Dominica item primae classis, aliquod festum eiusdem B. Mariae Virginis, Feria, Vigilia aut Octava ex privilegiatis.*

Missa igitur votiva de Immaculata iisdem gaudet privilegiis, quae concessa fuerunt in genere Missis votivis solemnibus pro re gravi, atque in specie Missae votivae de SSmo Corde Iesu.

Sed quaenam sunt haec privilegia ? Imprimis Missa votiva solemnis pro re gravi, sive cantata sive lecta, semper dici debet

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXVIII. pag. 561.

(2) Nonnulli a Sacra Rituum Congregatione petierunt, ut in hisce quoque adiunctis concideretur indultum litandi Missam votivam de Immaculata loco Missae occurrentis diei, sed negativum responsum obtinuerunt.

(3) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXXV, pag. 741.

(4) Cfr. » » Vol. XXI, pag. 694.

cum *Gloria in excelsis. Credo* et unica oratione; sunt enim verba citati Decreti n. 3922 de Missis votivis § II. Idem repetendum est de Missa votiva Divini Cordis Iesu, quemadmodum patet implicite ex dicto Decreto *Urbis et Orbis* n. 3712, explicite vero ex declarationibus eidem subsequentibus; nempe Decretis n. 3731 in una *Montis Politiam* ad I., die 20 Maii 1890 (1), n. 3769 in una *Urgellen,* ad III., n. 3773 in una *Rhenen.* (2), et n. 3792 in una *Strigonen.* ad I. (3).

Ideoque etiam Missa votiva solemnis de Immaculata, sive ipsa cantata sive lecta sit, celebratur cum *Gloria, Credo* et unica oratione « ita ut (sunt verba nostri Decreti) huiusmodi Missa dicatur cum *Gloria* et *Credo* et unica oratione » de Immaculata, omissis omnibus Commemorationibus et Collectis: praefatio autem dicitur de B. Maria V. « Et te in Conceptione Immaculata ».

Praeterea iuxta citatum Decretum generale n.3922 de Missis votivis §. II. « Missa votiva solemnis pro re gravi celebrari potest qualibet die, exceptis Dominicis I. classis, ac Festis duplicibus pariter I. classis, Feria IV. Cinerum, Feriis Hebdomadae Maioris et Vigiliae Pentecostes et Nativitatis Domini ». Item, ad normam iam memorati Decreti n. 3712, Missa votiva de Sacro Corde Iesu semper dici valet « dummodo in illam diem non incidat aliquod festum Domini, aut duplex I. classis, vel Feria, Vigilia, *Octava ex privilegiatis* ». Proinde etiam Missa votiva solemnis de Immaculata in quolibet die celebrari valet « dummodo (sunt nostri Decreti verba) non occurrat Festum duplex primae classis, aut Dominica item primae classis, aliquod festum eiusdem B. Mariae Virginis, Feria, Vigilia, aut *Octava ex privilegiatis* ».

Omnes conveniunt hisce exceptis diebus Missam votivam de Immaculata omnino excludi a celebratione; quaestio versatur tantum circa Octavas privilegiatas, in quibus nos putamus, aliis contradicentibus, huiusmodi Missam esse impeditam. Et imprimis Missa votiva de Immaculata prohibetur in festo duplici I. classis; tamen durante a. 1904 ex calendario universali nim-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXII, pag. 738.
(2) Cfr. » » Vol. XXIV, pag. 739.
(3) Cfr. » » Vol. XXV, pag. 575.

quam dies VIII. alicuius mensis incidit in huiusmodi festis; quod nihilominus occurrere potest ex calendario particulari.

Missa votiva Immaculatae Virginis prohibetur quoque in Dominicis I. classis; quod anno 1904 accidit tantum pro iis, qui mense Aprili hanc Missam transferunt in Dominicam proxime sequentem, quae dicitur in *Albis* et quae est primae classis.

Item, ad mentem Decreti citati de *Missis votivis* n. 3922 statuentis « in festivitatibus et infra octavas eiusdem Beatae Virginis celebretur Missa festivitatis aut de die infra octavam, tamquam non votiva sed festiva », Missa votiva de Immaculata prohibetur si incidat in aliquod festum B. Mariae Virginis. Hoc durante anno 1904 verificatur die 8 Septembris, in qua incidit festum Nativitatis B. M. V., vel Dominica sequenti, in qua festum eiusdem SSmi Nominis occurrit.

Demum huiusmodi Missa votiva est impedita in feriis privilegiatis, quae, ex Decreto memorato n. 3922 *de Missis votivis*, sunt Feria IV. Cinerum et Feriae Maioris Hebdomadae; necnon in vigiliis privilegiatis, quae ex eodem Decreto sunt vigiliae Pentecostes et Nativitatis Domini. Attamen nulla dies VIII. mensis cuiusdam incidit in has ferias vel vigilias privilegiatas. Neque ex hoc alteri coniicere licet dictas exceptiones Missam votivam de Immaculata prohibentes veluti inconsulto consilio positas in nostro Decreto fuisse; Sacra enim Congregatio Rituum, in Decretis praesertim generalibus, respicit ius in genere, non autem in specie in singulis casibus.

Heic controversia agitatur, num Missa votiva de Immaculata sit permissa vel impedita in octavis privilegiatis; de octavis autem simplicibus non est nec esse potest quaestio, quum in ipsis Missa haec votiva permissa sit. Sunt qui tenent in octavis privilegiatis huiusmodi Missam celebrari posse, hac praesertim ducti ratione, quod nempe, citato Decreto de *Missis votivis* n. 3922, Missa votiva pro re gravi non excluditur in huiusmodi octavis. Nos vero contrariam tenemus sententiam, quam veram esse putamus, contendentes Missam votivam de Immaculata in octavis privilegiatis omnino excludendam esse. Libenter quidem concedimus adversariis nostris Missam votivam *in genere* pro re gravi permitti in praedictis octavis privilegiatis, quia in iam multoties memorato Decreto generali de Missis votivis n. 3922 nulla de hac re habetur exceptio, quinimo in fine -eiusdem Decreti aperte legitur « ita quidem ut infra quamcum-

que octavam etiam privilegiatam Praefatio dicatur Missae votivae propria». Hoc utique verum est de regula generali, sed quaevis regula suam patitur exceptionem. In casu autem nostro clara aperta que exceptio invenitur imprimis in Decreto citato *Urbis et Orbis* n. 3712, in quo *expresse* prohibetur Missa votiva de S. Corde Iesu *in octavis privilegiatis;* altera exceptio adest in nostro Decreto, quod Missam votivam de Immaculata in *octavis privilegiatis* explicite excludit. Alioquin dicendum foret Sacram RR. Congregationem vel sibi ipsi contradixisse, quod nemo sanae mentis dicere ausus est, vel saltem inconsulte hanc octavae privilegiatae exceptionem Decreto nostro apposuisse, quod nec praesumi debet. Concludere ergo nobis licet Missam votivam de Immaculata in octavis privilegiatis prohibitam esse.

Octavae privilegiatae ad hunc effectum sunt quatuor, nempe Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi. Durante a. 1904 tantummodo dies VIII. Ianuarii vel sequens Dominica occurrunt in octava privilegiata Epiphaniae, atque dies VIII. Aprilis incidit in octava privilegiata Paschatis; quibus in diebus Missa votiva de Immaculata est omittenda.

5. . . . .*in quibus solummodo Commemoratio fieri poterit per Orationem Missae votivae post Orationem Missae de die, sub unica conclusione.*

Supradictis diebus, in quibus Missa votiva de Immaculata est interdicta, Summus Pontifex indulsit ut in unica Missa, quae loco votivae solemnis impeditae celebratur, fiat Commemoratio Immaculatae sub eadem conclusione. Et hoc verificatur etiam quando in Missa de die aliae Commemorationes et etiam Collectae ab Ordinario imperatae fieri debent, e. g. diebus 8 vel 10 mensis tum Ianuarii tum Aprilis, in quibus Missa votiva de Immaculata ratione octavae privilegiatae est impedita. Idem dicendum est de ecclesiis parochialibus et conventualibus, ubi una tantum Missa Utatur. Diebus festis B. M. V., in quibus Missa votiva Immaculatae excluditur, nec eiusdem Commemoratio fieri potest, quia duae orationes eiusdem Sancti prohibentur.

6. *Insuper eadem Sanctitas Sua... hoc etiam liberaliter concessit., ut in praefatis ecclesiis aut oratoriis, praeter memoratam Missam votivam, qualibet die octava mensis vel Dominica proxime sequente indultam, ceteris Missis tunc addi possit*

Commemoratio Immaculatae Conceptionis B. M. V. ad instar festi duplicis simplifieati.

Modo nonnulla attingenda sunt, quae ad alias Missas privatas pertinent. Et inprimis notandum est privilegium Gommemora tionis de Immaculata in hisce Missis privatis persolvendae Summus Pontifex largitus est tantum iis ecclesiis seu oratoriis, in quibus supra memorata pietatis exercitia in honorem B.M.V. Immaculatae quolibet anni 1904 mense peraguntur. Quae Commemoratio indulgetur, non amplius sub unica conclusione, sed suo loco competenti, inter ipsas Orationes in Missa de die praescriptas, sicut fit de duplici simplificato. Proinde haec Immaculatae Commemoratio in Missis privatis non solum fieri debet quando Missa solemnis de Immaculata est permissa, sed etiam quando est impedita, ac ipsius Commemoratio fit in unica Missa votivae impeditae locum tenente.

Nihilominus censemus in Missis privatis addi non posse Commemorationem Immaculatae, quum die VIII. mensis vel Dominica sequente occurrat duplex I. classis, quia omnibus compertum est in duplicibus I. classis omitti debere commemorationem duplicis simplifieati. Nec valet adversariorum obiectio, contrarium asserentium, desumpta ex Decreto n. 3365, ubi edicitur quod Collecta ab Ordinario imperata, si revera est pro re gravi, locum habeat etiam in duplicibus primae classis sub unica conclusione; nam, ceteris omissis, Collectae sunt in diverso ordine ac Orationes, atque hic agitur de privilegio, quod strictam admittit interpretationem.

7. . . . *servatis tamen in omnibus Rubricis,* nempe Rubricae servari debent in iis omnibus, quae privilegio non comprehenduntur.

D. I. B.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE ENCYCLICAE

SS.mi D. N. Pii PP. X Iubilaeum extraordinarium orbi catholico indicentis, occasione quinquagesimi anniversarii a dogmatica definitione Immaculatae B. M. V. Conceptionis.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. X

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad diem illum laetissimum, brevi mensium intervallo, aetas nos referet, quo, ante decem quinquennia, Pius IX decessor Noster, sanctissimae memoriae pontifex, amplissima septus purpuratorum patrum atque antistitum sacrorum corona, magisterii inerrantis auctoritate, edixit ac promulgavit esse a Deo revelatum beatissimam virginem Mariam, in primo instanti suae conceptionis, ab omni originalis culpae labe fuisse immunem. Promulgationem illam quo animo per omnium terrarum orbem fideles, quibus iucunditatis publicae et gratulationis argumentis exceperint nemo est qui ignoret; ut plane, post hominum memoriam, nulla voluntatis significatio data sit tum in augustam Dei Matrem tum in Iesu Christi Vicarium, quae vel pateret latius, vel communiori concordia exhiberetur. — Iam quid spe bona nos prohibet, Venerabiles Fratres, dimidio quamvis saeculo interiecto, fore ut, renovata Immaculatae Virginis recordatione, laetitiae illius sanctae veluti imago vocis in animis nostris resultet, et fidei atque amoris in Dei Matrem augustam praeclara longinqui temporis spectacula iterentur? Equidem ut hoc aveamus ardenter pietas facit, quam Nos in Virginem beatissimam, summa cum beneficentiae eius gratia, per omne tempus fovimus: ut vero futurum certo expectemus facit catholicorum omnium studium, promptum illud semper ac paratissimum ad amoris atque honoris testimonia iterum iterumque

magnae Dei Matri adhibenda. Attamen id etiam non diffitebimur, desiderium hoc Nostrum inde vel maxime commoveri quod, arcano quodam instinctu, praecipere posse Nobis videmur, expectationes illas magnas brevi esse explendas, in quas et Pius decessor et universi sacrorum antistites, ex asserto solemniter immaculato Deiparae conceptu, non sane temere, fuerunt adducti.

Quas enimvero ad hunc diem non evasisse, haud pauci sunt qui querantur, ac Ieremiae verba subinde usurpent: *Eœpeetaoimus pace/ri,, et non erat bonum: tempus medelae, et ecce formido* (1). Ast quis eiusmodi *modieae fidei* non reprehendat, qui Dei opera vel introspicere vel expendere ex veritate negligunt? Ecquis enim occulta gratiarum munera numerando percenseat, quae Deus Ecclesiae, conciliatrice Virgine, hoc toto tempore impertiit? Quae si praeterire quis malit, quid de vaticana synodo existimandum tanta temporis opportunitate habita ; quid de inerranti pontificum magisterio tam apte ad mox erupturos errores adserto; quid demum de novo et inaudito pietatis aestu, quo ad Christi Vicarium, colendum coram, fideles ex omni genere omnique parte iam diu confluunt ? An non miranda Numinis providentia in uno alteroque Decessore Nostro, Pio videlicet ac Leone, qui, turbulentissima tempestate, eâ, quae nulli contigit, pontificatus usura, Ecclesiam sanctissime administrarunt? Ad haec, vix fere Pius Mariam ab origine labis nesciam fide catholica credendam indixerat, quum in oppido Lourdes mira ab ipsa Virgine ostenta fieri coepta : exinde molitione ingenti et opere magnifico Deiparae Immaculatae excitatae aedes; ad quas, quae quotidie, divina exorante Matre, patrantur prodigia, illustria sunt argumenta ad praesentium hominum incredibilitatem profligandam. — Tot igitur tantorumque beneficiorum testes, quae, Virgine benigne implorante, contulit Deus quinquagenis annis mox elabendis; quidni speremus *propiorem esse salutem nostram quam cum credidimus ?* eo vel magis, quod divinae Providentiae hoc esse experiendo novimus ut extrema maiorum a liberatione non admodum dissocientur. *Prope est ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, et eliget adhuc de Israel* (2); ut plane spes sit nos etiam brevi tempore inclama-

(1) Ier. VIII, 15.

(2) Isai. XIV, 1.

turos : ***Contrivit Dominus baculum impiorum. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exultavit*** **(1).**

Anniversarius tamen dies, quinquagesimus ab adserto intaminato Deiparae conceptu, cur singularem in christiano populo ardorem animi excitare debeat, ratio Nobis extat potissimum , Venerabiles Fratres, in eo, quod superioribus Litteris encyclicis proposuimus, ***instaurare*** **videlicet** ***omnia in Christo.*** **Nam cui exploratum non sit nullum, praeterquam per Mariam, •esse certius et expeditius iter ad universos cum Christo iungendos, perque illum perfectam filiorum adoptionem assequendam ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei ? Profecto, si vere Mariae dictum:** ***Beata, quae cr edidisti, quoniam perfieientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino*** **(2), ut nempe Dei Filium conciperet pareretque ; si idcirco illum excepit utero, qui Veritas natura est, ut** ***novo ordine, nova nativitate generatus.... invisibilis in suis, visibilis*** **fieret** ***in nostris*** **(3) : quum Dei Filius, factus homo,** ***auctor*** **sit** ***et consummator fidei nostrae ;*** **opus est omnino sanctissimam eius Matrem mysteriorum divinorum participem ac veluti custodem agnoscere, in qua, tamquam in fundamento post Christum nobilissimo, fidei saeculorum omnium extruitur aedificatio.**

Quid enim ? an non potuisset Deus restitutorem humani generis ac fidei conditorem alia, **quam per Virginem,** via **impertiri nobis? Quia tamen aeterni providentiae Numinis visum est ut Deum-Hominem per Mariam haberemus, quae illum, Spiritu Sancto foecunda, suo gesta vit utero ; nobis nil plane superest, nisi quod de Mariae manibus Christum recipiamus. Hinc porro in Scripturis sanctis, quotiescumque** ***de futura in nobis gratia prophetatur;*** **toties fere Servatur hominum cum sanctissima eius Matre coniungitur. Emittetur a gnus dominator terrae, sed de petra deserti: flos ascendet, attamen de radice lesse. Mariam utique, serpentis caput conterentem, prospiciebat Adam, obortasque maledicto lacrymas tenuit. Eam cogitavit** Noe, **arca sospita inclusus ; Abraham nati nece prohibitus ; Iacob scalam videns perque illam ascendentes et descendentes angelos; Moyses miratus rubum, qui ardebat et non comburebatur; David exsiliens et psallens dum adduceret aream Dei;**

(1) Isai. XIV, 5 ei 7.

(2) Luc. I, 45.

(3) S. Leo M. Serai. 2. *de Nativ. Domini,* c. 2.

Elias nubeculam intuitus ascendentem de mari. Quid multa t Finem legis, imaginum atque oraculorum veritatem in Maria denique post Christum reperimus.

Per Virginem autem, atque adeo per illam maxime, aditum fieri nobis ad Christi notitiam adipiscendam, nemo profecto dubitabit qui etiam reputet, unam eam fuisse ex omnibus, quacum Iesus, ut filium cum matre decet, domestico triginta annorum usu intimaque consuetudine coniunctus fuit. Ortus miranda mysteria, nec non Christi pueritiae, atque illud in primis assumptionis humanae naturae, quod fidei initium ac fundamentum est, cuinam latius patuere quam Matri ? Quae quidem non ea modo *eonservabat conferens in corde suo* quae Bethlehem acta, quaeve Hierosolymis in templo Domini; sed Christi consiliorum particeps occultarumque voluntatum, vitam ipsam Filii vixisse dicenda est. Nemo itaque penitus ut illa Christum novit ; nemo illa aptior dux et magister ad Christum noscendum.

Hinc porro, quod iam innuimus, nullus etiam hac Virgine efficacior ad homines cum Christo iungendos. Si enim, ex Christi sententia, *haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* (1); per Mariam vitalem Christi notitiam adipiscentes, per Mariam pariter vitam illam facilius assequimur, cuius fons et initium Christus.

Quot vero quantisque de caussis Mater sanctissima haec nobis praeclara munera largiri studeat, si paullisper spectemus; quanta profecto ad spem nostram accessio fiet!

An non Christi mater Maria ? nostra igitur et mater est. — Nam statuere hoc sibi quisque debet, Iesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generis servatorem esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum Ille, ut ceteri homines, corpus nactus est: qua vero nostri generis restitutor, *spiritale* quoddam corpus atque, ut aiunt, *mysticum,* quod societas eorum est, qui Christo credunt. *Multi unum corpus sumus in Christo* (2). Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator. Quamobrem Angelus pastoribus dixit : *Natus est vobis hodie*

(1) Ioann. XVII, 3.
(2) Rom. XII, 3.

Salvator, qui est Christus Dominus (1). In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit •et *spiritale* simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum •*qui credituri erant in eum.* Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius* (2), de Mariae utero egressi sumus, tamquam corporis instar cohaerentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, •et ipsa nostrum omnium mater est. *Mater quidem spiritu...., sed plane mater membrorum Christi, quod nos sumus* (3). Si igitur Virgo beatissima Dei simul atque hominum parens est, •ecquis dubitet ea omni ope adniti ut Christus, *caput corporis Ecclesiae* (4), in nos sua membra, quae eius sunt munera infundat, idque cumprimis ut eum noscamus et *ut vivamus per eum ?* (5)

Ad haec, Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod *nascituro ex humanis membris Unigenito Deo earnis suae materiam* ministravit (6), qua nimirum saluti hominum compararetur hostia ; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque, atque adeo, stato tempore, sistendae ad aram. Hinc Matris et Filii nunquam dissociata consuetudo vitae et laborum, ut aeque in utrumque caderent Prophetae verba : *Defeeit m dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* (7). Quum vero extremum Filii tempus advenit, *stabat iuxta crucem Iesu Mater eius,* non in immani tantum occupata spectaculo, sed plane gaudens quod *Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur, et tantum etiam compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustineret* (8). — Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, *prome-*

(1) Luc. u, ii.
(2) Ephes. V, 30.
(3) S. Aug., L. *de S. Virginitate,* c. 6.
(4) Coloss. I, 18.
(5) I. Ioann. IV, 9.
(6) S. Bed. Ven., L. IV, in Luc. XI.
(7) Ps. XXX, 11.
(8) S. Bonav. I. Sent. d. 48, ad Litt. dub. 4.

ruit **illa** ***ut reparatrice perditi orbis dignissime fieret*** **(1), atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit.**

Equidem non diffitemur horum erogationem munerum privato proprioque iure esse Christi; siquidem et illa eius unius morte nobis sunt parta, et Ipse pro potestate mediator Dei atque hominum est. Attamen, pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae datum est, ut sit *totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix et coneiliatrix* (2). Fons igitur Christus est, et *de plenitudine eius nos omnes accepimus* (3); *ex quo totum corpus compaetum, et connexum per omnem iuneturam subministrationis... augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate* (4). Maria vero, ut apte Bernardus notat, *aquaeductus* est (5); aut etiam collum, per quod corpus cum capite iungitur itemque caput in corpus vim et virtutem exerit. *Nam ipsa est collum Capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori eius mystico communicantur* (6). Patet itaque abesse profecto plurimum ut nos Deiparae supernaturalis gratiae efficiendae vim tribuamus, quae Dei unius est. Ea tamen, quoniam universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita in humanae salutis opus, *de congruo,* ut aiunt, promeret nobis quae Christus *de condigno* promeruit, estque princeps largiendarum gratiarum ministra. *Sedet* Ille *ad dexteram maiestatis in excelsis^)',* Maria vero adstat regina a dextris eius, *tutissimum cunctorum periclitantium perfugium et fidissima auxiliatrix, ut nihil sit timendum nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente* (8).

His positis, ut ad propositum redeamus, cui Nos non iure recteque affirmasse videbimur, Mariam, quae a Nazarethana domo ad *Calvariae locum* assiduam se Iesu comitem dedit,

(1) Eadmeri Mon. *De Excellentia Virg, Mariae,* c. 9.
(2) Pius IX in Bull. « *Ineffabilis* ».
(3) Ioann. I, 16.
(4) Ephes. IV, 16.
(5) Serai, de temp.., in Nativ. B. V., *de Aquaeductu,* n. 4.
(6) S. Bernardin. Sen., Quadrag. *de Evangelio aeterno,* Serai. X, a. 5, c. 3.
(7) Hebr. I, 3.
(8) Pius IX in Bull. « *Ineffabilis* ».

eiusque arcana cordis ut nemo alius novit, ac thesauros promeritorum eius materno veluti iure administrat, maximo certissimoque esse adiumento ad Christi notitiam atque amorem? Nimium scilicet haec comprobantur ex dolenda eorum ratione, qui, aut daemonis astu aut falsis opinionibus, adiutricem Virginem praeterire se posse autumant! Miseri atque infelices, praetexunt se Mariam negligere, honorem ut Christo habeant: ignorant tamen non *inveniri puerum nisi eum Maria matre eius.*

Quae cum ita sint, huc Nos, Venerabiles Fratres, spectare primum volumus, quae modo ubique apparantur sollemnia Mariae sanctae ab origine immaculatae. Nullus equidem honor Mariae optabilior, nullus iucundior quam ut noscamus rite et amemus Iesum. Sint igitur fidelium celebritates in templis, sint festi apparatus, sint laetitiae civitatum; quae res omnes non mediocres usus afferunt ad pietatem fovendam. Verumtamen nisi his voluntas animi accedat, formas habebimus, quae speciem tantum offerant relligionis. Has Virgo quum videat, iusta reprehensione Christi verbis in nos utetur: *Populus hic labiis me honorât: cor autem eorum longe est a me* (1).

Nam ea demum est germana adversus Deiparentem relligio, quae profluat animo ; nihilque actio corporis habet aestimationis in hac re atque utilitatis, si sit ab actione animi seiugata. Quae quidem actio eo unice pertineat necesse est, ut divini Mariae Filii mandatis penitus obtemperemus. Nam si amor verus is tantum est, qui valeat ad voluntates iungendas ; nostram plane atque Matris sanctissimae parem esse voluntatem oportet, scilicet Domino Christo servire. Quae enim Virgo prudentissima, ad Canae nuptias, ministris aiebat, eadem nobis loquitur: *Quodcumque dixerit nobis facite* (2). Verbum vero Christi est: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata (3).* — Quapropter hoc quisque persuasum habeat : si pietas, quam in Virginem beatissimam quis profitetur, non eum a peccando retinet, vel pravos emendandi mores consilium non indit; fucatam esse pietatem ac fallacem, utpote quae proprio nativoque careat fructu.

Quae si cui forte confirmatione egere videantur, hauriri ea commode potest ex ipso *dogmate* immaculati conceptus Deipa-

(1) Matth. XV, 8.

(2) Ioann. II, 5.

(3) Matth. XIX, 17.

rae. — Nam, ut catholicam *traditionem* praetermittamus, quae, aeque ac Scripturae sacrae, fons veritatis est; unde persuasio illa de immaculata Mariae Virginis conceptione visa est, quovis tempore, adeo cum christiano sensu congruere, ut fidelium animis insita atque innata haberi posset? *Horremus,* sic rei causam egregie explicavit Dionysius Carthusianus, *horremus enim mulierem, quae caput serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam, atque diaboli filiam fuisse matrem Domini fateri* (1). Nequibat scilicet in christianae plebis intelligentiam id cadere, quod Christi caro, sancta, impolluta atque innocens, in Virginis utero, de carne assumpta esset, cui, vel vestigio temporis, labes fuisset illata. Cur ita vero, nisi quod peccatum et Deus per infinitam oppositionem separantur? Hinc sane catholicae ubique gentes persuasum habuere, Dei Filium, antequam, natura hominum assumpta, *labaret nos a peccatis nostris in sanguine suo,* debuisse, in primo instanti suae conceptionis, singulari gratia ac privilegio, ab omni originalis culpae labe praeservare immunem Virginem Matrem. Quoniam igitur peccatum omne usque adeo horret Deus, ut futuram Filii sui Matrem non cuiusvis modo maculae voluerit expertem, quae voluntate suscipitur; sed, munere singularissimo, intuitu meritorum Christi, illius etiam, qua omnes Adae filii, mala veluti haereditate, notamur : ecquis ambigat, primum hoc cuique officium proponi, qui Mariam obsequio demereri aveat, ut vitiosas corruptasque consuetudines emendet, et quibus in vetitum nititur, domitas habeat cupiditates?

Quod si praeterea quis velit, velle autem nullus non debet, ut sua in Virginem relligio iusta sit omnique ex parte absoluta ; ulterius profecto opus est progredi, atque ad imitationem exempli eius omni ope contendere. — Divina lex est ut, qui aeternae beatitatis potiri cupiunt, formam patientiae et sanctitatis Christi, imitando, in se exprimant. *Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (2). At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur; providentis Dei numine, aliud nobis est exemplar propositum, quod, quum Christo sit proximum, quantum huma-

(1) 5. Sent. d. 5, q. 1.

(2) Rom. VIII, 29.

nae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra. Eiusmodi autem nullum est praeter Deiparam. *Talis enim fuit Maria,* ait ad rem sanctus Ambrosius, *ut eius unius vita omnium sit disciplina.* Ex quo recte ab eodem conficitur : *Sit igitur vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vita Mariae, de qua, velut speculo, refulget species castitatis et forma virtutis* (1).

Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimae nullam praeterire laudem quin imitentur; illas tamen Eiusdem virtutes ipsos fideles assequi prae ceteris desideramus, quae principes sunt ac veluti nervi atque artus christianae sapientiae : fidem inquimus, spem et caritatem in Deum atque homines. Quarum quidem virtutum fulgore etsi nulla, in Virgine, vitae pars caruit; maxime tamen eo tempore enituit, quum nato emorienti adstitit. — Agitur in crucem Iesus, eique in maledictis obiicitur *quia filium Dei se fecit* (2). Ast illa, divinitatem in eo constantissime agnoscit et colit. Demortuum sepulchro infert, nec tamen dubitat revicturum. Caritas porro, qua in Deum flagrai, participem *passionum Christi* sociamque efficit ; cumque eo, sui veluti doloris oblita, veniam interfectoribus precatur, quamvis hi obfirmate inclamant : *Sanguis eius super nos, et super filios nostros* (3).

Sed ne immaculati Virginis conceptus, qui Nobis caussa scribendi est, contemplationem deseruisse videamur, quam is magna atque propria importat adiumenta ad has ipsas retinendas virtutes riteque colendas ! — Et revera, quaenam osores fidei initia ponunt tantos quoquoversus errores spargendi, quibus apud multos fides ipsa nutat ? Negant nimirum hominem peccato lapsum suoque de gradu aliquando deiectum. Hinc originalem labem commentitiis rebus accensent, quaeque inde evenerunt damna; corruptam videlicet originem humanae gentis, universamque ex eo progeniem hominum vitiatam ; atque adeo mortalibus invectum malum impositamque reparatoris necessitudinem. His autem positis, pronum est intelligere nullum amplius Christo esse locum, neque Ecclesiae, neque gratiae, neque ordini cuipiam qui naturam praetergrediatur; uno verbo, tota fidei aedificatio penitus labefactatur. — Atqui credant gentes ac profiteantur Mariam Virginem, primo suae conceptionis mo-

li) *De Virginio.,* 1. % c. 2.

(2) Ioann XIX, 7.

(5) Matth. XXVII, 2S.

mento, omni labe fuisse immunem; iam etiam originalem noxam, hominum reparationem per Christum, evangelium, Ecclesiam, ipsam denique perpetiendi legem admittant necesse est: quibus omnibus, *rationalismi* et *materialismi* quidquid est radicitus evellitur atque excutitur, manetque christianae sapientiae laus custodiendae tuendaeque veritatis. — Ad haec, commune hoc fidei hostibus vitium est, nostra praesertim aetate, ad fidem eamdem facilius eradendam animis, ut auctoritatis Ecclesiae, quin et cuiusvis in hominibus potestatis, reverentiam et obedientiam abiiciant abiiciendamque inclament. Hinc *anarchismi* exordia ; quo nihil rerum ordini, tum qui ex natura est tum qui supra naturam, infestius ac pestilentius. Iamvero banc quoque pestem, publicae pariter et christianae rei funestissimam, immaculati Deiparae conceptus delet dogma ; quo nempe cogimur eam Ecclesiae tribuere potestatem cui non voluntatem animi tantum, sed mentem etiam subiici necesse est; siquidem ex huiusmodi subiectione rationis christiana plebs Deiparam concinit : *Tota pulchra es. Maria, et macula originalis non est in te* (1). — Sic porro rursum conficitur Virgini augustae hoc dari merito ab Ecclesia, *cunctas haereses solam interemisse in universo mundo.*

Quod si fides, ut inquit Apostolus, nihil est aliud nisi *sperandarum substantia rerum* (2); facile quisque dabit immaculata Virginis conceptione confirmari simul fidem, simul ad spem nos erigi. Eo sane vel magis quia Virgo ipsa expers primaevae labis fuit quod Christi mater futura erat; Christi autem mater fuit, ut nobis aeternorum bonorum spes redintegraretur.

Iam ut caritatem in Deum tacitam nunc relinquamus, ecquis Immaculatae Virginis contemplatione non excitetur ad praeceptum illud sancte custodiendum, quod Iesus per antonomasiam suum dixit, scilicet ut diligamus invicem sicut ipse dilexit nos? — *Signum magnum,* sic apostolus Ioannes demissum sibi divinitus visum enarrat, *signum magnum apparuit in caelo : Mulier amieta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim* (3). Nullus autem ignorat, mulierem illam, Virginem Mariam significasse, quae caput nostrum integra peperit. Sequitur porro Apostolus: *Et in utero habens,*

(1) Grad. Miss, in festo Imm. Concept.

(2) Hebr. XI, 1.

(3) Apoc XII, i.

clamabat parturiens, et crueiabatur ut pariat (1). Vidit igitur Ioannes sanctissimam Dei Matrem aeterna iam beatitate fruentem, et tamen ex arcano quodam partu laborantem. Quonam autem partu ? Nostrum plane, qui exilio adhuc detenti, ad perfectam Dei caritatem sempiternamque felicitatem gignendi adhuc sumus. Parientis vero labor studium atque amorem indicat, quo Virgo, in caelesti sede, vigilat assiduaque prece contendit ut electorum numerus expleatur.

Eamdem hanc caritatem ut omnes nitantur assequi quotquot ubique christiano nomine censentur vehementer optamus, occasione hac praesertim arrepta immaculati Deiparae conceptus solemnius celebrandi. Quam modo acriter efferateque Christus impetitur atque ab eo condita religio sanctissima ! quam idcirco praesens multis periculum iniicitur, ne, gliscentibus erroribus ducti, a fide desciscant! _Itaque quise existimat stare, videat ne cadat_ (2). Simul vero prece et obsecratione humili utantur omnes ad Deum, conciliatrice Deipara, ut qui a vero aberraverint resipiscant. Experiendo quippe novimus eiusmodi precem, quae caritate funditur et Virginis sanctae imploratione fulcitur, irritam fuisse numquam. Equidem oppugnari Ecclesiam neque in posterum unquam cessabitur: _Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis_ (3). Sed nec Virgo ipsa cessabit nostris adesse rebus ut ut difficillimis, pugnamque prosequi iam inde a conceptu pugnatam, ut quotidie iterare liceat illud : _Hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui_ (4).

Utque caelestium gratiarum munera, solito abundantius, nos iuvent ad imitationem beatissimae Virginis cum honoribus coniungendam, quos illi ampliores hunc totum annum tribuendus; atque ita propositum facilius assequamur instaurandi omnia in Christo : exemplo Decessorum usi quum Pontificatum mirent, indulgentiam extra ordinem, instar Iubilaei, orbi catholico impertiri decrevimus.

Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis,

(1) Apoc. XII, 2.
(2) I. Cor. X, 12.
(3) I. Gor. XI, 19.
(4) Off. Imm. Conc. in II. Vesp. ad *Magnif.*

contulit; universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in alma Urbe Nostra degentibus vel ad eam advenientibus, qui unam e quatuor Basilicis patriarchalibus, a Dominica prima Quadragesimae, nempe a die xxi februarii, usque ad diem n iunii inclusive, qui erit solemnitas SSmi Corporis Christi, ter visitaverint; ibique per aliquod temporis spatium pro catholicae Ecclesiae atque huius Apostolicae Sedis libertate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, pro christianorum Principum concordia ac totius fidelis populi pace et unitate, iuxtaque mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint ; ac semel, intra praefatum tempus, esurialibus tantum cibis utentes ieiunaverint, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos ; et, peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum susceperint; ceteris vero ubicumque, extra praedictam Urbem degentibus, qui ecclesiam cathedralem, si sit eo loci, vel parochialem aut, si parochialis desit, principalem, supra dicto tempore vel per tres menses etiam non continuos, Ordinariorum arbitrio, pro fidelium commodo, praecise designandos, ante tamen diem VIII mensis decembris, ter visitaverint; aliaque recensita opera devote peregerint; plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus et impertimus; annuentes insuper ut eiusmodi indulgentia, semel tantum lucranda, animabus, quae Deo caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit et valeat.

Concedimus praeterea ut navigantes atque iter agentes, quum primum ad sua domicilia se receperint, operibus supra notatis peractis, eamdem indulgentiam possint consequi.

Confessariis autem, actu approbatis a propriis Ordinariis, potestatem facimus ut praedicta opera, a Nobis iniuncta, in alia pietatis opera commutare valeant in favorem Regularium utriusque sexus, nec non aliorum quorumcumque qui ea praestare nequiverint, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui ad eamdem suscipiendam nondum fuerint admissi.

Insuper omnibus et singulis christifidelibus tam laicis quam ecclesiasticis sive saecularibus sive regularibus cuiusvis ordinis et instituti, etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus et facultatem ut sibi, ad hunc effectum, eligere possint quemcumque presbyterum tam regularem quam saecularem, ex< actu

approbatis, (qua facultate uti possint etiam moniales, novitiae aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo confessarius approbatus sit pro monialibus) qui eosdem vel easdem, infra dictum temporis spatium, ad confessionem apud ipsum peragendam accedentes, cum animo praesens Iubilaeum assequendi, nec non reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscientiae dumtaxat, ab excommunicationis, suspensionis aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicae, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, nec non ab omnibus peccatis et excessibus etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicae reservatis, iniuncta prius poenitentia salutari aliisque de iure iniungendis, et, si de haeresi agatur, abiuratis antea et retractatis erroribus, prout de iure, absolvere; nec non vota quaecumque etiam iurata et Sedi Apostolicae reservata (castitatis, relligionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare et cum poenitentibus eiusmodi in sacris ordinibus constitutis etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem ordinum et ad superiorum assequutionem, ob censurarum violationem dumtaxat, contracta, dispensare possit et valeat. — Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto sive ex defectu, vel pubblica vel occulta aut nota aliave incapacitate aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare; neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV, quae incipit « *Sacramentum poenitentiae*») neque demum easdem praesentes Litteras iis, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati , suspensi, interdicti seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra praedictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse et debere.

Ad haec libet adiicere, velle Nos et concedere, integrum cuicumque, hoc etiam Iubilaei tempore, permanere privilegium lucrandi quasvis indulgentias, plenariis non exceptis, quae a Nobis vel a Decessoribus Nostris concessae fuerint.

Finem vero, Venerabiles Fratres, scribendi facimus, spem

magnam iterum testantes, qua plane ducimur, fore ut, ex hoc Iubilaei munere extraordinario, auspice Virgine Immaculata a Nobis concesso, quamplurimi, qui misere a Iesu Christo seiuncti sunt, ad eum revertantur, atque in christiano populo virtutum amor pietatisque ardor refloreat. Quinquaginta abhinc annos, quum Pius decessor beatissimam Christi Matrem ab origine labis nesciam fide catholica tenendam edixit, incredibilis, ut diximus, caelestium gratiarum copia effundi in hasce terras visa est; et, aucta in Virginem Deiparam spe, ad veterem populorum religionem magna ubique accessio est allata. Quidnam vero ampliora in posterum expectare prohibet ? In funesta sane incidimus tempora ; ut prophetae verbis conqueri possimus iure : *Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Mcdedictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt* (1). Attamen, in hoc quasi maiorum diluvio, iridis instar Virgo clementissima versatur ante oculos, faciendae pacis Deum inter et homines quasi arbitra. *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram* (2). Saeviat licet procella et caelum atra nocte occupetur; nemo animi incertus esto. Mariae adspectu placabitur Deus et parcet. *Eritque areus in nubibus, et videbo illum, et recordabor foederis sempiterni* (3). *Et non erunt ultra aquae diluvii ad delendum universam carnem* (4). Profecto si Mariae, ut par est, confidimus, praesertim modo quum immaculatum eius conceptum alacriore studio celebrabimus; nunc quoque illam sentiemus esse Virginem potentissimam, *quae serpentis caput virgineo pede contrivit* (5).

Horum munerum auspicem, Venerabiles Fratres, vobis populisque vestris Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die n februarii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

(1) Os. IV, 1-2.
(2) Gen. IX, 13.
(3) Ib. 16.
(4) Ib. 15.
(B) Off. Imm. Conc B. M. V.

EPISTOLA

qua Pius PP. X commendat sollertiam Societatis Caecilianae in cantu gregoriano.

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Societatem Caecilianam iamdudum apud vos ex instituto id agentem, ut Cantus Gregoriani scientiam peritiamque in usum sacrorum late promoveat, merito tu quidem ac iure Nobis commendasti. Dignum enim omni commendatione studium est hominum, in re elaborantium, quae quum ad sanctissimas caeremonias, ea qua par est religione, peragendas conferat, magnopere ad fovendam pietatem publicam valet. Ex istorum autem a S. Caecilia sodalium sollertia industriaque fructus evenire, ubicumque germanicus sermo obtinet, laetos atque uberes, quamquam non ignotum Nobis erat, iucundum fuit ex tuis quoque litteris cognoscere. Nominatim didicimus libenter ipsorum operam in finibus dioecesis tuae proficere et valere plurimum. Itaque non potest esse dubium, quin Caeciliana Societas aeque probetur Nobis, ac decessoribus Nostris Pio IX et Leoni XIII fel. rec. probaretur: nec Nos minus habemus certum, fore ut illa novis praescriptionibus, quas in hoc genere dandas censuerimus, eadem voluntate et fide obsequatur, qua obsequi Sedis Apostolicae mandatis consuevit. Eidem interea non exiguas nec vulgares laudes, quas meretur, Nostro etiam nomine tribuas, volumus : simulque divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem habe tibi, dilecte Fili Noster, Apostolicam benedictionem, quam laudatae quoque Societati universae et clero populoque tuis curis credito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die i Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

Dilecto Filio Nostro Uberto Antonio
S. R. E. Presb. Card. Fischer
Archiepiscopo Colonien.

ALLOCUTIO

quam Pius PP. X habuit occasione Decretorum beatificationis Marci Crisim, Stephani Pongracz et Melchioris Grodecz, necnon ioannae d' Arc (1).

PIUS PP. x

Qualem Nos opinionem, quantamque admirationem de virtutibus Venerabilium Marci Crisini, Stephani Pongracz et Melchioris Grodecz, itemque Ioannae d'Arc profiteamur, ex ipsis nuper evulgatis Decretis perspiscuum est.

De Martyrum quidem meritis, ea cunctis laudibus praevalet Divi Ambrosii sententia; *Appellari Martyres,* praedicavi satis: Martyrium quippe omnimodam in se sanctitatem complectitur, puritatem et integritatem animae summam. Horum igitur trium martyrum causa ad exitum feliciter procedente, magnopere iuvat in commune bonum laetari.

Laetentur porro fidelissimi Hungariae filii, qui in concivibus patronos et sospitatores amantissimos peroptantes, gloriari possunt in illo Sancti Hieronymi verbo : *fortitudo gentium, triumphus martyrum* ; et dum supremum Ecclesiae iudicium in votis habent, ad eorumdem virtutes, constanti fidei professione, imitandas, studium conferant.

Laetentur, venerabilis Societatis Iesu filii, de novis sodalibus, qui matri amantissimae, non modo apud Deum, sed etiam apud homines gloriam pariunt meritissimam : gloriam nullo unquam tempore interituram.

Assiduis demum precibus Omnipotentem adeant dilecti Collegii Germanici alumni, ut quantocius beatis eorumdem patronis et Marcum Crisinum adiungere, et eius patrocinio optatam metam contingere valeant.

Gaudeamus autem in causa Venerabilis Ioannae d'Arc Virginis, quae, humilis ac simplex puella, obscuro loco nata, perstudiosa verae religionis cultrix, praeclarissimarum exercitatione virtutum supra aetatem, supra conditionem, usque ad vitae sacrificium adeo excelluit, ut nedum ad Galliam, sed ad Ecclesiam universam illustrandam, novum tanquam sidus effulserit.

Gaudeamus quia in vita Venerabilis Ioannae, et bona spes affulget et veritas iam explorata confirmatur, nunquam defu-

it) Cfr. *Acta S. Sedis,* huius voluminis, pag. 429 **et** 495.

turum auxilium divinae Providentiae, quae imo eo magis benigna adest, quum omnia videantur quovis plane destituta praesidio.

Gaudeamus, quia gens Gallica, quae tot magnanima perfecit, insignia tam late contulit beneficia, tam multis apostolicis laboribus barbaras quoque gentes ad fidei lumen humanitatemque perduxit, ex hac Venerabilis Ioannae virtutum et benefactorum memoria, probe queat cognoscere, praecipuam gloriam suam, maximumque bonum, ac potissimum necessarium id esse : catholicae religioni adhaerere, eiusque tum sanctitatem revereri, tum iura libertatemque defendere. Et quamquam hac in re nunc nimis plura desiderantur, laetentur tamen Galliae nobis dilectissimi filii, qui variis rerum calamitatibus laborantes, novum in Venerabili Ioanna praesidium accipient cuius gratia uberiora profecto in ipsos divinae dementiae profluent beneficia ; idque praesertim ediscent, coelestem gloriam nonnisi per magnos labores, per aerumnas, vitaeque ipsius contemptum comparari posse.

Quae quidem considerantibus Nobis, spes ea alitur et fovetur, fore nimirum ut virtutes eximiae, quae Venerabilibus commemoratis ad insigne in Ecclesia triumphanti praemium recluseré aditum, eaedem viam ipsis muniant ad supremos aliquando honores in militanti Ecclesia referendos.

Et huius desideratissimi eventus sit auspex Apostolica benedictio, quam omnibus hic praesentibus intimo cordis affectu impertimur.

Die 6 Ianuarii 1904.

PIUS PP. X.

MOTU PROPRIO

quo Pius PP. X favore Capituli Vaticani revocat prohibitionem ingrediendi Basilicam S. Petri absque chorali habitu, adnexamque excommunicationem abrogat.

PIUS PP. X

Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXI, per Litteras: « *Vineam Domini Sabaoth* » praecepit Basilicae Vaticanae Canonicis, ut Basilicam eandem numquam ingrederetur, nisi chorali habitu induti. — Praeceptum illud confirmavit Nicolaus III, item Decessor Noster, Bulla « *Civitatem sanctam Ierusalem* ». Romani vero Pontifices Eugenius IV, Litteris « *Si universis* » ; Nicolaus V, Litteris: « *Quanto prae ceteris* »; et Paulus V, Litteris « *Super Cathedram* » idem praeceptum nedum confirmarunt, sed servandum insuper voluerunt sub excommunicationis poena a contrafacientibus ipso facto incurrenda.

Nos, cupientes eisdem dilectis filiis Canonicis Basilicae Sancti Petri et cetero clero, ibidem inservienti, benevolentiam Nostram testari, supradictum praeceptum non ingrediendi Basilicam eandem nisi chorali amictu, nec non latam in transgressores excommunicationis poenam, tenore praesentium, revocamus, supprimimus et abrogamus.

Monemus tamen ne quis unquam Chorum ingredi audeat sine chorali veste; simulque hortamur ut mature omnes in choro adsint, atque ita choralibus functionibus ab ipso initio interesse queant.

Libet porro occasione uti, ut eosdem dilectos filios Canonicos, Beneficiatus et Clericos omnes eiusdem Basilicae impense, si opus est, excitemus ad divinum Officium digne, attente ac devote recitandum, praecipue vero ad festinationem omnem cavendam, qua nihil attentioni ac devotioni infestius, nihil magis audientium fidelium aedificationi contrarium.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxxi Ianuarii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Summus Pontifex gratulatur Romanae a S. Thoma Aquinate Academiae propter eius sollertiam, eam aliaque Philosophiae Instituta cohortans praesertim ad Neo-rationalismum coercendum.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

In praecipuis laudibus Leonis XIII fel. rec. Decessoris Nostri quisque aequus rerum aestimator hoc ponit, quod is adolescentis Cleri studia ordinare convenienter temporibus aggressus, Sancti Thomae Aquinatis disciplinam in primis instaurandam summa contentione curaverit. Etenim novo ingeniorum cursu commotus, quum videret genera quaedam philosophandi ac de gravioribus doctrinis disputandi invalescere, quae catholicae veritati nequaquam congruerent, mature occurrendum periculo censuit, quod inde alumnis Sacrorum impenderet; eo magis quod statam rationem studiorum, Ecclesiae iudicio ac saeculorum usu probatam, animadverterat plurifariam ex cupidine recentiora consecfcandi defecisse. Itaque institutis praeceptisque philosophiae christianae ac theologiae Ducem Magistrumque suum restituit Doctorem Angelicum, cuius divinum ingenium arma elaborasset ad tuendam veritatem multiplicesque errores hac etiam aetate profligandos per quam idonea: siquidem quae, nati ad utilitatem omnium temporum, sancti Patres Doctoresque Ecclesiae tradiderunt principia sapientiae, ea nemo Thoma aptius, colligendo ex eorum scriptis, composuit, nemo luculentius illustravit.

Haudquaquam tamen Pontifex bonas scientiae accessiones, quas hodierna pareret studiorum agitatio, neglexit; quin imo, ratus clericos non posse digne suum tenere locum, nisi apparatore quodam doctrinae commeatu instruerentur, idcirco eorum de gravioribus rebus institutionem opportunis eruditionis incrementis ornatam voluit.

Iamvero ad fovendam, quam Encyclicis litteris *Aeterni Patris* (1) indixerat, instaurationem disciplinae Thomisticae, sub-

ii) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XII, pag. 97.

inde in Urbe Roma, utpote quae catholico orbi hoc etiam in genere exemplo deberet esse, propriam Academiam instituit, a S. Thoma Aquinate eam nuncupans, cui propositum esset explicare, tueri, propagare doctrinam, praesertim de philosophia, Angelici Doctoris. Academiam ipsam annuis reditibus, qui satis essent ad stabilitatem eius confirmandam, munificus auxit. Eidem parem, quae ceteris vel Athenaeis vel Lyceis magnis attributa esset, attribuit facultatem promovendi ad doctoris in philosophia gradum suos alumnos, qui emenso studiorum curriculo laudabile scientiae specimen sollemni periculo dedissent. Denique anno MDCCGXCV, statuta, quae Academiae ad tempus praescripserat, temperando, certas ei leges (1), quas diutinum experimentum commodas fore suasisset, in perpetuum dixit.

(1) *En Leges Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis, iussu et auspiciis Leonis XIII P. M. constitutae:*

1. Academiae nomen erit : Academia Romana S. Thomae Aquinatis.

2. Huic propositum est explicare, tueri, propagare doctrinam, praesertim philosophicam, Angelici Doctoris, omniaque accurate servare quae tradita sunt in litteris Encyclicis, quarum initium: *Aeterni Patris.*

3. Officia Academiae praecipua haec erunt :

Studia viresque conferre cum aliis Academiis eiusdem instituti ad philosophiam christianam iuxla mentem S. Thomae Aquinatis ubique instaurandam.

Operum et Ephemeridum illustriorum, et earum maxime quae de rebus philosophicis pertractant, notitiam sibi comparare, ut quaenam sit ubique scientiarum conditio dignoscatur.

Lucubraliones, ubi opus sit, et libros edere quibus vel gliscentes errores recitentur, vel philosophica doctrina illustretur et amplificetur.

Sedulam dare operam doctoribus informandis, scholasticae philosophiae tradendae apprime idoneis.

4. Academia constabit Consilio Academiae regundae praeposito, Academicis, et Alumnis.

5. Consilium Academiae Moderatorum coalescet ex Emo Cardinali Praeside et tribus vel quatuor sociis, quorum unus erit a secretis. Moderatores de rebus Academiae acturi, conventum habebunt cum e re visum fuerit.

6. Academici a Consilio Moderatorum eligentur. Plures quam XXX numero non erunt. Horum decem ex doctis viris in Urbe commorantibus, decem ex italica regione, totidem ex nationibus exteris cooptabuntur. Consilio Academiae moderandae omnes parebunl.

7. Conventus Academiae quintodecimo quoque die, duobus saltem e Moderatorum Consilio adstantibus, habebuntur. Nemini ex Academicis Romae commorantibus a conventu abesse fas erit, nisi venia a Consilio Moderatorum impetrata. Alumnos aequum erit coetibus adesse. Aestivo tempore conventus vacabunt.

8. In his conventibus alter ex Academicis lucubrationem recitabit, quam, proposito a Consilio Moderatorum argumento, confecerit.

Ad Nos quod attinet, quando Pontificatus Noster incidit in tempora, traditae a patribus sapientiae inimica fortasse magis, -quam unquam antea, omnino oportere ducimus, ut quae Decessor illustris de cultu philosophiae doctrinaeque Thomisticae •consuluisset, ea religiosissime servanda, atque etiam in spem uberiorum fructuum provehenda curemus. Huius rei gratia, romanam a Sancto Thoma Academiam, quae in ceteris id genus institutis principem sibi locum iure vindicat, uti peculiari qua-

Lucubratio recitanda expendi prius ab uno e Consilio Moderatorum et probari debebit.

Consultatio deinde habebitur de libris ac scriptionibus super re philosophica an lucem editis; et quid facto opus sit, vel ad refutandos errores, vel ad philosophicam doctrinam declarandam et promovendam, de sententia Moderatorum in conventu adstantium decemetur.

9. Lucubrationes in Academicis conventibus recitatae, quas Moderatores dignas iudicaverint, in exitu anni typis edentur, auctoresque argenteo numismate domabuntur.

10. Iuvenes optimae spei, qui philosophiae curriculum emensi fuerint, a Consilio Moderatorum deligentur, ex quibus coetus Alumnorum Academiae constabit.

Singuli Moderatores semel, vel bis, in hebdomada aliquos ex Alumnis instituent, atque eliam alicui ex Academicis, si videbitur, instituendos tradent in praecipuis Thomisticae doctrinae capitibus, illisque Angelici Doctoris disputationes explanabunt, cum aliorum Philosophorum placitis, ubi opus fuerit, comparatas.

Dabitur interdum Alumnis ut in Academicis conventibus exercitationis causa aliquod philosophicae doctrinae caput in praelectionis modum exponant.

11. Alumnis qui lectiones academicas integrum annum assidue frequentaverint, ad eiusdem anni exitum ius erit ad praemia concurrere. Ipsis dictabitur aliquod argumentum scripto ab omnibus intra statutum tempus explicandum. Qui facto periculo praestantiores iudicati fuerint praemia laudemve consequentur.

Qui vero biennio saltem in Academia instituti fuerint, admittentur ad examen pro laurea doctorali tum scriptum tum orale, quod per horam cum dimidio absolvetur.

Quatuor examinatores difficultates solvendas scholastica methodo proponent, qui eas rite dissolverit et maioris partis Consilii suffragia retulerint, diploma accipient quo ipsis tradendae Sancti Thomae philosophiae potestas fiet, ac laureae doctoralis honore ac privilegiis fruentur.

Theses pro examine ad lauream defendendae in Academia Romana S. Thomae hodie 46 statutae numerantur, quae sive ex Logica sive ex Metaphysica sive etiam £X philosophia morali sunt desumptae.

Praeses dignissimus R. Academiae est E.mus ac Rev.mus D. Card. Franciscus Satolli, Secretarius vero est Ill.mus et Rev.mus D. Salvator Talamo. Nostra Academia in praesens alias numero 22 Thomisticas Academias, praesertim in Italia florentes, adnexas sibi habet.

dam Leonis floruit, similiter Nostra posthac florere providentia volumus.

Equidem novimus, ex eo coetu sodales quam diligenter utiliterque in mandata sibi provincia versari consueverint, vel Aquinatis sententiam doctis commentariis illustrando, vel eius cogitata evolvendo atque ex principiis ipsius nova investigando, vel eiusdem trutina pensando recentiorum placita philosophorum; propter eaque gratulamur eis libenter, quod germanas philosophiae progressiones non mediocriter adiuvent. Verum ne nobilissimae contentioni diuturnitas remissionem afferat, magnopere cupimus, ut voce et auctoritate Nostra spiritus sumant etiam alacriores, ac tamquam renovatis auspiciis in propositum incumbant. Quae tamen cohortatio non ad hos tantummodo spectet, sed pertineat, uti debet, ad omnes, quicumque in catholicis orbis terrarum scholis philosophiam tradunt; nimirum curae habeant, a via et ratione Aquinatis nunquam discedere, in eamdemque quotidie studiosius insistant. Vehementer autem universis auctores sumus, ut sollertiam laboresque suos conferant maxime ad coercendam pro virili parte communem illam rationis fideique pestem, quae longe lateque serpit: *neo-rationalismum* dicimus, cuius ne perniciosos afflatus sacra praesertim iuventus vel minimum sentiat, omni ope atque opera providendum est.

Ceterum statuta, bona, privilegia, iura quae Decessor Noster Academiae romanae a Sancto Thoma dedit et attribuit, ea Nos omnia et singula rata et firma esse volumus et iubemus ; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXIII mensis Ianuarii, festo S. Raymundi de Peñafort, an. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. * S.

ALOIS. CARD. MACCHI.

Heic referre iuvat **Breve Institutionis Academiae Romanae a S. Thoma Aquinate.**

LEO PP. XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod iam inde ab initio Nostri Pontificatus Nos a scientia rerum graviarum exorsi multis quidem modis neque semel significavimus, summa esse contentione enitendum ut Philosophiae et Theologiae studia ad pristinam Sancti Thomae Aquinatis rationem, quae scholastica dicitur, revocaretur, illiusque disciplina fidei veritati administra et comes instauraretur, id munere concessuque Dei in omnibus fere catholicis Athenaeis constitutum esse merito laetamur. Desideriis enim votisque Nostris plene obsequuti sunt catholici viri, nominatim Religionis Antistites, qui summo animi ardore opem, quam quisque poterat, auctoritatem, consilium, rem contulerunt in propagandam provehendamque optimam hanc eruditionis disciplinam, ita ut ipsi de iuventute egregie meruerint, et Religionis Patriaeque bono ac decori prospexerint, Nostram etiam benevolentiam et gratiam inierint, praemia expectantes a Deo, cuius causa laborem atque operam susceperunt. Nemo certe est qui non videat, qui non plane sentiat, tot praesertim irrepentibus in mentes hominum praeposterarum doctrinarum erroribus, ac tam demutatis corruptisque populorum moribus, consilii praeceptique Nostri opportunitatem atque utilitatem. Probant sane hoc consilium tum instituta Philosophiae et Theologiae varia nomine, paria disciplina, quae perbrevi annorum spatio ubique gentium effloruerunt, tum alumnorum, qui ea celebrant, numerus et studium, tunc denique is ipse, qui consecutus est, exitus, nimirum fructus laeti atque uberes, qui ex eiusmodi institutionibus quotidie in vinea Domini demetuntur. In praeceptis enim institutisque summi scholasticorum magistri ita elucet sapientia ut cum splendore virtutis mirifice coniungatur : sic ii, qui illis student, aeque scientiam condiscunt ac virtutem, alteram ex libris Sancti Thomae, alteram ab exemplis: doctor enim Angelicus, qui cognominis mensuram implevit, quae praecepta tradidit sapientiae, ea confirmavit exemplo. Quare non mirum est si ille habitus sit a maioribus meridiani instar solis, qui orbem terrarum calore virtutum fovit et lumine doctrinae complevit. Sed quum

Aquinatis doctrinae, praesertim Philosophicae, plurimis in locis, persuadentibus atque adhortantibus Nobis, oportebat atque opus erat, ut florerent etiam in hac alma Urbe, principe catholici nominis, quae idcirco ob eam causam quod est domicilium ac Sedes Pontificum Maximorum debet optime cuiusque institutionis et disciplinae laude ceteris antecellere. Roma enim quasi in medio terrarum ad universi orbis complexum posita, ab adolescentibus celebratur magna frequentia nominatim clericis, qui nullibi arbitrantur quam penes augustam Petri cathedram fidei veritatem et sapientiam se posse haurire. Quare Philosophiae copia, quae largiter hinc dimanat non unius Urbis finibus continetur, verum ad omnes populos, velut abundantissimus amnis in multos dispertitus rivulos, utiliter ad foecunditatem profluit. Quibus omnibus e rebus et causis Nos anno Dñi MDCCCLXXIX Pontificatus Nostri secundo in Epistola Encyclica de Philosophia christiana ad mentem Angelici Doctoris in scholis catholicis instauranda pertractavimus, deinde die decimaquinta mensis Octobris eodem anno ad Antoninum S. R. E. Cardinalem de Luca bo. me. id temporis sacro Consilio studiis regundis Praefectum Litteris dedimus, quibus auctores fuimus, ut coetus Academicus in Urbe Roma institueretur, qui Sancti Thomae Aquinatis nomine insignis id potissimum curaret, insisteret, quod ad promovendam et propagandam salutarem eiusdem Sancti doctrinam opportunum esse iudicaret. Incitamenta laboris et diligentiae adiecimus praemia quotannis ferenda ab iis qui summa cum laude ac utilitate studiis operam dederint. Iuvenes in Academiae alumnorum numerum adscitos, emenso studiorum curriculo, sollemnique facto ingenii periculo, praecepimus ad Doctoratus gradum esse evectos. Hoc vero fecimus ut Academia Romana Sancti Thomae Aquinatis nihil prorsus haberet quod invideret aliis vel Athenaeis vel Lyceis magnis aliarum Italicarum urbium, vel exterarum, quibus parem facultatem donandi alumnos suos laurea doctorali benevole largiti sumus. Quae cum ita se res habeant, et Academia Romana Sancti Thomae Aquinatis faustis exorta initiis ad hos usque dies feliciter sit provecta, et longioris aevi spem optimam faciat, nunc, quod bonum fortunatumque sit et Academiae supradictae benevertat, nonnulla ex eiusdem statutis quae, ut exploratum est, minus convenientia atque apta sunt abroganda; nonnulla vero, quae visa sunt utilia et magis accommodata temporibus subroganda

censuimus. Quamobrem sententia etiam et suffragio dilecti filii Nostri Camilli S. R. E. Cardinalis Mazzella Sacri Consilii studiis regundis Praefecti, constitutiones generales et speciales memoratae Academiae S. Thomae Aquinatis de hac alma Urbe emendatas iuxta exemplar exhibitum, cuius prima verba « Academiae nomen erit », postrema* vero « laureae doctoralis honore ac privilegiis fruentur » quod in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium custodiri mandavimus, Apostolica auctoritate Nostra praesentium Litterarum vi definitive probamus, confirmamus, ratasque habemus. Decernentes has Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectare poterit in omnibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IX mensis Maii MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimooctavo.

L. * S.

C. **CARD. DE RUGGIERO.**

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

METEN.

Translatio Missae pro populo conceditur dioecesi Metensi.

Beatissime Pater,

Episcopus Metensis humiliter postulat favore parochorum suae dioecesis facultatem transferendi in aliam diem sequentem celebrationem missae pro populo in diebus festis suppressis, quando occurrit celebratio matrimonii vel unius missae exequialis, quae anticipari vel transferri nequeat, prout concessum est vicinioribus dioecesibus, stante consuetudine immemoriali.

Die 7 Septembris 1903, S. Cong. Concilii, auctoritate SSmi Domini Nostri, attentis expositis, precibus Episcopi Oratoris annuens petitam gratiam benigne impertita est per quinquennium (1).

V. CARD. VANNUTELLI, *Praefectus.*

L. % S.

C. DB LAI, *Pro-Secretarius.*

(1) Quae gratia transferendi diebus festis suppressis celebrationem Missae pro populo peculiaribus de causis concessa est Episcopo Meten.; hinc ad exemplum trahi nequit. Tamen, interveniente ratione sufficienti, huiusmodi facultas a S. Sede peti debet.

CAUSA

MEDIOLANEN.

ONERIS MISSARUM QUOAD APPLICATIONEM

Species facti

Die 21 Novembris 1903.

Supremo quo decessit testamento diei 11 Octobris 1847 Aloysius Bonsignori duo beneficia coadiutorialia seu cappellanias instituit cum onere coadiuvandi parochum in paroeciis Busti Arsitii et Oairati, easque dotavit pro quarta parte suorum bonorum, ita tamen ut ea in quinque partes divisa, tres partes in favorem beneficii in paroecia Busti Arsitii erigendi, reliquae duae partes in alterius beneficii favorem cederent. Onera vero utriusque beneficii verbis ipsius fundatoris ita imponuntur: « Onera quae impono sunt quae in subsidium curae animarum celebrandi missam festis diebus cum de praecepto tum de consuetudine in commodum fidelium nec non celebrandi missam ad meam intentionem prima et postrema die feriali cuiusque hebdomadae. Ceterae omnes liberae applicationis sunt. Item utrique beneficiato pro singulo impono obligationem annuatim elargiendi, tantam partem ex reditu a me relicto quanta respondet libellis mediolanensibus 150, in eleemosynam infirmorum Busti et Cairati.

Defuncto testatore, omnia solemnia cum circa constitutionem dotis, tum circa canonicam erectionem cappellaniarum die 5 Augusti 1854 expleta sunt. Decretum autem erectionis beneficii Cairatensis haec habet : I°. « Statuimus « iuxta piam et declaratam testatoris mentem onera bene- « fìcii sic erecti esse exercitium curae animarum admini- « strandique sacramenta etiam infirmis in universa paroe- « cia Cairati, praedicandi, doctrinamque christianam expli- « candi ad mentem parochi ; 2°. celebrandi et applicandi ad

« mentem institutoris in ecclesia paroeciali missam omnibus « diebus festivis tam de praecepto quam de consuetudine in « paroecia et insuper primo et ultimo die feriali uniuscu- « iusque hebdomadae ».

Anno 1895 sacerdos Aegidius Bosetti hanc cappellaniam obtinuit, qui ratus obligationem applicandi diebus festis a tabulis fundationis non praescribi, a Curia Mediolanensi die 22 Ian. praefati anni sequentem declarationem petiit et habuit : « Beneficiatus tenetur ad missas celebrandas secundum mentem fundatoris feria secunda et sabbato tantum cuiusque hebdomadae ».

At ad instantiam Promotoris Locorum Piorum quaestio iterum agitata, die 21 Ianuarii 1902 contrariam ab Ordinariatu Mediolanensi sententiam est sortita; nempe beneficiatum teneri ad celebrandam missam ad mentem fundatoris etiam diebus festis cum de praecepto tum de consuetudine.

Huic decisioni renuens novus cappellanus Fortunatus Adamoli per Ordinarium petiit ut H. S. Congregatio litem definiret, nec non, in casu quo de obligatione constaret, praeter sanationem super praeteritis omissionibus, congruam oneris reductionem concederet, attenta exiguitate beneficii.

Auditis precibus, consultus est Emus Archiepiscopus super hac apparenti antinomia inter tabulas fundationis et decretum erectionis utriusque cappellaniae, qui sedulo respondit die 11 Februarii p. p. his verbis: « Quoad vero ea quae ex- « quirebantur , id est , an et quomodo explicari posset ap- « parens contradictio inter actum et decretum de quo su- « pra in assignatione onerum missarum, putarem decretum « erectionis interpretatum esse verba testatoris ***a pro dei*** ***« publico*** apposita ad onus missarum diebus festis celebran- « darum, eo sensu quod applicandae essent dictae missae ***« pro populo,*** cum e contra explicari possint pro onere ce- « lebrandi diebus festis in paroecia ***in commodum fidelium;*** « et tandem simplificandae dictionis gratia omnia onera « missarum comprehendisse unica formula - ***celebrandi et***

« applicandi ad mentem institutoris in ecclesia paroeciali « missam omnibus diebus festis tam de praecepto quam de « consuetudine in paroecia et insuper primo et ultimo die « feriali uniuscuiusque hebdomadae ».

Animadversiones Cappellani

Praedictus Adamoli se ad applicandam missam pro fundatore festis diebus non teneri ex his tribus arguit: I°. ex tabulis ipsis testamentariis; 2°. ex ipsarum interpretatione emissa a Curia dioecesana die 22 Ian. 1895; 3°. ab instrumento immissionis in possessionem factae a laico suboecouomo.

Ex testamento ipse argumentum discretivae deducit, eo quod diversa dictio apparet dum agitur de missis festivis et dum de ferialibus, quae diversitas diversitatem voluntatis inter unum et alium casum manifestat, ut tradit Card. de Luca *De donat. dis. 8, n. 23* et consequenter onus impositum applicationis pro anima fundatoris coarctatum tantum fuisse ad missas celebrandas diebus ferialibus ceu etiam erui potest ex S. Rota in *Tuden. Servitiorum super bono iure 21 Martii 1757 coram Frangipane.*

Nec dicas illa verba testatoris *a pro dei publico* onus applicationis missae pro populo importare cum potius de celebratione missarum diebus festis *in commodum fidelium* intelligi debeant, quo quidem casu appliv^atio exclusa censetur uti tradit *Amostaz. de causis piis lib. 3, cap. 3, n. 46, et S. H. Cong. in Novarien. 22 Novembris 1727 et in Spoletana 18 Septembris 1751.*

Neque ipsa Curia Mediolanensis aliter sentire videtur uti patet ex litteris Emi Archiepiscopi supra relatis diei 11 Februarii 1903. « Putarem decretum erectionis interpretatum « esse verba testatoris *a pro dei publico* apposita ad onus « missarum diebus festis celebrandarum, eo sensu quod di- « ctae missae essent applicandae pro populo, cum e con- « tra explicari possint pro onere celebrandi diebus festis in « paroecia *in commodum fidelium* ».

Hucusque dicta maius pondus obtinent ex eo quod obligatio applicandi missam pro populo est onus personale parochorum ceu deprehenditur ex Conc. Trid. *sess. 23, cap. 1 de Ref or.* Cappellani autem, quocumque'titulo censeantur, suppetias parochis ferentes non teneantur ad missae applicationem pro populo, cui titulares per se satisfacere debent, uti docet Lucidi *de Vis. SS. LL. Vol. 1, pag. 427, n. 360.*

Secundo cappellanus deducit se non teneri ad applicationem missae diebus festis sed tantum ad celebrationem ex declaratione Curiae Mediolanensis facta die 22 Ian. 1895: haec enim primo est conformior tabulis testamentariis, quae ut superius visum est imponunt diebus festis tantum onus celebrationis missarum in commodum populi : neque secundo videtur discrepare a decreto erectionis , quia expressio decreti « *Onus celebrandi et applicandi ad mentem instituoris* in ecclesia paroeciali missam omnibus diebus festis tam de praecepto quam de consuetudine in paroecia « et insuper primo et ultimo die feriali uniuscuiusque heb- « domadae », ita explicari potest ut onus simplicis celebrationis ad dies festos, onus vero applicationis ad dies feriales referatur quod plene responderet legi fundationis ; et hoc iure merito praesumi debet quia Ordinarii sunt quidem executores nati piarum voluntatum, sed eas immutare nequeunt.

Cum autem huic ultimo principio postrema declaratio Curiae Mediolanensis anni 1902, quae novum onus imponere vellet cappellano nempe obligationem applicandi diebus festis ad mentem fundatoris, directe sese opponat, admitti nullatenus debet sed potius standum est declarationi an. 1895.

Tandem cappellanus profert instrumentum immissionis in possessionem temporalem bonorum cappellaniae datae a suboeconomo in quo haec leguntur: « Onera beneficii: pro annuis missis in bonum animae defuncti Bonsignori libellae 154. Beneficiatus ad missam celebrandam Cairate tenetur diebus festis cum de praecepto tum de consuetudine locali.

Quod si, expositis non obstantibus, H. S. O. placuerit ultimam Curiae Mediolanensis decisionem confirmare tunc Orator cappellanus Adamoli instat pro concessione benignae condonationis super praeteritis omissionibus habita ratione suae bonae fidei, et attenta tenuitate redituum cappellaniae congruae reductionis onerum in futurum, eo vel magis quod dictae reductiones etiam in antecessum fuerint concessae : quas preces nomine cappellani ita exhibet Curia Mediolanensis: « In casu affirmativo scribens Ordinariatus benignam sanatoriam super praeteritis omissionibus supplex petit, nec non reductionem onerum attenta exiguitate beneficii, cum eius fructus vix aut ne vix quidem 1300 libellas annuatim attingat et gravetur insuper exactionibus quae libellas 445 annuas efformant praeter onus originarium 100 libellarum pauperibus annuatim erogandarum: attentis pariter exiguitate oblationum quae percipi possunt a fidelibus loci nec non exemplo reductionum antecessoribus suis iam indultarum ».

Animadversiones ex Officio

At contra cappellanum perpendi potest quod iniuncta missae celebratione censetur quoque volita eius applicatio nisi expresse haec fuerit relicta arbitrio cappellani ceu tradit Pignatelli *com. can. 139. n. 12 et seq. tit. 1;* De Angelis *lib. 3, tit. 41, n. 4.* Praesertim si congrua dos fuerit pro cappellania statuta Amost. *de caus. piis lib. 2, cap. 3, n. 5.* Praestat ad rem doctrinam Bened. XIV referre *De Sacrif. Missae lib. 3, cap. 9, n. 2.* « S. Cong. Concilii re-
« gula est, intelligendum esse appositum etiam onus appli-
« candi Missam animae institutoris seu fundatoris beneficii
« seu cappellaniae... Porro verisimilius est cum qui bene-
« ficium seu cappellaniam fundaverit et onus celebrandi
« missam imposuerit, voluisse eamdem etiam sibi applicari.
« Notissima est S. Cong. resolutio in *causa Tinnen. Applicationis sacrificii 18 Aug. 1668 in lib. Decret, fol. 61*
« ubi haec habentur. Ex dispositione testamentaria antiqui-

« tus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam cap-
« pellania cum onere cappellano pro tempore sacrum fa-
« ciendi singulis Dominicis aliisque festivis diebus , nulla
« adiecta declaratione, ad cuius suffragium applicandum
« esset sacrificium. Ideo Episcopus Tinnensis supplicat per
« S. Cong. declarari, an eiusmodi sacrificium applicandum
« sit pro anima ipsius testatoris an vero ad libitum cappel-
« lani, uti hactenus factum esse comperit. Die 18 Aug. 1668
« S. Cong. C respondit applicandum esse Sacrificium pro
« anima fundatoris » et hanc doctrinam confirmat aliis decisionibus eiusdem S. Congregationis.

Iam vero si examinentur cum tabulae fundationis Cappellaniae Bonsignori, tum decretum erectionis respectivae factae a Curia Mediolanensi, ex utrisque clare videtur posse deduci onus applicandi comprehendere nedum missas praescriptas in diebus ferialibus, sed etiam illas quae in diebus festivis sunt celebrandae. Re quidem vera in testamento post descriptum onus missarum per haec verba: «Onera quae impono sunt... celebrandi missam festis diebus cum de praecepto tum de consuetudine in commodum fidelium nec non celebrandi missam ad meam intentionem prima et postrema die feriali cuiusque hebdomadae et additur: ***Ceterae omnes (missae) liberae applicationis sunt*** quae expressio indicat omnes missas supra descriptas esse applicandas, caeteras vero relinqui in Cappellani arbitrio.

Nec dissimilis conclusio fluere videtur si paulisper ad trutinam revocetur erectionis cappellaniae decretum : ibi enim, uti patet ex contextu superius allato, obligatio ***celebrandi et applicandi ad mentem institutoris*** complectitur tum missas festivas tum duas feriales in unaquaque hebdomada. Quare iure merito Curia Mediolanensis revocata priori decisione declaravit die 21 Ianuarii 1902: « Praedictum beneficium gravari onere celebrandi applicandique missas ad mentem pii fundatoris festis diebus cum de praecepto tum de consuetudine nec non prima et postrema die feriali cuiuslibet hebdomadae». Quoad vero expetitum indultum reductionis

missarum, in hypothesi quod de obligatione applicandi in utroque casu constet uti supra dictum est, haec circa adductam causam tenuitatis redituum cappellaniae advertenda sunt : Ex constit. Pii V *Ad exequendam* et ex conc. Trid. *sess. 24, cap. 13 de Reform,* congruam pro parochis in scutatis 100 constituitur: at ibi non de beneficio paroeciali sed de mera cappellata in adiutorium parochi constituta sermo est : ad huius titularis proinde congruam sustentationem summa pro parochis taxata non exigitur, sed summa sufficere potest etiam longe inferior. Reditus Cappellaniae loci Cairati, testante Ordinariatu Mediolanensi, est in libellis 1300 a quibus si libellae 445 pro solutione taxarum et libellae 100 annuatim in pauperum subsidium elargiendae detrahantur, adhuc libellae 745 supersunt, qui reditus profecto pro congrua cappellani manutentione tenuis non videtur.

Emi Patres hisce omnibus perpensis die 21 Nov. 1903 respondendum censuerunt :

Attentis omnibus pro gratia dispensationis a missae applicatione pro fundatore diebus festis ad cautelam, facto verbo cum SSñio.

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

Praefectura Apostolica de Benadir in Africa erigitur, et Ordini SS.mae Trinitatis evangelizanda concreditur.

Cum exposuisset R. P. D. Vicarius Apostolicus de Zanguebaria Septentrionali in Africa Orientali, se propter ingentem suae missionis extensionem minime sufficere ad evangelium propagandum in illa Vicariatus parte quae a flumine Djuba usque ad Promontorium Guardafui patet : S. haec de Propaganda Fide Congregatio curam adhibuit, ut operarios apostolicos invenire^ quos illuc mitteret. Porro Minister Generalis Ordinis

SS. Trinitatis, opportune exhibito supplici libello, postulavit ut, in praedicto territorio nova Praefectura Apostolica constituta, ea alumnis sui Ordinis evangelizanda concederetur. De qua petitione, cum in Generalibus huius Sacrae Congregationis Comitiis, habitis die 18 vertentis mensis, mature pertractatum fuerit, placuit Emis Patribus votis hisce fieri satis. Quamobrem voluerunt ut erigeretur Praefectura Apostolica cui nomen erit de Benadir, cuius confinia haec essent : nempe, ad meridiem, ab ostio fluminis Djuba usque ad iurisdictionem Vicariatus Apostolici inter populos Galla, limes possessionum italicarum et anglicarum, a quo limite missio separaretur a Vicariatu Ap. Zanguebariae Septentrionalis; ad orientem, Oceanus Indicus £ praedicto ostio fluminis Djuba usque ad Promontorium Guardami; ad septentrionem, mare sinus Adensis a supramemorato Promontorio usque ad limitem Somaliae anglicae : ac dein hic ipse limes usque ad Vicariatum regionum Galla; ad occidentem, haec postrema ecclesiastica iurisdictio. Insuper voluerunt Emi Patres ut nova haec Praefectura Ap. de Benadir alumnis Ordinis SS. Trinitatis excalceatis committeretur, qui eam evangelizaret ac spiritualibus eiusdem necessitatibus providerent. Quam Emorum Patrum sententiam SSmo D. N. Pio Div. Prov. PP. X in audientia diei 19 huius mensis per infrascriptum huius S. Congregationis Secretarium relatam, Sanctitas Sua in omnibus ratam habuit ac confirmavit, praesensque ad id confici Decretum iussit.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 21 Ianuarii 1904.

Fr. H. M. GOTTI, *Praefectus.*

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MEDIOLANEN.

in Ritu Ambrosiano coarctantur translationes officiorum de Sanctis, elevatis tamen ad ritum solemne maius festis utriusque Ecclesiae Doctorum.

Cum in Ambrosiano Ritu officium de Sanctis, sive solemne sive privilegiatum, transferatur quoties eorum festa aut in Solemnitates Domini earumque Vigilias privilegiatas et Octavas, aut in Dominicas, aut Ferias etiam privilegiatas incidunt; quumque, novis officiis introductis, quotannis saepissime intermittantur officia aliarum Feriarum, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Andreas Carolus Ferrari, Archiepiscopus Mediolanensis, quo consulatur rationi Ambrosianae Psalmodiae, quae, uti aiunt, temporalis praecipue est, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X supplex efflagitavit, ut in posterum liceat opportune coarctare translationum series, ita ut, servato stylo Ambrosiano, de Sanctis officium solemne (non tamen solemne maius, vel primae, vel secundae classis) seu privilegiatum nunquam transferatur, cum eorum festa incidunt aut in Solemnitates Domini earumque Octavas, aut in Dominicas, aut in Ferias vel Vigilias privilegiatas, sed, uti de simplici cautum est in Rubrica *de Translatione Officii Sanctorum,* fiat tantum commemoratio, si de eo fieri potest ; secus eiusmodi officia, exceptis illis in Quadragesima occurrentibus, quae transferenda erunt post Octavam Paschatis, eo anno penitus omittantur. Insuper ne officia Sanctorum utriusque Ecclesiae Doctorum, immutata regula de translatione officiorum, saepe ad ritum simplicem reduci, aut penitus omitti in posterum debeant; spectata Sanctorum Virorum praestantia, idem Emus Archiepiscopus humiliter expetivit, ut illorum officia ad ritum *solemne maius* evehantur.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, attentis expositis, benigne in omnibus annuit pro gratia iuxta preces, tum coarctando translationes in officio *Solemni* seu *Privilegiato* de Sanctis, tum elevando ad ritum *Solemne maius*

festa Sanctorum utriusque Ecclesiae Doctorum; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Septembris 1903.

S. CARD. **CRETONI,** ***Praefectus.***

L. ^ S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***SecreL***

TLASCALEN.

Dubia circa adsistentiam canonicorum in Matutinis et Vesperis solemnibus.

Ad nonnullas quaestiones exortas dirimendas Revmus Dnus Iosephus Raymundus Ibarra, Episcopus Tlascalen., a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime efïïagitavit, nimirum:

I. Servarme debet consuetudo, ut Dignitates et Canonici etiam praebendati, in Matutinis et Vesperis solemnibus pluviale induant?

II. Dignitates, Canonici et qui Canonici praebendati dicuntur, debentne officianti assistere pluvialibus induti in Matutinis et Vesperis solemnibus, dum altare thuriftcatur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque diligenter perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Standum in casu Decreto N. 256 Lucerina 14 Iunii 162« (1).

Ad IL ***Affirmative*** **iuxta Decretum N. 4039 Caurien. 20 Iunii 1899 ad 3 (2).**

Atque ita rescripsit, die 27 Novembris 1903.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

(1) Consuetudo nempe, ut Dignitates et Canonici etiam praebendati in Matutinis et Vesperis solemnibus pluviale induant, servari debet, quum Liber Caeremonialis huiusmodi immemorabiles consuetudines non tollat.

(2) In citato Decreto S. R. Congregatio rescripsit, duos beneficiatus pluvialibus paratos, qui iuxta Ecclesiae Cathedralis Cauriensis consuetudinem, licet in Vesperis non solemnibus sed cum cantu, Celebranti parato adsistunt, ipsi quoque adsistere debere thurificationern Altaris peragenli.

METEN.

Dubia circa ordinationem Officii plurium Titularium aeque principalium, necnon circa translationem festi Patrocinii S. Vincentii a Paulo in Oratoriis semipublicis Puellarum Caritatis.

Hodiernus Redactor Kalendarii Dioeceseos Metensis, de consensu sui Rmi Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem insequentium Dubiorum humillime imploravit, nimirum :

I. Plures Ecclesiae Dioeceseos Meten, habent Titulares seu Patronos aeque principales SS. Jacobum Apostolum et Christophorum Märtyrern, die 25 Iulii in Kalendario descriptos. Quaeritur quomodo ordinandum sit Officium cum Missa in casu?

II. Ex Decretó S. R. C. diei 7 Septembris 1903 (1) concessum est Ecclesiis et Oratoriis Congregationis Missionis et Puellarum Caritatis festum Patrocinii S. Vincentii a Paulo, die 20 Decembris sub ritu duplici maiori recolendum. Quum autem in Oratoriis Puellarum Caritatis, pro Missis omnibus (exceptis Missis festorum quae in Oratoriis ex privilegio concessae sunt) Sacerdotes celebrantes sequantur Kalendarium Dioecesanum, non autem Kalendarium Congregationis Missionis, hinc quaeritur, quoties praedictum festum occurrit in Dominicam IV Adventus, ut eveniet hoc anno 1903, debetne, in Oratoriis Puellarum Caritatis, transferri in primam diem liberam iuxta Kalendarium Congregationis Missionis, an potius diem liberam iuxta Kalendarium Dioecesanum ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Duo festa agenda sunt separatim, et S. Christophorus transferatur iuxta Rubricas et Decretum N. 3714 Ruremonden. 12 Iulii 1889.

Ad II. Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam (2).

Atque ita rescripsit. Die 27 Novembris 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. % S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* huius voluminis pag. 258.

(2) Non solum in oratoriis Puellarum a Caritate, sed etiam in omnibus ecclesiis et oratoriis sive publicis sive semipublicis, quae ad divinum Officium non

PARISIEN.

Decretum Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Catharinae Labouré, e Societate Puellarum Caritatis.

Scripta Servae Dei Catharinae Labouré, e Societate Puellarum a Caritate, attributa et rite perquisita, ut a S. Rituum Congregatione super his examen institueretur, in sequenti elencho describuntur:. . . . .*(sequitur scriptorum elenchus).*

Quum vero ad instantiam Rmi Dñi Raphaelis Mariae Virili, Episcopi Titularis Troadensis et huius Causae Postulatoris, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinario S. Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum habito, retulerit in praefatis scriptis nihil invenisse quod ipsius Causae cursum intercipere posset; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Nihil obstare quominus ad ulteriora procedi possit, salvo iure Promotori Fidei obiieiendi si et quatenus de iure.* Die 1 Decembris 1903.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum S. Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit die 9, eisdem mense et anno.

S. CARD. **CRETONI,** ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

adstringuntur, Sacerdotes omnes ibidem confluentes Missam celebrare debent iuxta calendarium dioecesanum. Neque excluduntur Regulares, qui Missam utantur in ecclesiis seu oratoriis alterius religiosae Familiae mulierum, licet ipsae ad eundem pertineant Institutorem, ad quem religiosa Familia virorum.

Nihilominus ex S. Sedis privilegio diebus, quibus Presbyteri Congregationis Missionis festa agunt sibi propria et specialia, nempe S. Vincentii a Paulo, Manifestationis B. M. V. Immaculatae, B. Gabrielis Perboyre etc. et nunc Patrocinium S. Vincentii, omnes Sacerdotes in oratoriis seu ecclesiis Puellarum a Caritate Missam celebrare tenentur iuxta calendarium Congregationis Missionis. Hoc autem verum est, quando huiusmodi festa ibidem celebrantur ipsis diebus occurrentibus; non autem quando aliqua de causa transferri contingant in primam diem liberam; tunc enim transferenda sunt in primam diem liberam iuxta calendarium dioecesanum. Ratio est quia privilegia, quum legem vulnerent, sunt odiosa ac proinde strictam admittunt interpretationem.

Similia privilegia Institutis Religiosarum aliisque concessa sunt; ideoque hodiernam S. R. C. decisionem etiam pro iis valere censemus, quia ubi eadem est ratio, ibi eadem esse debet iuris dispositio.

ORDINIS MINORUM

Privilegium Missae votivae de Immaculata B. M. V. Conceptione Sabbatis celebrandae extenditur ad omnes ecclesias Kalendario romano-seraphico utentes.

Ex Apostolicis Litteris in forma Brevis sub die 5 Aprilis 1856, ecclesiis Ordinis Minorum, ac deinde per Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 25 Iulii 1882 ecclesiis quoque alterius Ordinis, hoc est Sanctimonialium Sanctae Clarae, privilegium concessum fuit Missae votivae de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis singulis per annum Sabbatis, exceptis solemnioribus, primae scilicet ac secundae classis, aliisque privilegiatis iuxta Rubricas.

Quo cultus et pietas erga eamdem Immaculatam Deiparam magis magisque foveatur inter Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis, Reverendissimus Pater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Minorum, anno quinquagesimo iam nunc adventante a Pontificia huiusce dogmatis definitione, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X, annuente ipsiusmet Ordinis Ministro Generali, enixis precibus rogavit, ut enuntiatum Missae Votivae privilegium benigne extendere dignaretur etiam ad ecclesias Monialium Tertii Ordinis, et Regularium Familiarum, quae Kalendario Romano-Seraphico legitime utuntur : ita ut cuilibet Sacerdoti in ipsarum ecclesiis vel oratoriis Sacrum facturo memoratam Missam Votivam de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione Sabbatis diebus liceat celebrare.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, petitam supradicti privilegii extensionem clementer indulgere dignata est ; sub iisdem tamen exceptionibus et clausulis in Apostolico Indulto atque in memorato Sacrae Rituum Congregationis Decreto appositis: servatis Rubricis ac Generali Decreto diei 9 Decembris 1895 (1). Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Decembris 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXVIII, pag. 438.

GNESNEN, ET POSNANIEN.

Dubium circa praecedentiam Decanorum extra sacras functiones.

R. D. Vojtechus Stanislaus Anderg, parochus Skarboswiensis, Archidioeceseos Gnesnen., iura sua tuendi causa, ut ait, permotus, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem reverenter expostulavit, nimirum:

Inter acta quintae decimae Congregationis Decanorum utriusque Archidioeceseos Gnesnen, et Posnanien. habitae Posnaniae die 2 Decembris anno 1902 legitur Instructio a R. D. Decanis utriusque Archidioecesis praescripta, in qua ad N. 15 haec inveniuntur: « Decano haec competunt privilegia *a)* primus inter Clerum decanalem locus ». Quum vero haec praecedentia videretur Oratori dissona pluribus Decretis Sacrae Rituum Congregationis, idcirco ipse quaesivit: An talis Instructio a Rmo Dno Archiepiscopo Gnesnen, et Posnanien. signata licite vel valide praescribi possit?

Ad propositum Dubium a subscripto Secretario relatum una cum informatione Rmi Dñi Archiepiscopi Gnesnen, et Posnanien. declarantis mentem et sensum praefatae dispositionis minime opponi Decretis Sacrae Congregationis, quia agitur de praecedentia non in choro, Capitulo et sacris functionibus, sed in Congregationibus Cleri et in officiis ad Ordinarium spectantibus, a quo Decani sunt specialiter delegati iuxta vigentem et communiter receptam consuetudinem; Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit :

Affirmative ad utramque partem.

Atque ita rescripsit. Die 11 Decembris 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Seeret.*

CONGREGATIONIS EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE.

Dubia circa commemoratione!!! de B. M. Virgine tamquam de Patrona in Suffragiis Sanctorum, circa hymnum S. Mariae Magdalenae Poenitentis, circa lectiones I. Nocturni S. Thomae Cantuarien., circa ritum hymni *Vexilla* in feria VI. *Pa~rasceve,* et circa *Postcommunionem* S. Ildephonsi et S. Helladii.

Kalendarista Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, de consensu sui Superioris, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit, nimirum :

I. An in illis Ordinibus Regularibus, in quibus sub aliquo titulo colitur Deipara Virgo tamquam Patrona, debeat fieri in Suffragiis Sanctorum commemoratio de eadem veluti de Patrona, cum consueta antiphona *Sancta Maria, succarre miseris,* etc. etiamsi eiusdem Officium parvum in choro recitatum fuerit ?

II. An in festo S. Mariae Magdalenae Poenitentis, utrisque Vesperis perpetuo carente, dicendus sit ad Matutinum hymnus: *Pater superni luminis* ex Vesperis, omisso hymno : *Nardo Maria pistico* utpoti minoris momenti?

III. An in ritu monastico, occurrente festo S. Thomae Cantuarien. Episc. Mart. die 29 Decembris, in Dominica, in primo Nocturno legendae sint lectiones *A Mileto,* de Communi, vel potius Initium Epistolae ad Romanos?

IV. An in Ecclesiis Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae in Processione Feria VI. in Parasceve, cantandus sit hymnus *Vexilla* iuxta ritum monasticum vel romanum ?

V. An in festis S. Ildephonsi Ep. Conf. et S. Helladii Ep. Conf., in quibus notatur Missa *In medio* praeter primam Orationem propriam, in Postcommunione omittenda sint verba *et Doctor egregius ?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii , audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative iuxta Decretum N. 4043 circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum, 27 Iunii 1899».

Ad II. « Affirmative ad utrumque ».

Ad III. « Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam ».

Ad IV. « Iuxta consuetudinem ».

Ad V. « Si non sint concessi uti Doctores, affirmative ; secu negative ».

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1903.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. * **S.**

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., ***Secret.***

En supra citatum **DECRETUM**

circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum.

Quum dubia saepius exoriantur circa Commemorationes in Suffragiis agendas, tum ex eo quod varios casus particularesque generalis non valeat contemplari Rubrica ; tum quia super eadem declarationes innumerae, ab hac Sacra Congregatione prolatae, in Decretorum Collectione hac illae dispersae, sine gravi labore vix reperiri queant; ac praeterea, pro variis locis casibusque peculiaribus plerumque emanatae, quamdam aliquando antinomiae speciem inter sese ferre videantur; ut in re quotidiani fere usus, quae in diversis Ecclesiis, pro varietate Titularium ac Patronorum, necessario est dissimilis, norma quaedam certa habeatur et obvia : Sacra Rituum Congregatio, re mature considerata, per Generale Decretum ad dubia quaecumque tollenda, ea, quae sequuntur, declarare ac decernere statuit :

I. Quilibet, sive Secularis sive Regularis, alicuius Ecclesiae servitio, quocumque canonico titulo, addictus, dummodo Ecclesia sit publica etsi non consecrata, tenetur, tam in Vesperis quam in Laudibus, diebus a Rubrica notatis, inter Suffragia Commemorationem agere de eiusdem Ecclesiae Titulo, non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili; et quamvis Commemoratio iam soleat fieri Patronorum loci vel regionis.

II. Commemorationes in Suffragiis nunquam fiant de iis Mysteriis vel Sanctis, de quibus eadem die agitur Officium. Immo neque in Officio votivo de Passione fiat Commemoratio de S. Cruce aut de SS. Sacramento, in quo recolitur memoria

Passionis Christi ; sed neque de S. Michaele Archangelo in Officio votivo Ss. Angelorum.

III. Similiter Commemoratio de Ecclesiae Titulo, iam communiter in Suffragiis agenda, semel tantum fiat, et per Antiphonam communem. Itaque, si Titulus Ecclesiae sit ipsa sancta Crux, eius Commemoratio, tam intra quam extra tempus Paschale, non fiat nisi semel ; et per Antiphonam, Versiculum et Orationem, quae inter Suffragia pro diversitate temporum annotantur. Pari prorsus modo, Commemoratio de Beata Maria Virgine, alicuius Ecclesiae Titulari, etiam sub denominatione Annuntiationis, vel Assumptionis, vel huiusmodi quacumque alia, fiat semper per Antiphonam communem *Sancta Maria succurre miseris.*, cum Versículo et Oratione ibidem suppositis: et haec sola Commemoratio sufficiat, ut dictum est supra.

IV. Si vero tam Officium diei, quam Commemorationes circa idem obiectum, haud tamen sub eadem ratione versentur; tunc Commemoratio Tituli non omittatur. Sic de SS. Salvatore, Ecclesiae Titulo, agenda est Commemoratio etiam postCommemorationem S. Crucis, immo in ipsa Dominica II Quadragesimae.

V. Ceterum de Titulo Commemoratio fiat omnino specialis, nec sufficit eidem cum aliis Sanctis non Titularibus communis.

VI. Notandum autem est Commemorationem Beatae Mariae Virginis communem omittendam esse in Choro, iuxta Rubricam, quum recitatur eiusdem Beatae Virginis Officium parvum.

VII. Tituli Commemoratio inter alia Suffragia locum teneat, pro dignitate ipsius, a Rubricis assignatum. Sic ex. gr. Commemoratio S. Michaelis Archangeli praeponatur Commemorationi S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, quorum quidem Commemoratio praeponenda est Commemorationi aliorum Apostolorum.

VIII. Praeter Commemorationem de Titulo seu Patrono Ecclesiae (et Regulares etiam de proprio Fundatore), nulla de Patrono Loci, vel Dioeceseos, Provinciae aut Regni, vi Rubricae facienda est ; nisi contraria vigeat consuetudo. Quo in casu, nisi aliter exigat personalis dignitas, Commemorationes huiusmodi hoc ordine fiant : ut Loci seu Civitatis Patronus Patrono Dioeceseos, hic vero Patronis universàlioribus, in Suffragiis anteponatur.

Die 27 Iunii 1899.

MELITEN.

In ecclesiis extra moenia civitatis episcopalis fieri non debet Octava Dedicationis ecclesiae cathedralis.

Postulato R. D. Salvatoris Chircon, Parochi ecclesiae S. Pauli in loco *dei Rabato* nuncupato : « An de Anniversariis Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in Civitate *Notabili,* Dioeceseos Meliten., fieri debeat Octava in praedicta ecclesia Parochiali S. Pauli, quae sita est extra moenia ipsius Civitatis *Notabilis»;* Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit : *Negative,* iuxta Decretum N. 3863, d. d. 9 Iulii 1885, ad IV (1).

Atque ita rescripsit, die 18 Decembris 1903.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. f S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) *En citati decreti tenor ad IV:* « Ad anniversarium autem quod spectat Dedicationis Cathedralis Ecclesiae, S. R. C. iubet, ut illud celebretur ab universo Clero Saeculari Dioecesis sub ritu duplici primae classis, in Civiiale Episcopali cum octava, extra vero sine octava. Idem festum recolenl ii tantum ex Clero Regulari, qui in Civitate degunt Episcopali, sub ritu duplici secundae classis sine octava ».

Ecclesia parochialis S. Pauli, de qua hic loquitur, non tenetur celebrare Octavam Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in civitate *Notabili,* quia, uti supponitur, ita extra ipsius civitatis episcopalis moenia invenitur, ut dici possit extra eamdem civitatem posita, nempe ut non sit nec eius suburbium nec eidem adiacens. Sane phrasis *extra moenia,* saltem iuxta nostrum intelligendi modum, non semper aequivalet alii *extra civitatem;* quum conlingere possit ut aliqua ecclesia, propter incolarum augmentum et novam civitatis extensionem, extra ipsius civitatis moenia aedificetur, quin ex hoc partem ipsius constituere desinat.

Moenia enim antiquitus erant veluti propugnaculum ab hostibus, nunc vero nonnisi historicum monumentum praeseferunt; ideoque nunquam efficere valent ut quod extra ipsa invenitur, hoc ipso extra civitatem existat. Hinc ecclesia, quae materialiter sit extra moenia sed considerari possit veluti pars civitatis, tenetur peragere Octavam Dedicationis ipsius Cathedralis Ecclesiae.

Quo in conceptu insistimus etiam hac de causa, quia nempe nobis constat quod facultates v. g. Regularium proprias, et quarum exercitium aliis minime conceditur, nisi pro iis locis, in quibus eorumdem Conventus non existit, praesertim vero in Urbe Roma, ubi quamplures habentur Conventus horum Ordinum Religiosorum, nonnulli extra Urbis moenia vulgo in *nova Roma* exercere sibi licitum esse duxerunt et ducunt.

STRIGONIEN, SEU CASSOVIEN.

Decretum Beatificationis seu declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei Marci Crisini canonici Strigoniensis, Stephani Pongracz, Melchioris Grodecz, sacerdotum e Societate Iesu.

SUPER DUBIO

« An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum, de quo agitur ».

Effusus diu lateque Christi martyrum sanguis tam illustrem Ecclesiae historiam comparavit, ut huic aemulae caelestis Hierusalem commode possint verba regii vatis aptari : « *Gloriosa dicta sunt de te eivitas Dei*». Dum vero, ut habet Augustinus, « *sanguine martyrum suorum Ecclesiae corpus ornatur* », (Serm. 41 de *Pass. Dom.)* recordatio illa invictae fortitudinis atque constantiae ad fidem roborandam, ad fovendam pietatem mire conducit, excitatque memoriam Paulinae sententiae : « *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* ». Eorum ingenti numero, unde admirabilis huiusmodi historia coalescit, tres hodie adiiciuntur, Cassoviae ab haereticis in odium religionis perempti an. MDCXIX. Sunt autem hi Marcus Crisinus canonicus Strigoniensis, Stephanus Pongraczius et Melchior Grodeczius, ambo sacerdotes e Societate Iesu.

Marcus Crisinus, Romae olim Collegii Germanici alumnus, deinde in Graecensi Academia philosophiae doctor, vitae modestia, gravitate morum et studio religionis eluxit. Is, quum aliquot annos Strigoniensi Seminario magna eruditionis et virtutis laude praefuisset, in Canonicorum eius loci collegium adscitus est. Inde dimissus, ut Seminarii Hungarici curam susciperet, quum in id negotii diligentissime incumberet, nactus est occasionem martyrii ex Germanico bello ab haereticis excitato saeculo XVII, atque adeo ex Bohémica illa perduellione anni MDCXVIII, quae brevi Moraviam, Lusatiam, Silesiam, Hungariam, ipsamque Austriam in perfidiae societatem traxit.

Ineunte mense Septembri anni MDCXVIII, quum percrebuisset rumor imminere Cassoviae copias haereticorum, horumque excitata factio in seditionem erumperet, divexans maxime sacerdotes, Marcus Crisinus accessit patribus Stephano Pon-

graczio Húngaro et Melchiori Grodeczio Silesio, quos regius ille dux una cum Cassoviensibus catholicis expetiverat, ut christiana ibi negotia procurarent. Etsi autem hi sancti viri ministerii sui causa absentes periculum vitare poterant, nihilominus, ubi ancipitem didicere catholicorum statum, statim ad aciem, seu potius ad certissimam mortem convolarunt

Ibi non diu se impiorum ira continuit. Nam statim indictum est Venerabilibus Dei Servis ne domo pedem efferrent; tum, circumsepta militibus aede, omnes ab illorum accessu prohibiti, ipsique subsidio quovis ac cibo destituti. Tandem in pervigilio nativitatis Deiparae, haereticorum satellites noctu in Christi confessores impetum faciunt. Atque occurrentis primum Stephani pectus ferrea clava percutiunt; resupinum semianimemprosternunt; inde nudant, eiusque manibus revinctis post terga, faces lateribus admovent, ad usque detecta viscera, ustulant, membra per summam ignominiam exsecant, pede contundunt cir. cumducto capiti loro arctissime, ut oculi exilire viderentur, volutatum in proprio sanguine trahunt; etiamtum spiranti duobus gravissimis vulneribus caput sauciant. Ad ultimum fessi mortuumque hominem rati in proximam cloacam detrudunt, ubi horas viginti vitam morte peiorem produxit ea fortitudine atque constantia, ut aedituum forte illae transeuntem ad fidei firmitatem cohortari non dubitaverit. Eadem propemodum, nec minori animi vi, passi sunt Marcus et Melchior, et ipsi ustulati, exsecati, contusi, in cloacam proiecti, uno exitus discrimine, quod hi abscisso capite occubuerunt.

Vulgata, eademque constans opinio martyrii, et gloriae Venerabilium Servorum Dei splendidiore luce perfusa ob signa complura, seu prodigia, praesertim quae circa ipsorum gloriosum sepulcrum edita sunt, brevi effecerunt ut de horum martyrio institueretur actio, et canonicae inquisitiones tum auctoritate Ordinaria tum Apostolica fierent. Quibus rite confectis iisdemque habitis legitimis, validis in Ordinario coetu S. Rituum Congregationis pridie calendas Martias an. MDCCCLXVIII ad Vaticanum coacto, et PP. Cardinalium sententia confirmata a SSmo Domino Nostro Pio PP. IX fel. rec. sexto idus Martias eiusdem anni, instaurata causa est, ac de Summi Pontificis Leonis XIII fel. rec. venia peculiari ordini PP. Cardinalium commissa, de qua sententiam proferrent. In eo coetu habito decimo sexto calendas Quintiles anni mox elapsi in Aedibus Va-

ticanis quum propositum fuisset Dubium : « *An constet de martyrio eiusque causa Venerabilium Servorum Dei Marci Crisim Canonici Strigoniensis., Stephani Pongracz et Melchioris Grodecz, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in easu et ad effectum de quo agitur*», omnes qui aderant Rmi Cardinales et Officiales Praesules latis suffragiis constare censuerunt. Verum SSmus Dominus Noster Pius PP. X, recens ad Petri cathedram evectus, quem providentissimus Deus uti Christianis solatio dedit, sic diutissime sospitem servare gratulantis Ecclesiae bono et sanctorum suorum gloriae velit, auditis omnibus, quae a Rmo Cardinali Seraphino Cretoni S. R. Congregationi Praefecto fideliter ad Ipsum relata sunt, a supremo Suo proferendo iudicio supersedendum duxit, graviterque perpendens quanti res ponderis esset, spatium Sibi sumpsit divinae opis implorandae.

Tandem hac die quae ad anniversariae lucis declarationis Christi celebritatem illuxit, idem SSmus Pater, sacris ante religiosissime operatus, ad Se accivit Rmos Cardinales Seraphinum Cretoni S. R. Congregationi Praefectum et Andream Steinhuber causae Relatorem una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque praesentibus solemniter pronunciavit. « *Ita. constare de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum Ullistrantibus praedictorum Venerabilium Servorum Dei Marci Crisini Canonici Strigoniensis, Stephani Pongracz et Melchioris Grodecz Sacerdotum e Societate Iesu, ut procedi possit ad ulteriora in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Hoc autem Decretum vulgari et in acta S. Rituum Congregationis referri iussit VIII idus Ianuarias, anno MDCCCCIV.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

S. THOMAE DE MELIAPOR.

Conceditur indultum Missae votivae de S. Thoma Apostolo Sacerdotibus peregrinis ad eiusdem Altare Orthonae sacrum litantibus.

Cupiens Rmus Dominus Theotonius Emmanuel Ribeiro Vieira de Castro, Episcopus Sancti Thomae de Meliapor, ut

cultus et pietas erga ipsum Sanctum Apostolum, qui Indiarum gentibus Evangelium praedicavit, eiusque Reliquiae Orthonae intra fines eiusdem dioeceseos magna religione asservantur, magis magisque foveatur atque augescat : Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X supplicibus votis rogavit, ut cuilibet sacerdoti, in Altari sacrum operanti, ubi sancti Apostoli memoratae Reliquiae custodiantur, Missam votivam de S.Thoma celebrare liceat, etsi Officium ritus duplicis occurrat. Sanctitas porro Sua eiusdem preces peramanter excipiens petitum privilegium Missae votivae ita benigne indulgere dignata est, ut Sacerdotibus tantum peregrinis, vel turmarum pie illuc peregrinantium ducibus, ad enuntiatum Altare sacrum facturis Missam votivam de S. Thoma Apostolo fas sit celebrare: dummodo non occurrat Duplex primae vel secundae classis, nec non Dominica, Feria, Vigilia vel Octava, quae sit ex privilegiatis : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 20 Ianuarii 1904.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

+ D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

PLOCEN.

Cantilenae vernaculae in Missis cantatis, etiam sine Ministris sacris, omnino prohibentur.

Quum quaedam Ephemerides Polonicae, quae Varsaviae eduntur, nuper asseruerunt, aliquem Ordinarium huius Provinciae Varsavien, obtinuisse a S. Sede permissionem pro populo, canendi iuxta antiquum morem, tempore Missae solemnis, sine Ministris sacris celebratae, varias cantilenas pias in lingua vernacula, omissis iis, quae a Rubricis cani praescribuntur, hodiernus Riïius Dominus Episcopus Plocensis a Sacrorum Rituum Congregatione opportunam sequentium dubiorum solutionem reverenter expetivit:

I. Sitne reapse data talis permissio cuidam Antistitum huius Varsaviensis Provinciae?

II. In casu affirmativo ad I., sitne hoc merum tantummodo privilegium pro una Dioecesi vel extendi possit ad omnes Dioeceses huius Provinciae?

III. In casu affirmativo ad IL, sintne Decreta Sacrae Rituum Congregationis n. 3365 *Clodien.,* 7 Augusti 1875 ad VII; n. 3496 *Praefecturae Apostolicae de Madagascar,* 21 Iunii 1879 ad I. ; n. 3880 *Bisarchien.,* 31 Ianuarii 1896 ; et n. 3994 *Ploeen.,* 25 Iunii 1898 ad I. abrogata?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, requisito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. *Affirmative et ad tempus* quoad supradictas cantilenas, die 22 Aprilis 1899; sed haec permissio iam fuit revocata *Motu Proprio* SSmi D. N. Pii Papae X *super Musica sacra* 22 Novembris 1903, et Decreto S. R. C. *Urbis et Orbis* 8 Ianuarii 1904.

Ad II. *Provisum in primo.*

Ad III. *Negative,* et serventur Decreta praedictis *Motu Proprio* et Decreto *Urbis et Orbis* confirmata (1).

Atque ita rescripsit, die 29 Ianuarii 1904.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) A supra memoratis Decretis haec duo principia statuuntur, nempe :

I°. In Missis solemnibus seu cantatis, cum vel sine sacris Ministris, cani semper debent partes Missae sive variantes sive communes, iis tantummodo exceptis, quae iuxta Rubricas ab Organo suppleri possunt, quaeque de cetero clara et intelligibili seu submissa voce sunt in Choro recitandae.

2°. Cantica in vernáculo idiomate in functionibus et Officiis liturgicis solemnibus, ideoque etiam in Missis cantatis, non esse toleranda sed omnino prohibenda; tamen extra functiones liturgicas, et in ipsa Missa privata, servetur consuetudo.

Quae omnia nuperrime confirmata sunt a *Motu Proprio* Pii PP. X *de Musica sacra* diei 22 Novembris 1903 § III *de textu liturgico* n. 7 et 8, necnon a subsequenti Decreto *Urbis et Orbis* diei 8 Ianuarii 1904, quae prostant in *Acta S. Sedis,* huius voluminis pag. 329, 387 et 426.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

ET SS. RELIQUIARUM

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

Formula absolutionis generalis pro Tertiaris in communitate degentibus et vota simplicia nuncupantibus.

Petrus Oomen, Procurator Generalis Congregationis SSrhi Redemptoris, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequens dubium dirimendum proposuit:

Utrum in impertienda absolutione generali iis Tertiariis, qui in Communitate degunt votaque simplicia nuncupant, adhibenda sit prima formula: *Ne reminiscaris,* an potius altera: *Intret oratio?*

Et S. Congregatio, audito unius ex Consultoribus voto, respondendum mandavit:

« Attento Decreto diei 28 Augusti 1903 (1) pro Tertiariis in Communitate degentibus et vota simplicia nuncupantibus, adhibenda est prima formula: *Ne reminisearis* (2)».

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 11 Novembris 1903.

A. CARD. **TRIPEPI,** ***Praefectus.***

L. * S.

f F. Sogaro, Arch. Amiden., ***Secret.***

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* praesentis vol; pag. 377.

(2) Quae formula prostat in *Acta S. Sedis,* vol. XV, pag. SO, necnon in Rituali Romano. Leo PP. XIII sa. me., per Breve Apostolicum *Quo universi* diei 7 Iulii 1882, penitus abrogatis et suppressis quibuslibet benedictionis et absolutionis generalis formulis penes Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes tunc usitatis, unam eamdemque ab omnibus in posterum respective in eiusmodi benedictione et absolutione adhibendam formulam statuit. Quamobrem decrevit ut in absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus adhibeatur formula, quae incipit cum Antiphona: *Ne reminiscaris;* in benedictione vero generali cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus, adhibeatur altera formula, quae inchoatur cum Antiphona: *Intret Oratio.*

Quum autem per nuperrimum Decretum superius citatum diei 28 Augusti 1903 Tertiarii in communitate viventes cum votis simplicibus participent omnes Indul-

SUMMARIUM

Indulgentiarum, Privilegiorum et Indultorum, quae RR. Pontifices Ordini S. Ioannis de Deo concesserunt.

I. PRO RELIGIOSIS TANTUM.

A. — *Indulgentiae Plenariae.*

I° Christifidelibus die quo habitum Ordinis canonice susceperint;

2° Novitiis qui, post completum probationis annum, professionem emiserint;

3° Fratribus prima die cuiuslibet Capituli generalis;

4° Iisdem qua die primam Missam celebraverint;

5° Iisdem qui Missae a fratre Ordinis prima vice celebratae interfuerint;

6° Iisdem qui per decem dies, ab aliorum conversatione separati, SS. Spiritualibus Exercitiis, videlicet piis lectionibus, meditationibus mysteriorum fidei, orationibus vocalibus, saltem per duas horas quotidie, operam dederint;

•gentias et spirituales gratias respectivis primis et secundis Ordinibus directe concessas, sublata qualibet communicatione indulgentiarum cum Tertiariis in saeculo viventibus, hinc S Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita per hodiernum Decretum mandavit ut, etiam in absolutione generali impertienda Tertiariis in communitate degentibus et vota simplicia nuncupantibus, adhibeatur prima formula: *Ne Reminiscaris.*

Tamen in benedictione generali pro Tertiariis in saeculo viventibus etiam nunc adhibenda est secunda formula: *Intret oratio.* Ipsis enim prius Rescripto diei 31 Ianuarii 1893, dein vero Decreto in una *Surrentina* diei 18 Iulii 1902 (Cfr. *Acta S. Sedis,* hoc vol. pag. 434) penitus sublata est quaelibet, *etiam speciali indulto concessa,* Indulgentiarum et gratiarum spiritualium communicatio sive cum respectivo Ordine ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus. Quinimo Summus Pontifex Pius X, aliter providere volens unicuique Ordini Tertiariorum Saecularium per propriam Indulgentiarum elargitionem, per supra memoratum Decretum in una *Surrentina* diei 18 Iulii 1902 mandavit omnibus Generalibus Ordinum Religiosorum, Tertium saecularem Ordinem habentibus, ut S. Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum exhibeant novum Summarium Indulgentiarum, quas pro suo Tertio Ordine saeculari obtinere cupiunt. Nos in *Acta S. Sedis* iam edidimus duo Indulgentiarum Summaria pro Tertiariis Saecularibus, nempe Ordinis Eremitarum S. Augustini necnon Carmelitarum, uti videre est in hoc ipso volumine pag. 186 et 241; alia vero Summaria, statim ac a Rñíis Patribus Generalibus exhibita et a S. Congregatione approbata fuerint, dabimus.

Dummodo dictis diebus vere poenitentes ac confessi Sacram Communionem sumpserint, aliquam ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint et inibi pias ad Deum preces f uderin t.

7° Iisdem si a Superioribus missi, in itinerum aut infidelium periculis constituti, confiteri nequiverint, saltem vere contriti nomen Iesu ore vel corde devote invocaverint.

8° Iisdem in articulo mortis constitutis, si uti supra dispositi, vel saltem contriti, nomen Iesu ore si potuerint,, sin minus corde devote invocaverint.

B .— *Indulgentiae Partiales.*

a) Quinque annorum totidemque quadragenarum semel in die, si fratres ante altare eorum ecclesiae,, vel si de eorum Superiorum permissu in itinere fuerint aut extra claustra degerint, ante quodlibet altare,, quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam devote recitaverint.

b) Trium annorum et totidem quadragenarum si corde contrito in Capitulo culparum suarum imperfectiones accusaverint et exercitium virtutum fecerint.

II. PRO OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS.

A.—*Indulgentiae Plenariae.*

I° Die festo principali seu titulari ecclesiarum Ordinis et hospitalium respective;

2° In festo SSmi Cordis Iesu;

3° Feria secunda post Pascha Resurrectionis;

4° In festo Imm. Conceptionis,
5° Nativitatis,
6° Annuntiationis,
7° Purificationis,
8° Assumptionis,
} B. Mariae Virginis;

9° Patrocinii B. M. V. (Domin. III Novem.);

10° B. M. V. de Bono Consilio (26 Apr.);

11° S. Ioseph Sp. B. M. V. (19 Mart.);

12° S. Ioannis de Deo Fundatoris, et

13° Uno ex duobus diebus ipsum festum immediate sequentibus ;

14° Translationis eiusdem sancti Fundatoris;

15° S. Raphaelis Arch. (24 Oct.), vel uno ex septem diebus immediate sequentibus.

16° S. Ioannis Ap. et Ev. (27 Dec.) ;

17° S. Augustini Ep. et Doct. (28 Aug.) ;

18° Conversionis eiusdem sancti Doctoris (5 Maii);

19° et 20° Translationis eiusdem Sancti (28 vel 29 Febr. et 11 Oct.);

21° S. Caroli Borromaei, primi Protectoris Ordinis;

22" Beati Ioannis Grande, vulgo *Pecador* (3 Iun.);

Dummodo praefatis diebus, vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti, aliquam ecclesiam seu publicum oratorium ordinis visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint.

23° Christifidelibus in nosocomiis Ordinis in articulo mortis constitutis, dummodo uti supra dispositi, vel saltem contriti, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

B . — *Indulgentiae partiales.*

*a) Septem annorum totidemque quadragenarum^*

I° In festo Nativitatis D. N. I. C,

2° In solemnitate Pentecostes,

Christifidelibus, qui confessi ac S. Communione refecti a primis vesperis ad occasum solis dictorum dierum ecclesias Ordinis devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint.

3° Fidelibus infirmis prima die qua, post eorum ingressum in hospitalia Ordinis, vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiam sumpserint.

b) Centum dierum

1° Omnibus christifidelibus, qui infirmos in praefata hospitalia adduxerint; item, quoties aliquod misericordiae spiritualis vel corporalis opus erga praedictos infirmos exercuerint; vel eorum defunctorum corpora ad sepulturam comitati fuerint; vel ecclesiam hospitalium in

qualibet Dominica mensis visitaverint; vel dixerint « Laudetur Iesus Christus», aut responderint «Amen».

2° Infirmis in hospitalibus Ordinis degentibus quoties post primam vicem, vere poenitentes et confessi, SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

III. PRIVILEGIA ET INDULTA.

I° Altare, S. P. Toanni de Deo in qualibet ecclesia vel nosocomio Ordinis dicatum, est privilegiatum quotidianum perpetuum.

2° Missae omnes quae pro Religiosis Ordinis defunctis ad quodcumque altare ecclesiarum eiusdem Ordinis celebrentur sunt privilegiatae.

3° Missae omnes, quae pro infirmis in Ordinis nosocomiis defunctis, celebrantur, sunt pariter privilegiatae.

4° Quicumque ex Religiosis Ordinis, quamvis laicus, particularem Iesu Christi D. N. Crucifixi imaginem, quae mutari non possit nisi in casu amissionis vel deperitionis, semel eligere valet; eamque porrigere infirmis morti proximis sive in nosocomiis Ordinis, sive extra ubivis ex mandato Superioris in sua infirmitate adultis; qui si corde contriti ac christiano affectu praefatam imaginem deosculati fuerint vel tetigerint, plenariam indulgentiam consequi valent.

5° Sacerdotes tam regulares quam saeculares spirituali adsistentia infirmorum in nosocomiis Ordinis addicti, iisdem in articulo mortis constitutis, benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia impertiri valent, iuxta formulam in rituali romano praescriptam.

6° Quilibet sacerdos Ordinis, a Superiori locali deputatus, potest bis in anno, sed non eodem die neque in eodem loco quo Episcopus, impertiri fidelibus ad ecclesias vel ad oratoria publica Ordinis confluentibus Apostolicam benedictionem, iuxta formulam approbatam a Benedicto XIV f. r. in Const. « *Exemplis* » diei 19 Martii 1748.

7° Religiosi Ordinis suam ecclesiam devote visitantes ibique ad mentem Summi Pontificis orantes, easdem indulgentias sta tiona les consequuntur, quas lucrarentur

si ecclesias Urbis, diebus in Missali Romano designatis, personaliter visitarent, dummodo cetera opera iniuncta praestiterint.

8° Indulgentiae Viae Crucis adnexae Crucifixis, **a sacerdote franciscali vel ab alio sacerdote a Ministro Generali Ordinis Minorum facultatem habente benedictis pro quolibet e fratribus Ordinis, lucrari valent etiam ab aegrotis graviter laborantibus quibus adstant; dummodo iidem aegroti cum illis exercitium Viae Crucis pie peragant, aut, si id nequeant, mente saltem et corde illud devote sequantur.**

9° Aegroti degentes in nosocomiis Ordinis lucrari valent plenarias indulgentias in hoc elencho sub num. *IL A.* recensitas, si loco visitationis ecclesiae aliquod pium opus a confessario iniunctum peregerint.

10° Aegroti et Religiosi in hospitalibus Ordinis, in Urbe tantum commorantes, participes esse possunt indulgentiarum, quae pro novemdialibus, octiduis ac triduis conceduntur, si preces in usum eorum hospitalium redactas, loco praescriptarum, recitent omnes insimul ac devote, absque benedictione cum SSmo Sacramento.

Omnes et singulae indulgentiae in hoc summario relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, applicari etiam valent animabus defunctorum in Purgatorio existentibus.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium, ad examen denuo revocatis documentis Apostolicarum concessionum, approbavit et typis mandari benigne permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 28 Novembris 1903.

L. * S.

f F. SOGARO, **Archiep. Amiden.,** ***Secretarius.***

SUMMARIUM

Indulgentiarum Archisodalitati SSmi Cordis Iesu Eucharistici in Ecclesia S. Ioa« chim de Urbe existenti tributarum.

I. *Indulgentiae Plenariae.*

I° Omnibus ex utroque sexu Christifidelibus die eorum ingressus in Archisodalitatem, dummodo vere poenitentes et confessi S. Synaxim sumpserint.

2° Omnibus Sodalibus a primis vesperis ad occasum solis.

a) **Feria V in Coena Domini,**

b) **diei festi SSmi Cordis Iesu,**

si praefatis diebus uti supra dispositi aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint.

3° Iisdem die anniversaria erectionis Archisodalitatis romanae, dummodo uti supra dispositi respectivam parochialem ecclesiam a primis vesperis ad occasum solis praedicti diei devote visitaverint ibique uti supra oraverint.

4° Iisdem sodalibus, qui iuxta Archisodalitatis statuta semel saltem in unaquaque hebdomada per dimidium horae SSmum Sacramentum adorare consueverint, quatuor anni diebus, ab Ordinario semel designandis, quibus confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint.

5° Iisdem sodalibus, qui pariter semel in hebdomada per dimidium horae praescriptam SSmi Sacramenti adorationem peragere consueverint, atque uti supra dispositi ecclesiam seu oratorium ubi sodalitas erecta reperitur visitaverint, ibique uti supra etiam oraverint a primis vesperis ad occasum solis sequentium dierum:

a) **Nativitatis D. N. Iesu Christi ;**

b) **Paschatis Resurrectionis;**

e) **Ascensionis;**

d) **SSihi Corporis Christi;**

e) **Assumptionis B. Mariae V.;**

f) **Prima feria V. Aprilis.**

II. *Indulgentiae Partiales.*

I° *Bis centum dierum,* semel in die, sodalibus, qui corde saltem contrito ac devote SSmum Eucharistiae Sacramentum per dimidium horae quocumque anni die adoraverint.

2° *Centum dierum,* item semel in die, si corde pariter contrito ac devote sequentem orationem recitaverint: *« Cor Iesu Eucharisticum, in nostro exilio solatium, da pacem Ecclesiae ».*

3° *Quinquaginta dierum,* pariter semel in die, sodalibus pro recitatione, uniuscuiusque ex sequentibus precibus iaculatoriis: — «a) *Sit Cor Iesu Eucharisticum benedictum ! — b) Cor Iesu Eucharisticum, miserere nobis! ».*

Omnes et singulae Indulgentiae superius memoratae, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in igne purgatorio detentis.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium, ad examen revocatum, authenticum declaravit illudque typis mandari benigne permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 24 Novembris 1903.

L. * S.

f F. SOG-ARO, Archiep. Amiden., *Secretarius.*

ROMANA

Indulgentiae largiuntur recitantibus quasdam Orationes in honorem S. Ioannis Baptistae.

Beatissimo Padre,

Il Sacerdote Giambattista M. Menghini, Ceremoniere Apostolico, prostrato al Trono della S. V., La supplica umilmente, affinchè, ad alimentare la divozione verso il gran Precursore di N. S. G. G., S. Giovanni Battista, voglia degnarsi di concedere in perpetuo a tutti i fedeli, che reciteranno devotamente e con cuore contrito le infrascritte preghiere, l'Indulgenza di duecento

giorni da lucrarsi una volta al giorno; di trecento giorni da lucrarsi in ciascun giorno, se le reciteranno per lo spazio di un triduo o di una novena; la plenaria nel decorso di detto spazio di tempo, o in uno degli otto giorni susseguenti, se si accosteranno, avendole recitate ogni giorno del triduo o della novena, ai SS. Sacramenti della Confessione e Comunione, e pregheranno secondo *V* intenzione del Sommo Pontefice. La supplica inoltre a concedere che le predette Indulgenze possano applicarsi a modo di suffragio alle anime del Purgatorio.

Che, ecc.

ORAZIONI A S. GIOVANNI BATTISTA.

I. — O glorioso S. Giovanni Battista, fra i nati di donna il profeta più grande (Lue. VII, 28), voi, benché santificato sin dal seno materno, e di vita innocentissima, purtuttavia voleste ritirarvi nel deserto, per ivi praticare l'austerità e la penitenza; deh! otteneteci dal Signore la grazia, che, distaccati, almeno coli' affetto del cuore, da ogni bene terreno, pratichiamo la cristiana mortificazione, col raccoglimento interiore, e con lo spirito di santa orazione.

Pater, Ave, Gloria.

II. — O Apostolo zelantissimo, che senza operare in altri alcun prodigio, ma solamente coli' esempio della vostra vita penitente, e coli' efficacia della vostra parola, vi traeste dietro le turbe, per disporle ad accogliere degnamente il Messia, ed ascoltarne le celesti dottrine; deh! fate, che ancora a noi sia dato, coli' esempio di una santa vita, e coli' esercizio delle buone opere, di condurre molte anime a Dio; quelle soprattutto che sono avvolte dalle tenebre dell'errore e dell'ignoranza, e traviate dal vizio.

Pater, Ave, Gloria.

III. — O Martire invitto, che per l'onore di Dio e per la salute delle anime, con fermezza costante vi opponeste, a costo pur della vita, all' empio Erode, rimproverandogli apertamente la sua vita perversa e dissoluta; deh! impetrateci un cuore forte e generoso, affinchè, vincendo ogni umano rispetto, francamente professiamo la nostra fede, e seguiamo gl'insegnamenti di Gesù C. nostro divino maestro.

Pater, Ave, Gloria.

T. Ora pro nobis, S. Ioannes Baptista.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus

Deus, qui praesentem diem honorabilem nobis in Beati Ioannis Nativitate (commemoratione) fecisti; da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis aeternae. Per Christum Dominum Nostrum.

R). Amen.

Pro gratia iuxta preces, servatis servandis, et absque ulla Brevis expeditione.

Die 9 Ianuarii an. 1904.

PIUS PP. X

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 11 Ianuarii 1904.

L. œ S.

Iosephus M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

COLONIENSIS.

Solemnitas externa sufficit ad plenariam Indulgentiam lucrandam, Festo B. M. V. *de perpetuo succursu* adnexam.

Antonius Card. Fischer, Archiepiscopus Coloniensis, huic S. Congregationi Indulgentiarum humiliter exponit quae sequuntur:

Christifidelibus visitantibus Imaginem B. Mariae Virginis sub titulo *de perpetuo succursu* in ecclesiis publicisque sacellis expositam inter alias conceditur per Breve Apostolicum etiam plenaria Indulgentia lucranda die Dominica ante festum S. Ioannis Baptistae, qua «festum eiusdem S. Imaginis, habita facultate, ibidem celebrabitur ». Nunc quaeritur : Utrum ad plenariam Indulgentiam lucrandam huic festo adnexam sufficiat solemnitas tantum externa, ex. gr. ornatum altaris, in quo eo-

litur Sacra Icon, publicae preces coram ipsa fundendae etc., vel saltem sufficiat Missa votiva in honorem B. M. V. *de perpetuo sueeursu* (prout indultum est ecclesiis et sacellis Confraternitatum eiusdem tituli); an vero requiratur omnino celebratio festi cum Officio et Missa propriis?

S. Congregatio, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit:

« Sufficit tantum solemnitas externa » (1).

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 21 Ianuarii 1904.

A. CARD. **TRIPEPI, *Praefectus.***

L. S.

f F. SOGARO, **Archiep. Amiden., *Secret.***

EX S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

WLADISLAVIEN.

Datur facultas declarandi Altaria privilegiata.

Beatissime Pater,

Episcopus Wladislaviensis seu Calissiensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime quae sequuntur exponit: Die 10 Iunii 1902 concessa-sibi est ad septennium facultas decorandi privilegio Apostolico pro defunctis unum altare in parochialibus et collegiatis ecclesiis suae dioeceseos. Cum tamen in dioecesi hac plures adhuc extant ecclesiae filiales et olim regularium, in quibus officium persolvitur divinum, Praedecessor oratoris etiam in favorem harum ecclesiarum a S. Sede Apostolica obtinuit facultatem decorandi altaria privilegio Apostolico. Quapropter praefatus Episcopus Sanctitati Vestrae sup-

(1) Nempe sufficit ut coram Imagine B. M. V. *de perpetuo succursu* publicae effundentur preces; neque ullo modo requiritur Missa votiva de B. M. Virgine, et eo minus Missa propria cum Officio pariter proprio. Quinimo hoc verum est etiam in casibus similibus pro plenariae Indulgentiae adquisitione, nisi aliter ex Pontificia concessione constet.

plicat quatenus eamdem facultatem, scilicet tria altaria in Cathedrali Wladislaviensi, duo in Collegiata Calissiensi, atque unum in omnibus tum parochialibus, tum filialibus, tum regularibus ecclesiis, sive religiosae familiae existant, sive absint, privilegio Apostolico decorandi, S. V. benigne concedere dignetur. Quod Deus etc.

Ex audientia SSmi, die 12 Ianuarii 1904.

SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces et ad quindecim annos, ab hac die inchoandos; facta insuper potestate Episcopo oratori altarium privilegia communicandi prudentiori ac faciliori modo, quo per temporum ac locorum adiuncta ipsi liceat. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. * S.

f PETRUS, Archiep. Caesarem, *Secretarius.*

EX 3. CONGREGATIONE STUDIORUM

Doctorales laureae a S. Congregatione Studiorum sine examine concessae aequiparantur laureis Catholicarum Universitatum.

Proposito dubio: An doctoris laurea quae a S. Sede per S. Congregationem Studiorum amplissimis viris concedi solet, sive in Theologia, sive in Iure Canonico, nullo facto periculo, sed tantum propter eorumdem praeclara merita rite probata, habeat omnia iura et privilegia quae habet doctoris laurea a candidatis in Catholicis Universitatibus per factum periculum acquisita, vel potius habenda sit solummodo honorifica?

Sacra Congregatio Studiis moderandis praeposita, die 18 Decembris vertentis anni 1903 respondendum censuit: *Affirmative* ad primam partem: *Negative* ad alteram.

Quam sententiam in audientia habita ab Emo Cardinali Praefecto, die 19 mense Decembri 1903, Sanctissimus D. N. Pius Papa X ratam habuit et confirmavit.

F. CARD. SATOLLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

ASCENSUS DANDINI, *Secretarius.*

EX VICARIATU URBIS

[Documenta exhibenda a promovendis ad Ordines in alma Urbe (1).

I.

Documenta a romanis, ad primam clericalem Tonsuram et ad minores Ordines promovendis, exhibenda.

1. Supplex libellus ad Emum Urbis Vicarium, pro admissione ad primam Tonsuram vel ad minores Ordines.
2. Testimonium Baptismi.
» legitimi matrimonii suorum parentum.
» status liberi, si XIV annum aetatis excesserint.
» primae clericalis Tonsurae vel ultimi Ordinis minoris suscepti.
» Parochi de vita et moribus.
» de Sacramentorum frequentia.
» Praefecti Scholarum de studiis.
» Praefecti Clericorum.
3. Obligatio alimentorum per parentes, vel alios consanguineos emittenda ante susceptionem Tonsurae.

II.

Documenta ab exteris, ad primam clericalem Tonsuram vel ad minores Ordines promovendis, exhibenda.

1. Supplex libellus ad Emum Urbis Vicarium, pro admissione ad primam Tonsuram vel ad minores Ordines.
2. Litterae dimissoriales proprii Ordinarii.
3. Testimonium Parochi Urbis de vita et moribus.
» de Sacramentorum frequentia.
» de studiis.

(i) Omnia infrascripta documenta requiruntur pro iis, qui nullo speciali gaudent privilegio, non vero pro illis e. g. Regularibus aliisve, qui etiam hac in re pluribus fruuntur exemptionibus.

Testimonium status liberi pro temporis spatio quo Romae elegerint, si XIV annum aetatis superaverit.
» primae clericalis Tonsurae vel ultimi Ordinis minoris suscepti.
» Praefecti Clericorum.

III.

Documenta a romanis, ad maiores Ordines promovendis, exhibenda.

1. Supplex libellus ad Emum Urbis Vicarium, pro admissione ad Ordines Sacros.
2. Alter pro dispensatione ab interstitiis, si opus fuerit.
3. Testimonium Baptismi, pro Subdiaconatus et Presbyteratus Ordine.
» ultimi Ordinis suscepti.
» ministerii peracti in Subdiaconatus vel Diaconatus Ordine.
» de integro anno in Theologicis studiis emenso pro Subdiaconatu; de duobus annis pro Diaconatu; de tribus pro Presbyteratu.
» status liberi pro Subdiaconatus Ordine.
» Parochi de vita et moribus.
» de Sacramentorum frequentia.
» Praefecti Clericorum.
» tituli sacri pro Subdiaconatu.
» exemptionis a militia.
» de publicationibus habitis in propria parochiali ecclesia et in patriarchali Basilica Lateranensi.
» de spiritualibus exercitiis, per decem continuos dies peractis ante S. Ordinationem.

IV.

Documenta ab exteris exhibenda, si ad maiores Ordines promoveri cupiant.

1. Supplex libellus ad Emum Urbis Vicarium, pro admissione ad Sacros Ordines.

2. Alter pro dispensatione ab interstitiis, si opus fuerit, et quatenus Episcopus in dimissoriis non dispensaverit.

3. Litterae dimissoriales proprii Ordinarii.

4. Testimonium aetatis a iure praescriptae, nisi ex dimissoriis appareat.

» ministerii peracti in Subdiaconatus vel Diaconatus Ordine.

» de integro anno in Theologicis studiis emenso pro Subdiaconatu ; de duobus annis pro Diaconatu; de tribus pro Presbyteratu.

» status liberi pro Subdiaconatus Ordine.

» Parochi Urbis de vita et moribus.

» de Sacramentorum frequentia.

» Praefecti Clericorum.

» de publicationibus habitis in propria Urbis Paroecia et in patriarchali Basilica Lateranensi.

» tituli pro Subdiaconatu.

» de spiritualibus exercitiis, per decem continuos dies peractis ante S. Ordinationem.

Ex Secretaria Vicariatus, die 22 Decembris 1903.

PETRUS **Can.** CHECCHI, ***Secretarius.***

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE ENCYCLICAE

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina Providentia Papae X occasione saecularium solemnium S. Gregorii Magni.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. x

Venerabiles Frodres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Iucunda sane accidit recordatio, Venerabiles Fratres, magni et *incomparabilis viri* (1), Gregorii Pontificis huius nominis primi, cuius, vertente anno millesimo tercentesimo ab eius obitu saecularia solemnia celebraturi sumus. Nec absque singulari Dei providentia, qui *mortificai et vivificat..., humiliât et sublevat* (2), factum esse arbitramur, ut, inter apostolici ministerii Nostri pene innumerabiles curas, inter tot animi anxietates ob plurima eaque gravissima, quae universae Ecclesiae per Nos regendae debemus, inter sollicitudines queis premimur, ut et vobis, Venerabiles Fratres, in apostolatus Nostri partem vocatis, et fidelibus omnibus curae Nostrae commissis quam optime satisfiat, vel a Nostri summi pontificatus exordiis, in sanctissimum hunc et illustrem Decessorem, Ecclesiae decus atque ornamentum, oculorum aciem converteremus. Erigitur quippe animus ad magnam fiduciam in eius patrocinio penes Deum validissimo, et eorum, sive quae sublimi magisterio praecepit, sive quae sancte gessit, memoria recreatur. Quod si ipse et praeceptorum vi et fecunditate virtutum in Ecclesia Dei tam ampla, tam alta, tam firma vestigia signavit, ut iure ab aequalibus et a posteris *Magni* nomen sit consequutus, apteturque

(1) *Martyrol. Rom.* 3 sept.
(2) 1 *Regum* H, 6, 7.

illi vel hodie, tot saeculorum intervallo, ipsius inscripta sepulcro laudatio: *innumeris semper vivit ubique bonis* (1), fieri profecto non potest, ut admiranda illius exempla sectantibus, divina opitulante gratia, non liceat, quantum humana sinit infirmitas, sua officia tueri.

Ea persequi vix opus est quae ex historiae monumentis nota sunt omnibus. Summa erat publicarum rerum perturbatio quo tempore supremum inivit pontificatum Gregorius; exstincta prope vetus humanitas, romani ruentis imperii dominatus omnes barbaries invaserai. Italia vero, a Byzantinis imperatoribus derelicta, facta fere Langobardorum praeda fuerat, qui, suis nondum compositis rebus, huc illuc excurrebant, omnia ferro flammâque vastantes, luctu omnia caedibusque complentes. Haec ipsa Urbs, minis hostium exterius perculsa, interius afflicta pestilenza, eluvionibus, fame, eo miseriae devenerat, ut iam procurandae incolumitatis, non modo civium, sed confertae multitudinis se intus proripientis, ratio nulla suppeteret. Cernere namque erat sexus omnis et conditionis homines, episcopos, sacerdotes sacra vasa rapinis erepta portantes, religiosos viros, intemeratas Christi sponsas, fuga se, vel ab inimicorum gladiis, vel a perditorum hominum turpi violentia subducere. Romae autem Ecclesiam ipse Gregorius appellat: *vetustam navim vehementerque eonfractam... undique enim fluetus intrant, et quotidiana ac valida tempestate quassatae putridae naufragium tabulae sonant* (2). At quem Deus suscitaverat nauta manu pollebat, et clavo tractando praepositus, non modo inter aestuantes procellas ad portum appellere, sed navim a futuris tempestatibus praestare tutam valuit.

Ac mirum quidem quantum ipse perfecit spatio regiminis annorum vix supra tredecim. Exstitit enim christianae vitae instaurator universae, excitans pietatem fidelium, observantiam monachorum, cleri disciplinam, sacrorum antistitum pastoralem sollicitudinem. *Prudentissimus pater-familias Christi* (3), Ecclesiae patrimonia custodivit, adauxit, egenti populo, christianae societati et singulis ecclesiis, pro sua cuique necessitate, large copioseque suppeditans. Vere *Dei consul f actus* (4), actuo-

(1) Apud IOANN. DTAC, *Vita Greg,* iv, 68.

(2) *Registrum* I, 4 ad Ioann. episcop. Constantinop.

(3) IOANN. DIAC, *Vita Greg,* n, 51.

(4) *Inscr. sepulcr.*

sae voluntatis fecunditatem ultra Urbis moenia porrexit, totamque in bonum consortii civilis impendit. Byzantinorum imperatorum iniustis postulationibus restitit fortiter ; exarcharum et imperialium administrorum fregit audaciam, sordidamque avaritiam coercuit, publicus iustitiae socialis adsertor. Langobardorum ferociam mitigavit, minime veritus ad portas Urbis obviam ire Agilulfo, ut ipsum ab ea obsidione dimoveret, quod idem cum Attila Leo Magnus pontifex egerat; nec a precibus blandisque suasionibus, aut ab agendo sagaci ter ante destitit, quam formidatam eam gentem tandem aliquando pacatam vidit, aequiore reipublicae forma constituta, eandemque catholicae fidei additam, opera in primis piae reginae Theodolindae, in Christo filiae suae. Quare Gregorius iure sibi vindicat nomen servatoris et liberatoris Italiae, huius nempe *terrae*, quam ipse suaviter vocat *suam* (1). Pastoralibus eius, numquam intermissis curis, in Italia, in Africa errorum reliquiae exstinguuntur, Ecclesiae res ordinantur in Gallus, Visigoti in Hispanus inchoatae conversionis incrementa suscipiunt, Britannorum inclyta gens, quae, *dum in mundi angulo posita in cultu lignorum ac lapidum per/Ida nunc usque remaneret* (2), et ipsa ad veracem Christi fidem accedit. Cuius tam pretiosae acquisitionis accepto nuntio Gregorius eo gaudio perfunditur, quo carissimi filii complexu pater, Iesu Servatori accepta referens omnia, *cuius amore,* inquit ipse, *in Britannia fratres quaerimus, quos ignorabamus; cuius munere, quos nescientes quaerebamus, invenimus* (3). Ea vero gens adeo se memorem Pontifici sancto probavit, ut ipsum usque appellant: *magistrum nostrum, Apostolicum nostrum, Papam nostrum, Gregorium nostrum,* seque tamquam sigillum apostolatus eius existimant. Denique tanta in ipso fuit operae vis, tanta salubritas, ut rerum ab eo gestarum memoria alte insederit in animis posterorum, media aetate potissimum, quae spiritum quodammodo ab eodem infusum elucebat, eius verbo quasi alimentum trahebat, eius ad exempla vitam moresque conformabat, succedente feliciter in orbe terrarum christianae societatis humanitate adversus romanam, quae, saeculorum emensa cursum, esse omnino desierat.

(1) *Registr.* v, 36 (40) ad Mauricium Aug.
(2) Ibid. VIII, 29 (30) ad Eulog. episcop. Alexandr.
(3) Ibid. xi, 36 (28) ad Augustin. Anglorum episcop.

***Haec mutatio dexterae excelsi!* Ac vere quidem affirmare licet, sic persuasum fuisse Gregorio, non aliam nisi Dei manum talia patrasse. His enim verbis de Britanniae conversione sanctissimum monachum Augustinum affatur, quae sane de ceteris omnibus in ministerio apostolico ab ipso gestis intelligi possunt. *Cuius opus hoc est,* inquit, *nisi eius qui ait: Pater meus usque nunc operatur et ego operor?* (1) *Qui ut mundum ostenderet, non sapientia hominum, sed sua se virtute convertere, praedicatores suos, quos in mundum misit, sine litteris elegit; hoc etiam modo faciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus est per infirmos operari* (2). Equidem Nos minime latent, quae sancti Pontificis oculis, de se abiecte sentientis, omnino fugiebant, et rerum gerendarum peritia, et in coeptis ad exitum perducendis ingenium sagax, et in rebus disponendis mira prudentia, et sedula vigilantia et non intermissa sollicitudo. At compertum pariter est, ipsum, non qua huius mundi principes, vi et potentia fuisse progressum, qui in altissimo illo pontificiae dignitatis fastigio primus voluerit appellari: *Servus servorum Dei,* non profana tantum scientia aut *persuasibilibus humanae sapientiae verbis* (3) viam sibi munivisse, non prudentiae tantum civilis consiliis, non instaurandae societatis rationibus diuturno studio praeparatis ac deinde in rem deductis, non denique,, quod admirationem habet, mente concepto sibique proposito vasto aliquo tramite, in apostolico ministerio sensim percurrendo ; quum contra, ut notum est, in ea esset cogitatione defixus, qua putaret imminere mundi finem, adeoque modicum tempus reliquum esse ad grandia facinora. Gracili admodum et infirmo corpore, diuturnis afïïïctatus morbis, ad extremum saepe vitae discrimen, incredibili tamen pollebat animi vi, cui nova semper alimenta suppeditabat vivida fides in Christi verbo certissimo in eiusque divinis promissis. Maximam quoque fiduciam collocabat in collata divinitus Ecclesiae vi, qua ipse rite posset suo in terris fungi ministerio.**

Quare hoc illi propositum in omni vita fuit, quale singula dicta eius factaque comprobant, ut eandem fidem **ac fiduciam et in se ipse foveret et in aliis vehementer excitaret, dumque**

(1) IOANN. V, 17.

(i) *Registr.* xi, 36 (28).

(5) 1 *Cor.* H, 4.

supremus sibi dies ad veniret, quantum hic et nunc liceret, optima quaeque sectaretur.

Inde sancti viri firma voluntas in communem salutem derivandi uberrimam illam caelestium donorum copiam, qua Deus Ecclesiam ditavit, cuiusmodi sunt et revelatae doctrinae certissima veritas, et eiusdem, qua patet orbis, efficax praedicatio, et sacramenta, quae vim habent sive infundendi sive augendi animae vitam, ac denique, superni praesidii auspex, gratia precum in Christi nomine.

Harum rerum recordatio, Venerabiles Fratres, mire Nos recreat. Qui si ex hoc Vaticanorum vertice moenium circumspicimus, eodem quo Gregorius, ac maiore fortasse metu vacare non possumus; tot undique coactae tempestates incumbunt, tot premunt hostium instructae phalanges; adeoque sumus humano quovis praesidio destituti, ut nec illas propulsandi nec horum impetum sustinendi ratio suppetat. Verum reputantes Nostri ubi sistant pedes, quo loco sit pontificia haec Sedes constituta, in arce Ecclesiae sanctae tutos Nos esse sentimus. *Quis enim nesciat,* ita Gregorius ad Eulogium patriarcham Alexandrinum, *sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur?* (1). Divina Ecclesiae vis nullo temporis decursu excidit, neque Christi promissa expectationem fefellerunt; ea sic perseverant, quemadmodum Gregorii animum erexere; quin etiam ex tot saeculorum comprobatione, ex tanta rerum vicissitudine multo Nobis validius roborantur.

Regna, imperia dilapsa; sui fama nominis et humanitatis laude florentissimae gentes occiderunt; saepe, quasi senio confectae, ipsae se nationes diremerunt. At Ecclesia, suapte natura non deficiens, nexu nunquam dissolvendo cum caelesti Sponso coniuncta, heic non caduco flore viget iuventutis, eodem instructa robore quo prodiit e transfosso Christi corde in cruce iam mortui. Potentes in terris adversus eam sese extulerunt. Evanuere hi, sed illa superfuit. Philosophandi vias pene infinita varietate excogitarunt magistri de se gloriose praedicantes, quasi Ecclesiae doctrinam tandem aliquando expugnassent, fidei capita refellissent, eius magisterium omne absurdum demonstrassent. Eas tamen historia, singulas obliteratas

(i) *Registr.* vii, 37, (40).

recenset funditusque deletas; quum interea lux veritatis ex arce Petri eodem fulgore coruscet, quem Iesus ortu suo excitavit aluitque divina sententia: *caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* (1).

Hac Nos fide alti, hac petra solidati, dum sacri principatus munia omnia gravissima, simulque manantem divinitus vigorem animo sehsuque percipimus, tranquilli expectamus quoad voces conticescant tot obstrepentium, actum esse de catholica Ecclesia, eius doctrinas aeternum cecidisse; brevi eo deventuram, ut cogatur aut scientiae atque humanitatis Deum reiicientis placita excipere, aut ab hominum consortio demigrare. Inter haec tamen facere non possumus quin cum ipso Gregorio in mentem omnium, sive procerum sive inferiorum, revocemus, quanta cogat necessitas ad Ecclesiam confugere, per quam detur et sempiternae saluti, et paci atque ipsi terrestris huius vitae prosperitati consulere.

Quamobrem, ut sancti Prontificis utamur verbis, *mentis gressus in eius petrae soliditate, sicut coepistis, dirigite, in qua Redemptorem nostrum per totum mundum fundasse nostis Ecclesiam, quatenus recta sinceri cordis vestigia in devio itinere non offendant* (2). Sola Ecclesiae caritas et cum ipsa coniunctio *divisa unit, confusa ordinat, inaequalia sociat, imperfecta consummat* (3). Retinendum firmiter, *neminem recte posse terrena regere, nisi noverit divina tractare, pacemque reipublicae ex universalis Ecclesiae pace pendere* (4). Hinc summa necessitas perfectae concordiae inter ecclesiasticam et civilem potestatem, quam utramque Dei providentia voluit mutua sese ope iuvare. *Ad hoc enim potestas... super omnes homines caelitus data est, ut qui bona appetunt adiuventur, ut caelorum via largius pateat, ut terrestre regnum caelesti regno formuletur* (5).

Ex hisce principiis invicta illa Gregorii fortitudo manabat, quam, opitulante Deo, imitari Curabimus, Nobis proponentes modis omnibus, sarta tectaque iura et privilegia tueri, quorum Pontificatus romanus custos ac vindex est, coram Deo et coram

(1) MATTH, XXIV, 55.

(2) *Registr.* VIII, 24 ad Sabinian. episcop.

(5) Ibid. v, 58 (53) ad Virgil, episcop.

(4) Ibid. v, 37 (20) ad Mauric Aug.

(5) Ibid. III, 61 (65) ad Mauric. Aug.

hominibus. Quare idem Gregorius ad patriarchas Alexandriae atque Antiochiae, quum de iuribus agatur Ecclesiae universae, *etiam monendo,* scribit, *debemus ostendere, quia in damno generalitatis nostrum specialiter aliquid non amamus* (1). Ad Mauricium autem Augustum: *Qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriae tumorem atque contra statuta Patrum suam eeroieem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectit* (2). Atque ad Sabinianum diaconum: *Ante paratior sum mori, quam beati Petri apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores autem meos bene cognitos habes, quia diu porto ; sed si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula laetus vado* (3).

Eiusmodi edebat Gregorius pontifex potissima monita, erantque dicto audientes ii quibus ea nuntiabantur. Ita, dociles aures praebentibus quum principibus tum populis, mundus verae salutis repetebat iter, et ad humanitatem grassabatur eo nobiliorem ac fecundiorem quo firmioribus innixam fundamentis ad rectum usum rationis et ad morum disciplinam, vim hauriens omnem a divinitus revelata doctrina et ab evangelii praeceptis.

Sed eo tempore populi, etsi rudes, inculti atque omnis humanitatis expertes, erant vitae appetentes; hac autem donari a nemine poterant nisi a Christo per Ecclesiam : *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant* (4). Habuerunt quidem vitam, eamque affiuentem. Nam, quum ab Ecclesia non alia possit nisi supernaturalis vita procedere, haec vitales etiam naturalis ordinis vires in se includit ipsa fovetque. *Si radix sancta, et rami,* sic Paulus ethnicae genti;... *tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis et socius radicis et pinguedinis olivae factus es* (5).

At nostra aetas, etsi tanta christianae humanitatis luce fruatur, ut nulla ratione possit cum aevo Gregoriano comparari, videtur tamen eam vitam fastidire, a qua praecipue, saepe unice, quasi a fonte, tot, nedum praeterita, sed etiam praesentia bona sunt repetenda. Nec modo, ut quondam subortis errori-

(1) *Registr.* v, 41 (43).
(2) Ibid. v, 37 (20).
(3) Ibid. v, 6 (iv, 47).
(4) IOANN. X, 10.
(3) *Ad Rom.* xi, 16, 17.

bus ac dissidiis, se ipsa detruncat quasi ramum inutilem, sed vel imam arboris radicem petit, id est Ecclesiam, conaturque vitalem exsiccare succum, quo certius illa corruat nullum in posterum emissura germen.

Hodiernus hic error idemque maximus, unde ceteri fluunt, causa est cur tantam aeternae hominum salutis iacturam ac tam multa religionis detrimenta doleamus, plura etiam, nisi medica adhibeatur manus, impendentia extimescentes. Negant enim quidquam esse supra naturam; esse Deum rerum conditorem, cuius providentia cuncta regantur; Aeri posse miracula; quibus de medio sublatis necesse est. christianae religionis fundamenta convelli. Impetuntur ipsa argumenta, quibus Deum esse demonstratur, atque incredibili temeritate, contra prima rationis indicia, repudiatur invicta illa argumentandi vis, qua ex effectibus causa colligitur, id est Deus eiusque attributa, nullis circumscripta limitibus. ***Invisibilia enim ipsius a creatura mundij per ea quae facta sunt, intellecta eonspieiuntur; sempiterna quoque eius virtus, et divinitas*** **(1). Facilis inde aditus patet ad alia errorum portenta, rectae rationi repugnantia aeque ac bonis moribus perniciosa.**

Enimvero gratuita supernaturalis principii negatio, quae propria est ***falsi nominis scientia*** **(2), fit postulatum critices historicae pariter falsae. Quae ordinem rerum supra naturam ratione quavis attingunt, sive quod illum constituant, sive quod cum illo coniuncta, sive quod ipsum praesumant, sive denique quod nisi per ipsum explicari multa non queant, ea omnia, nulla investigatione instituta historiae paginis eraduntur. Eiusmodi sunt Iesu Christi divinitas, mortalis ab eodem assumpta caro Sancti Spiritus opera, sua Ipse virtute a mortuis excitatis, omnia denique fidei nostrae cetera capita. Qua falsa semel inita via, nulla iam lege critica scientia cohibetur, suoque marte quidquid non arridet aut rei suae demonstrandae adversari putatur, id omne sacris libris adimitur. Sublato enim supernaturali ordine, longe alio fundamento exstrui necesse est historiam de Ecclesiae originibus, ideoque suo lubitu novarum rerum molitores monumenta versant, ea non ad sensum auctorum, sed ad suam ipsorum voluntatem trahentes.**

(t) *Ad Rom.* i, 20.
(2) i *Tim.* vi, 20.

Magno istorum doctrinae apparatu et argumentorum speciosa vi multi sic decipiuntur, ut, vel a fide desciscant, vel in ea valde infirmentur. Sunt etiam qui, sua in fide constantes, critices disciplinae, quasi demolienti, succensent, quae quidem ipsa per se culpa vacat, legitimeque adhibita conducit ad investigandum felicissime. Neutri tamen animum advertunt ad ea quae perperam ponunt ac praesumunt, hoc est ad falsi nominis scientiam, a qua profecti, necessario ad falsa concedenda ducuntur. Falso nempe philosophiae principio corrumpi omnia necesse est. Hi autem errores satis refelli poterunt nunquam, nisi acie mutata, hoc est, deductis errantibus a suae critices praesidiis, ubi se munitos existimant, ad legitimum philosophiae campum, quo relicto, errores hauserunt.

Taedet interim ad subtili mente viros eosdemque solertes Pauli verba convertere, increpantis illos, qui a terrenis hisce ad ea quae oculorum aciem fugiunt non assurgerent: *Evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, staiti facti sunt* (1). Stultus enim omnino dicendus quicumque vires mentis insumit ut fabricet in arena.

Nec minus dolendae ruinae quae moribus hominum vitaeque societatis civilis ex ea negatione proveniunt. Etenim, opinione sublata, praeter adspectabilem hanc rerum naturam esse divinum aliquid, nihil plane superest, quo excitatae cupiditates vel turpissimae coerceantur, quibus mancipati animi ad pessima quaeque rapiuntur. Itaque *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (2). Ac vos quidem, Venerabiles Fratres, minime latet, quam undique perditarum morum exundet lues, cui continendae impar erit civilis potestas, nisi ad altioris, quem diximus, ordinis praesidia confugiat. Sed neque ad sanandos ceteros morbos humana quidquam valebit auctoritas, si memoria excidat aut negetur omnem potestatem a Deo esse. Tunc enim, unico freno, vi cuncta gerentur, quae vis neque adhibetur constanter nec in manu semper est; quo fit ut populus occulto quasi morbo laboret, omnia fastidiat, ius praedicet arbitrio suo agendi, seditiones conflet, reipublicae conversiones interdum

(1) *Ad Rom.* i, 21, 22-

(2) Ibid. i, 24.

turbulentísimas paret, divina omnia et humana iura permisceat. Amoto Deo, nulla civitatis legibus, nulla vel necessariis institutis constat reverentia, iustitia contemnitur, ipsa opprimitur quae iuris est naturalis libertas; eo usque devenitur, ut domesticae societatis compages, civilis coniunctionis primum fundamentum atque firmissimum, dissolvatur. Quo fit ut, infensis hisce Christo temporibus, difficilius aptentur efficacia remedia, quae ad populos in officio continendos Ecclesiae suae ipse comparavit.

Non aliunde tamen quam in Christo salus : *Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (1). Ad Ipsum ergo redire necesse est, eius advolvi pedibus, ex ore illo divino verba vitae aeternae haurire; solus quippe potest instaurandae salutis indicare viam, solus vera docere, solus ad vitam revocare, qui de se dixit: *Ego sum via et veritas et vita* (2). Tentata denuo est mortalium gestio rerum seorsim a Christo; aedificari coepit reprobato angulari lapide, quod Petrus iis exprobrabat, qui Iesum cruci affixerant. Ecce autem rursus exstructa moles ruit aedificantium cervices infringens. Iesus interim superest, humanae societatis angularis lapis, iterum comprobata sententia, non esse nisi in ipso salutem: *Hic est lapis qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus* (3).

Ex his facile intelligetis, Venerabiles Fratres, quanta unumquemque nostrum urgeat necessitas, animi vi qua possumus maxima quibusque pollemus opibus, huiusmodi supernaturalem vitam in omni ordine humanae societatis excitandi, ab intimae sortis opifice, cui panis apponitur diuturno sudore comparatus, ad arbitros terrarum potentes. In primisque privata prece ac publica exoranda Dei misericordia, ut potenti auxilio suo adsit, qua voce olim tempestate iactati clamabant Apostoli : *Domine, salva nos, perimus* (4).

Quamquam nec ista satis. Gregorius enim vitio tribuit episcopo, quod, sacri amore secessus et orandi studio, in aciem non prodeat, pro Domini causa strenue dimicaturus, inquiens: *Vacuum episcopi nomen tenet* (5). Ac iure quidem ; lux enim

(1) *Act.* iv, 12.
(2) IOANN. XIV, 6-
(3) *Act.* iv, 11, 12.
(4) MATTH, VIII, 2S.
(8) *Registr.* vi, 63 (30). Cfr. *Regul. Past.* i, 5.

est afferenda mentibus iugi praedicatione veritatis et valida refutatione pravarum opinionum per veram solidamque philosophiae ac theologiae scientiam et per auxilia omnia, quae ex genuino historicae investigationis incremento provenerunt. Oportet insuper omnibus apte inculcentur tradita a Christo morum documenta, ut discant sui imperium exercere, motus animi appetentes regere, tumentem superbiam deprimere, parere auctoritati, iustitiam colere, omnes caritate complecti, disparis in civili convictu fortunae acerbitatem christiana dilectione temperare, a terrenis bonis avocare mentem, quam Providentia dederit sortem eâ esse contentos, suisque tuendis officiis benigniorem efficere, ad futuram vitam contendere spe sempiternae mercedis. Illud autem praecipue curandum, ut haec se insinuent animisque penitus insideant, quo vera et solida pietas altiores radices agat, sua quisque et hominis et christiani officia, non ore tenus, sed re profiteatur, et fiducia filii ad Ecclesiam confugiat ad eiusque ministros, quorum ministerio impetrent admissorum veniam, Sacramentorum gratia roborentur, vitam ad christianae legis praecepta componant.

Sacri muneris praecipuas has partes comitetur oportet Christi caritas, cuius instinctu nemo sit quem iacentem non erigamus, quem lugentem non consolemur, necessitas nulla cui non occurramus. Huiusmodi nos caritati totos devoveamus, huic res nostrae cedant omnes, huic propriae utilitates posthabeantur et commoda, ut *omnibus omnia facti* (1), salutem omnium quaeramus vel ipso vitae pretio, ad Christi exemplum ab Ecclesiae pastoribus id postulantis: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (2). Insignibus his documentis referta sunt quae Gregorius scripta reliquit, multiplici exemplo vitae admiranda e multo expressa potentius.

Quia vero ista, quum e principiorum christianae revelationis natura, tum ex intimis nostri apostolatus proprietatibus necessario fluunt, iam videtis, Venerabiles Fratres, quanto in errore versentur qui existimant bene se de Ecclesia mereri ac frugiferam operam in aeternam hominum salutem conferre, si profana quadam prudentia, falsi nominis scientiae multa largiantur, vana spe ducti, posse ita facilius errantium sibi gra-

(1) 1 *Cor.* ix, 22.

(2) IOANN. x, ii.

tiam conciliare, re autem vera ipsi se perditionis periculo committentes. Sed veritas una est nec dividi potest; eadem aeterna perdurat, nullis obnoxia temporibus: *Iesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula* (1).

Illi etiam valde falluntur qui in collocandis publice beneficiis, praesertim popularium causam agentes, quae ad corporis victum cultumque pertinent ea maxime curant, animorum salutem et christianae professionis officia gravissima silentio praetereunt. Nec eos pudet interdum summa quaedam evangelii praecepta quasi velis obtegere, veriti ne forte minus audiantur aut prorsus deserantur. Alienum quidem a prudentia non erit, etiam in proponenda veritate, sensim procedere, ubi res agatur cum iis, qui a nostris institutis abhorrent a Deoque sunt omnino seiuncti, *Resecanda vulnera,* ita Gregorius, *leni prius manu palpanda sunt* (2). Verum haec ipsa industria speciem prudentiae carnis assumet, si ad agendi normam assurgat constantem atque communem; eoque magis quod per eam divina gratia parvi haberi videatur, quae non sacerdotio tantum conceditur eiusque ministris, sed Christi fidelibus omnibus, ut ipsorum animos dicta nostra et facta percellant. Fuit autem eiusmodi prudentia ignota Gregorio, quum in praedicatione evangelii, tum in ceteris ab eo mire gestis ad proximos relevandos miseriis. Is Apostolorum vestigia constanter est persequutus, quorum, cum primum peragrandum terrarum orbem susceperunt nuntiaturi Christum, fuit ista vox: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (3). Atqui si tempus ullum exstitit, quo humanae praesidia prudentiae maxime opportuna viderentur, illud profecto fuit, quum ad excipiendam tam novam doctrinam, communibus cupiditatibus tam repugnantem, tam oppositam graecorum et romanorum florentissimae humanitati, nulla esset animorum praeparatio. Nihilominus id genus prudentiam Apostoli a se alienam duxerunt, quibus divina erant comperta decreta: *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* (4). Ea stultitia, quemadmodum semper, sic adhuc

(1) *Ad Hebr.* xm, 8-

(2) *Registr.* v, 44 (18) ad Ioannem episcop.

(5) 1 *Cor.* i, 23.

(4) Ibid., i, 21.

iis... qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est (1). In *seandato* crucis, uti antea, sic in posterum arma suppetent omnium potentissima; ut olim, sic deinceps nobis erit in eo signo victoria.

Haec tamen arma, Venerabiles Fratres, vim exuent omnem nec erunt profutura quidquam, si tractentur ab iis, qui interiorem vitam cum Christo non agant, qui non sint vera firmaque pietate instituti, qui Dei gloriae eiusque regni amplificandi studio non flagrent. Quae omnia Gregorius adeo esse necessaria putabat, ut maximam curam impenderet in episcopos et sacerdotes creandos, qui divini honoris hominumque verae salutis magno desiderio tenerentur. Idque sibi proposuit in libro, qui *Regula pastoralis* inscribitur, ubi, ad cleri salubrem institutionem et ad sacrorum antistitum regimen normae traduntur, non iis modo temporibus sed etiam nostris aptissimae. Idem, prout eius enarrator vitae describit, *velut Argus quidam luminosissimus per totius mundi latitudinem suae pastoralis sollicitudinis oculos* (2) circumferebat, ut si quid in clero vitii aut negligentiae deprehenderet, in id statim animadverteret. Quin etiam vel ipsa periculi cogitatio, ne forte illuvies et corruptelae in mores clericorum irreperent, trepido metu eum afficiebat. Si quid vero contra Ecclesiae disciplinam actum comperisset, ea re vehementer angebatur, nec ullo poterat pacto quiescere. Tunc cerneres admonere, corrigere, canonicas poenas minitari violatoribus, has interdum ipsemet irrogare, indignos, nulla interiecta mora, nulla rerum hominumve habita ratione, ab officio identidem prohibere.

Multa praeterea monebat, quae his verbis in scriptis eius frequenter expressa leguntur: *Qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se eius gratiae esse per vitae meritum nescit?* (3) — *Si ergo in eius opere passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?* (4)— Quinam poterunt in Christi fidelibus exspectari fructus, si veritatis praecones *quod verbis praedicant, moribus impugnant?* (5) — *Profecto diluere aliena delicta non* valet *is, quem propria dévastant* (6).

(1) i *Cor.* **i,** 18.
(2) IOAN. DIAC. lib. n, c. 55.
(5) *Reg. Past.* **i,** 10.
Í4) Ibid. i, 9.
(5) Ibid. i, 2.
(6) Ibid. i, 11.

Veri sacerdotis exemplar huiusmodi censet, atque ita describit: *Qui cunctis carnis passionibus moriens iam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postposuit; qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat;... qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur; qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed numquam plus quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur ; qui nulla illieita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat; qui ex affectu cordis alienae infirmitati compatitur ; sicque in bonis proximi sicut in suis provectibus laetatur; qui ita se imitabilem caeteris in cunctis quae agit insinuât, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat; qui sic studet vivere ut proximorum quoque corda arentia doctrinae valeat ftuentis irrigare; qui orationis usu et experimento iam didicit, quod obtinere a Domino quae poposeerit possit* (1).

Quam serio igitur, Venerabiles Fratres, episcopo secum et coram Deo est reputandum, antequam novis levitis manus imponat! *Neque gratia, alicuius,* inquit Gregorius, *neque supplicatione, aliquos ad sacros ordines audeat promovere nisi eum, quem vitae et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit* (2). Quanta eidem opus est maturitate consilii, antequam recens inunctis sacerdotibus apostolatus munia committat! Qui, nisi iusto fuerint experimento probati sub vigili custodia prudentiorum sacerdotum, nisi habeant unde plane constet de honeste acta vita, de prono in pietatem ingenio, de animo ad obediendum parato iis omnibus quae vel Ecclesiae consuetudo induxerit vel diuturna experientia comprobant vel quos *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (3) ipsi praeceperit, sacerdotio fungentur, non in plebis christianae salutem, sed in perniciem. Nam et iurgia serent, et plus minus latentes ciebunt rebelliones, triste sane spectaculum populo exhibentes quasi discrepantium in coetu nostro voluntatum, quum deploranda haec paucorum superbiae et contumaciae sint adscribenda. Procul, oh procul ab omni officio sunto excitatores discordiarum; nec enim his apostolis eget Ecclesia, neque hi pro Christo cruci adflxo apostolatum gerunt, sed ipsi sibi apostoli sunt.

(1) *Reg. Past.* i, 10.

(2) *Registr.* v, 63 (58) ad universos episcopos per Hellad.

(3) *Act.* XX, 28.

Adhuc ante oculos versari nostros imago Gregorii videtur, in Lateranensi pontificio Consilio coactorum undique antistitum corona septi, adstante clero Urbis universo. Quam fecunda ex eius ore fluit adhortatio de officiis clericorum ! Quanto ardoris aestu consumitur ! Illius oratio, instar fulminis, pravos homines percellit; sunt eius verba quasi totidem flagella, queis excutiuntur inertes; divini amoris flammae sunt, quibus vel ferventissimi animi suaviter corripiuntur. Perlegite, Venerabiles Fratres, et clero vestro legendam, considerandam, in sacro potissimum annuo recessu, proponite admirabilem istam sancti pontificis homiliam (1).

Idem, non sine animi magna tristitia, haec inter cetera queritur: *Ecce, mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur Operator; quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus* (2). Ac vere quidem, quantum hodie virium Ecclesia colligeret, si operatores tot numeraret, quot sacerdotes? Quam uberes fructus ex divina Ecclesiae vita hominibus provenirent, si eidem explicandae vacarent singuli? Huiusmodi in agendo alacritatem naviter excitavit Gregorius, dum dixit, suoque impulsu effecit ut posterioribus temporibus eadem vigeret. Quare, quae media intercessit, aetas, Gregoriana quasi nota distinguitur, quod ei pontifici accepta omnia fere essent referenda, sive regulae cleri regendi, sive caritatis et beneficentiae publice exercendae multiplex ratio, sive perfectioris sanctimoniae magisterium et vitae religiosae instituta, sive denique ceremoniarum et sacri ordinatio concentus.

Verum longe alia temporum ratio successit. Quod saepe diximus, in vita Ecclesiae immutatum est nihil. Ipsa enim haereditate acceptam a divino Institutore eiusmodi vim possidet, qua aetatibus omnibus, quamvis inter se dissimillimis, valeat, non animis tantum, quod sui muneris est, providere, sed plurimum etiam ad verae humanitatis incrementa conferre, quod quidem ex ipsa ministerii sui natura consequitur.

Nec sane fieri potest ut quae revelata divinitus Ecclesiae custodienda commissa sunt, eadem quidquid verum, bonum, pulchrum in terrestri rerum natura conspicitur, non maxime

(i) *Horn- in Evang.* i, 17.

(2) Ibid., n. 5.

provehant, eoque efficacius, quo magis haec ad summum totius veritatis, bonitatis, pulchritudinis principium, Deum, referantur.

Magnus ex divina doctrina humanae scientiae proventus, sive quod per illam latior patefiat campus novis rebus etiam naturalis ordinis expedite cognoscendis, sive quod per eandem rectum investigationi sternatur iter, erroresque circa disciplinae rationem viamque eam adipiscendi amoveantur. Sic in portu emicans ignis e turri, dum nocturno itinere navigantibus multa pandit, quae tenebris involuta laterent, simul de vitandis scopulis admonet, ad quos allisa navis naufragium pateretur.

Quae autem de moribus disciplinae sunt, quandoquidem Servator Dominus supremum nobis perfectionis exemplar divinam ipsam bonitatem proponat, Patrem suum (1), eccui non patet, quanta inde incitamenta illis addantur, ut insculpta in omnium animis naturae lex altius et perfectius retineatur, adeoque tum singuli, tum domestica societas, tum denique hominum universa communitas prosperiore vita fruantur? Fuit ista profecto vis quae barbaros homines ex ferocità te ad humanitatem transtulit, mulieris proiectam dignitatem vindicavit, servitutis iugum excussit, ordinem, remissis cum aequitate vinculis quibus variae civium conditiones invicem continentur, instauravit, iura restituit, veram animi libertatem promulgavit, domesticae ac publicae tranquillitati tuto prospexit.

Denique artes ad aeternum exemplar omnis pulchritudinis, Deum, assurgentes, unde species et formae singulae, quae sunt in rerum natura, dimanant, facilius a vulgari sensu recedunt, conceptamque animo rem, in quo artis vita consistit, exprimunt multo potentius. Ac vix quidem dici potest quantum attulerit boni ratio adhibendarum artium in famulatum religionis, quo Nummi offertur quidquid ipso dignius ubertate et copia, venustate atque elegantia formae praeseferant. Hinc artis origo sacrae, quo fundamento nixa est profana quaevis ars, et nititur adhuc. Rem nuperrime attigimus peculiari *Motu proprio*, de romano cantu ad maiorum instituta revocando, ac de sacris concentibus. Atqui ceterae artes, pro sua quaeque materia, iisdem legibus continentur, ita ut, quae dicuntur de cantu, eadem et pingendi et sculpendi et exstruendi artibus conveniant, quas

(1) MATTH, V, 48.

humani ingenii nobilissimas faces Ecclesia semper excitavit et aluit. Hac specie sublimi universum hominum genus enutritum templorum erigit moles, ubi, in domo Dei, tamquam in propria sede, inter artium omnium splendidissimam copiam, inter augustas ceremonias, inter suavissimos concentus, mentes ad caelestia revocantur.

Haec, uti diximus, beneficia potuit aetati suae ac posterioribus afferre Gregorius. Eadem, his quoque temporibus, qua fundamenti soliditate consistimus et quibus mediis instructi sumus, consequi licebit, si, quae adhuc bona, Dei gratia supersunt, omni studio retineantur, quae vero instituta a recto tramite deflexerint *instaurentur in Christo* (1).

Placet Nostris hisce Litteris finem imponere iisdem verbis, quibus ipse Gregorius memorabilem illam in Lateranensi pontificio Consilio habitam orationem absolvit: *Haec, Fratres, vobiscum sollicite cogitate, haec et proximis vestris impendite; omnipotenti Deo fructum vos reddere de negotio quod accepistis parate. Sed ista quae dicimus melius apud vos orando quam loquendo obtinebimus.* Oremus : *Deus, qui nos pastores in populo vocare voluisti, praesta quaesumus, ut hoc quod humano ore dicimur, in tuis oculis esse valeamus* (2).

Dum vero confidimus, deprecatore pontifice sancto Gregorio, Deum supplicibus his votis benignas aures admoturum, caelestium donorum auspicem ac paternae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem vobis omnibus, Venerabiles Fratres, clero ac populo vestro peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum iv Idus Martias an. MDCCCCIV, **die festo S. Gregorii I Papae et Ecclesiae Doctoris, pontificatus Nostri anno primo.**

PIUS PP. X

(1) *Ad Ephes,* i, 10.
(2) Horn, cit., n. 18.

LITTERAE APOSTOLICAE

SS.mi D. N. Pii PP. X de academicis in Sacra Scriptura gradibus a Commissione Biblica conferendis.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

Scripturae Sanctae magis magisque in Clero promovere studium, conscientia Nos Apostolici officii in primis admonet hoc tempore, quum eum maxime divinae revelationis fideique fontem videmus ab intemperantia humanae rationis passim in discrimen adduci. Id ipsum quum intelligeret Noster fel. rec. decessor Leo XIII, non satis habuit dedisse anno MDCCCXCIII proprias de re biblica Encyclicas litteras *Providentissimus Deus* (1) nam paucis ante exitum mensibus, editis Apostolicis litteris *Vigilantiae* (2), peculiare instituit ex aliquot S. R. E. Cardinalibus pluribusque aliis doctis viris urbanum Consilium, quod, praelucente doctrina et traditione Ecclesiae, etiam progredientis eruditionis praesidia conferret ad legitimam exegesim biblicam, et simul catholicis praesto esset, tum ad adiuvanda ac dirigenda eorum in hoc genere studia, tum ad controversias, si quae inter ipsos extitissent, dirimendas.

Nos quidem, ut par est, praeclarum istud pontificalis providentiae monumentum a Decessore relictum, Nostris quoque curis et auctoritate complectimur. Quin etiam iam nunc, eiusdem Consilii seu *Commissionis* navitate confisi, ipsius operam in negotio, quod magni censemus esse momenti ad Scripturarum provehendum cultum, adhibere constituimus. Siquidem hoc volumus, certam suppeditare rationem, unde bona paretur copia magistrorum, qui gravitate et sinceritate doctrinae commendati, in scholis catholicis divinos interpretentur Libros. Huius rei gratia percommodum profecto esset, quod etiam in votis Leonis fuisse novimus, proprium quoddam in Urbe Roma condere Athenaeum, altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicae ornatum, quo delecti undique adolescentes convenirent, scientia divinorum eloquiorum singulares evasuri. At quoniam eius perficiendae rei deest in praesens Nobis, non

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXVI, pag. 269.
(2) Ibid. Vol. XXXV, pag. 234.

secus ac Decesse-ri, facultas, quae quidem fore ut aliquando ex catholicorum liberalitate suppetat, spem bonam certamque habemus, interea quantum ratio temporum sinit, id, harum tenore litterarum, exsequi et efficere decrevimus.

Itaque, quod bonum salutareque sit, reique catholicae benevertat, Apostolica auctoritate Nostra, Academicos prolytae et doctoris in Sacrae Scripturae disciplina gradus instituimus, a *Commissione* Biblica conferendos ad eas leges, quae infra scriptae sunt.

I. Nemo ad Academicos in Sacra Scriptura gradus assumatur, qui non sit ex alterutro ordine Cleri sacerdos; ac praeterea nisi doctoratus in Sacra Theologia lauream, eamque in aliqua studiorum Universitate aut Athenaeo a Sede Apostolica adprobato, sit adeptus.

II. Candidati ad gradum vel prolytae vel doctoris in Sacra Scriptura, periculum doctrinae tum verbo tum scripto subeant: quibus autem de rebus id periculum faciendum fuerit *Commissio* Biblica praestituet.

III. *Commissionis* erit explorandae candidatorum scientiae dare iudices : qui minimum quinque sint, iique ex consultorum numero. Liceat tamen *Commissioni* id iudicium, pro prolytatu tantummodo, aliis idoneis viris aliquando delegare.

IV. Qui prolytatum in Sacra Scriptura petet, admitti ad periculum faciendum, statim ab accepta sacrae Theologiae laurea, poterit: qui vero doctoratum, admitti non poterit, nisi elapso post habitum prolytatum anno.

V. De doctrina examinanda candidati ad lauream in Sacra Scriptura, hoc nominatim cautum sit, ut candidatus certam thesim, quam ipse delegerit et *Commissio* Biblica probaverit, scribendo explicet, eamque postea in legitimo conventu Romae habendo recitatam ab impugnationibus censorum defendat.

Haec volumus, edicimus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus. — Restat, ut Venerabiles Fratres Episcopi ceterique sacrorum Antistites in suae quisque dioecesis utilitatem ex hisce statutis Nostris eum fructum quaerant, quem inde Nobis uberem pollicemur. Ideo, quos in suo Clero viderint singularibus Bibliorum studiis natos aptosque, ad promerenda etiam huius disciplinae insignia hortentur et adiuvent : insignitus porro habeant potiores, quibus in sacro Seminario Scripturarum magisterium committant.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII Februarii, festo S. Petri Damiani, an. MDCGCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. & S.

A. CARD. MACCHI.

BULLA

SS.mi 0. N. Pii PP. X pro indictione Visitationis Apostolicae omnium ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSO CLERO ET POPULO ROMANO

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum, arcano Dei consilio, ad supremi apostolatus apicem, nihil tale cogitantes, evecti fuimus, illud ex ore Domini audire visi Nobis sumus: *Pasee agnos meos, pasee oves meas;* quo scilicet intelligeremus, universae Ecclesiae Nobis procuratione commissa, debere Nos *impendere* Nos ipsos ac *superimpendere* pro salute omnium, aequo studio, provehenda. At vero illud primum perspeximus romano populo episcopos Nos esse datos: non enim aliter quam ob romanum Episcopatum,, et Beati Petri conscendimus Cathedram, et catholici nominis supremum gerimus pontificatum. Quamobrem huc etiam, ante omnia, curas Nobis advertendas esse sensimus, ut Ecclesiae huius utilitatibus, ecclesiarum ceterarum nobilissimae, praecipua studiorum Nostrorum laborumque impenderemus. Idque eo vel amplius imponitur Nobis, quod, cum Roma, divinis praeordinationibus, catholicae unitatis centrum sit constituta, unde lux veritatis, quae in omnium gentium revelatur salutem, tamquam a capite per totum mundi corpus effundatur; necesse omnino est ut inde etiam Christi bonus odor ad fideles omnes permanet, atque ex ea pariter credendi lex ac vivendi exemplum petatur. Quam igitur Nobis instaurationem omnium in Christo proposuimus, a Clero populoque romano exordia capiat oportet; ita ut, renovato spiritu, quotquot e sacro vel laicorum ordine in hac Urbe versantur, sanctitatis et iustitiae se-

mitas, tempestate licet virtuti infensissima, alacrius instituant percurrendo.

Hanc ob rem, pastoralem Visitationem, pro episcopali munere, suscipiendam decrevimus; eamque, ad Omnipotentis Dei laudem et honorem ac Sanctae Romanae Ecclesiae exarationem, per praesentes litteras indicimus; quae a Sacrosancta Lateranensi Basilica inchoabitur Dominica in Albis, in ceteris postea tam patriarchalibus, quam collegiatis et parochialibus ecclesiis earumque capitulis et personis, item Monasteriis, Conventibus et Ecclesiis quorumvis Ordinum tam virorum quam mulierum, Collegiis, Confraternitatibus laicorum aliisque locis ecclesiasticae potestati subiectis peragenda (1).

Hanc quidem Visitationem Nos per Nos ipsi instituere magnopere cuperemus. At quoniam per adversa temporum prohibemur; Decessorum etiam Nostrorum exemplis usi, Viris dignitate, doctrina ac rerum experientia praestantibus tanti momenti negotium dare statuimus, quibus et necessarias facultates et instructiones opportunas ad commissum officium rite

(1) Emus Urbis Vicarius, mandatis Pii PP. X plene obtemperans, die 21 Martii 1904, *Notificationem* edidit pro sacra Visitatione Apostolica Almae Urbis, quam ipse incipiet Dominica in *Albis* a pairiarchali Basilica Lateranensi, iuxta ritum a Pontificali Romano praescriptum. Quocirca Emus Card. Respighi, memorato Pontificis fine, *ut per Urbem Orbis in Christo instauretur,* haec praecipue statuit:

I. Dominica sacram Visitationem praecedente quaelibet ecclesia patriarchalis vel parochialis per duas horas continuas SSmum Sacramentum publicae fidelium venerationi exponet, deinde finietur functio cum Litaniis Sanctorum, *Tantum ergo,* et Benedictione.

II. Durante sacrae Visitationis tempore Sacerdotes sive saeculares sive regulares in Missa addent Collectam de *Spiritu Sancto.*

III. Ecclesiae patriarchales et parochiales visitabuntur per ipsum Card. Vicarium, qui sacrum faciet, S. Synaxim christifidelibus distribuet, necnon Sacramentum Confirmationis pueris, qui saltem sextum aetatis annum compleverint, ministrabit. Sacro Chrismate Uniti *Credo, Pater noster* et *Ave Maria* latino, non autem vulgari sermone, recitare debebunt.

IV. Absque speciali licentia scriptis obtinenda, Rectoribus ecclesiarum commodare aliis ecclesiis non licebit supellectilia vel vasa sacra tempore sacrae Visitationis, sub poena rerum dominium amittendi.

V. Rectores ecclesiarum, ubi habentur capellae iuris patronatus, quae instauratione indigent, patronos monebunt ut iuxta necessitatem provideant.

YI. Demum recensentur indulgentiae sive partiales sive plenaria a Romano Pontifice concessae iis omnibus, qui praescripta opera fideliter adimpleverint, cum facultate easdem animabus in purgatorio retentis applicandi.

exequendum trademus. — Quare Dilectum Filium Nostrum Petrum Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Respighi, Nostrum in Urbe in Spiritualibus Vicarium Generalem, eligimus et deputamus ut dictam Visitationem Nostro Nomine Nostraque Auctoritate peragat eique praesit ; eidemque adiungimus nonnullos Antistites et Romanae Curiae Praelatos, nimirum Venerabiles Fratres Iosephum Ceppetelli Patriarcham Constantinopolitanum, Henricum Grazioli Archiepiscopum Nicopolitanum, Nicolaum Iosephum Camilli Archiepiscopum Tomitanum, Maurum Nardi Episcopum Thebanum, qui Secretarii munere fungetur, Raphaelem Virili Episcopum Troadensem et dilectos Filios Basilium Pompili, cui Assessoris officium committimus, Gulielmum Sebastianeiii, quem iudicem causarum et executorem decretorum Visitationis constituimus, Benedictum Melata, Petrum Piacenza, Fridericum Polidori, Ioannem Baptistam Nasalli-Rocca, Ludovicum Schüller, Ioannem M. Zonghi, Alexandrum Avoli, Evaristum Lucidi et Augustum Sili. Insuper nominamus dilectos Filios Bonifacium Oslaender Monachum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Gassinensis Abbatem Monasterii S. Pauli extra Urbem, Paulum a Plebe Contronis Concionatorem Apostolicum Def. Gen. Ordinis Capulatorum, Hyacinthum M. Cormier Proc. Gen. Ordinis Praedicatorum et Aloisium Palliola Congregationis SSmi Redemptoris, ut operam suam in iis praesertim navent, quae ad religiosas utriusque sexus familias pertinent. Quod si porro opus esse videbitur, alios praeterea idoneos e clero viros ad eundem effectum designabimus.

Quum vero, in tanto opere peragendo, maioris momenti res occurrere procul dubio necesse erit; volumus hasce deferri ad Sacram Congregationem Venerabilium Fratrum et Dilectarum Filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Visitationis Apostolicae ecclesiarum Urbis praepositorum, qui, maturo examine adhibito, sententiam deinde Nobis aperiant.

Ne autem, in id operis, auxilium ab Eo petere praetermittamus, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, publicas haberi supplicationes ac praesertim Sacramentum augustum, in patriarchalibus Basilicis aliisque templis, publice ac solemni ritu proponi mandamus, additis etiam sacrarum indulgentiarum muneribus, prout per eundem Cardinalem Vicarium fusius edicendum curabimus.

Hortamur igitur romanum clerum et populum ne in vacuum gratiam Dei recipiant; sed, optatis Nostris studiosissime obsecundantes, ad felicem exitum sacrae Visitationis, pro sua quisque conditione adlaboret. Utinam, emendatis moribus, aucta sacrarum aedium reverentia, festis diebus sancte servatis, omnique virtutum genere exculto, Urbs quae Petri Sede illustratur, sit universo terrarum orbi dux et magistra sanctitatis!

Speramus equidem atque adeo confidimus Deum eminentissimum benigne industriis Nostris adfuturum. Ope namque utimur et imploratione potentissima Immaculatae Genitricis Christi, cui hoc anno, a romano populo, aeque ac a fidelibus ceteris, peculiares adhibentur honores; nec non precibus Apostolorum Petri et Pauli aliorumque Caelitum, qui Urbem Nostram vel irrigarunt sanguine vel virtutibus consecrarunt.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, tertio Idus Februarii, Pontificatus Nostri anno primo.

A. CARD. MACCHI. **A. CARD. DI PIETRO,** ***Pro-Datarius.***

Visa

De Curia I. DE AQUILA ***e Vicecomitibus.***

Loco »$i *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium.

V. CUGNONIUS.

LITTERAE IN FORMA BREVIS

SS.mi D. N. Pii PP. X, quibus amplissimae facultates pro Apostolica Visitatione in Urbe peragenda conceduntur.

PIUS PAPA X

Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quae Nostra fuerit mens in indicenda Sacra Visitatione omnium Ecclesiarum piorumque Locorum Almae Urbis, Nostrae sub plumbo Litterae nuper editae, quarum initium « ***Quum***

arcano Dei consilio » satis aperte testantur. Vestrum nunc studium, diligentiam, vigilantiam requirimus, Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, quos in hoc munere degimus ac deputa vim us. Ne quid ergo ministerium vestrum impediat, immo ut Vobis praesto sint omnia, quae ad illud sancte ac feliciter obeundum conferre possint, exemplo Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum amplissimis Vos facultatibus instruere decrevimus, quas in primis, Tibi, dilecte Fili Noster, qui nomine Nostro Visitationem peragis, eidemque praeesse debes, Vobisque omnibus et Vestrum cuilibet per hasce in forma Brevis Litteras communicamus, nimirum:

I. Mandata quaecumque circa Visitationem ipsam, eaque durante etiam vivae vocis oraculo per Vos a Nobis accepta, illis ad quos ea res pertinet, referendi et oretenus per Nos ordinata mandandi, quibus relationi, ac mandatis vestris et cuiuslibet vestrum Nostro nomine factis plenam et indubiam fidem adhiberi, ac firmiter obtemperan tamquam mandatis Nostris Apostolicis volumus et iubemus.

II. Mandata et praecepta quaecumque necessaria et opportuna illis in rebus, quae Visitationis praeparationem, statum, progressum et executionem concernunt, decernendi, faciendi atque exequi iubendi.

III. Personas quasque tam Ecclesiasticas saeculares et regulares cuiusvis Ordinis et Instituti, quam laicas pro rebus et negotiis ad Visitationem pertinentibus ad Vos vocandi et ad personaliter coram Vobis comparendum citandi, opportunisque iuris et facti remediis compellendi.

IV. Personas easdem et tamquam principales et tamquam testes seu tamquam principales quoad se, et tamquam testes quoad alios, examinandi, et ut veritati testimonium perhibeant, admonendi, atque etiam cogendi, iuramenta eis deferendi, et ab ipsis exigendi et recipiendi ad Sacrorum Canonum praescriptum, ac recusantes per Censuras Ecclesiasticas, aliasque poenas Vobis benevisas compescendi.

V. Libellos supplices et memorialia etiam Nobis inscripta et directa, atque instructiones, relationes, delationes, querelas, etiam secretas contra quascumque personas accipiendi, et Nobis referendi, seu alias, prout rerum et personarum qualitas requiret, iuxta Ordinationes Nostras ex Auctoritate Vobis tradita providendi.

VI. Congregationes aliquarum personarum, quae Vobis in consilium super praemissis adhibendae videbuntur faciendi, easdemque personas Auctoritate Nostra vocandi, et cum eis de negociis Visitationis tractandi, consultandi et deliberandi.

VII. Unum sive plures Commissarium, seu Fiscalem, nec non Cancellarium, itemque Ratiocinatorem, aliosque ministros, quibus in opere Visitationis utamini, eligendi et deputandi, electum sive electos toties quoties Vobis videbitur removendi et alium sive alios subrogandi.

VIII. Quotiescumque videbitur atque etiam seorsum a Te, dilecte Fili Noster, qui Nostro nomine Visitationem peragis, eidemque praeesse debes, vobisque omnibus, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, et iteratis vicibus quarum vis dictae Urbis, seu extra illam, intra tamen illius Districtum consistentium Ecclesiarum omnium, etiam ab ipsius Urbis Vicarii ordinaria iurisdictione exemptis, sublatis abrogatisque, ad hunc dumtaxat effectum, Sacrae nempe Visitationis, quacumque veteri consuetudine sive Apostolicis Constitutionibus, nec non universim quibuslibet iuribus ac privilegiis speciali vel etiam specialissima mentione dignis, Patriarchalium, Collegiatarum seu aliarum Ecclesiarum etiam S. R. E. Cardinalium ratione Tituli aut denominatione sui Cardinalatus et alias quomodolibet vel ex quavis causa subiectarum, seu cuiusvis capellae vel Oratorii, nec non Monasteriorum tam Virorum quam Mulierum, Prioratuum, Domorum et Locorum saecularium, seu cuiuslibet Ordinis etiam Mendicantium, Congregationis aut Instituti Regularium, aut Hospitalium quantumvis exemptorum, Nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectorum, et generaliter quorumcumque Locorum et Operum piorum quomodolibet nuncupatorum et quocumque privilegio, exemptione et immunitate suffultorum, etiam si de iis specifica et individua mentio habenda foret, eorumque Capitulorum, Conventuum, Universitatum, Collegiorum, Congregationum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum etiam Laicorum, etiam nullo alio speciali Nostro expectato ordine vel mandato, aut etiam requisito consensu, vel licentia, Visitationem faciendi, et illa et quaelibet illorum visitandi, et in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitamque ritus, mores, disciplinam, doctrinam et idoneitatem singularum personarum coniunctim vel divisim, et tam in capite, quam in membris, nec non circa divinum cultum, reli-

giosas functiones, Ecclesiarum decorem, fructuum et reddituum dispositionem, regularem Religiosorum tam Virorum quam Mulierum observantiam, aliaque omnia et singula ad actum huiusmodi Visitationis quomodolibet spectantia, diligenter inquirendi, et ad hunc effectum quaecumque illorum Archivia, Bibliothecas, et quaecumque in illis continentur documenta et instrumenta authentica, scripturas, libros rationum dati et accepti, computa et ratiocinia perlustrandi, inspiciendi, perscrutandi; praesertim vero SSmum Eucharistiae Sacramentum et Sacras Reliquias et quibus ipsum Augustissimum Sacramentum et Sacrae Reliquiae, et res ad alia Ecclesiastica Sacramenta pertinentes continentur, S. Vasa, Pyxides, thecas, tabernacula; nec non indumenta, ornamenta et instrumenta, utensilia, et supellectilem ecclesiasticam, etiam pretiosam, diligenter et accurate inspiciendi, et ad praedicta exhibendum quascumque personas cogendi et compellendi; et in praemissis omnibus et singulis quacumque correctione, emendatione et reformatione indigere cognoveritis, corrigendi, emendandi et reformandi, uniendi, transferendi, in melius immutandi, processusque necessarios desuper faciendi, et Nobis referendi, seu iuxta ordinationes Nostras in his opportune providendi, mandata, decreta, statuta et ordinationes executioni demandandi, ac custodiri et observari praecipiendi, demum omnia alia et singula quae huiusmodi Visitationis negocium, ulteriorem progressum, executionem, et in ea facta et facienda mandata, decreta, statuta et ordinationes concernunt, et concernent, seu ad ea quomodolibet spectant et spectabunt, faciendi, gerendi, exequendi, mandandi et ordinandi.

IX. Contradictores et Vobis in praemissis inobedientes et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte quomodolibet praestantes, per suspensionis atque etiam privationis Beneficiorum, et officiorum Ecclesiasticorum, ac per censuras et poenas Ecclesiasticas et temporales, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendi.

X. In Visitatione huiusmodi eum ordinem tenendi quem commodiorem, utilioremque iudicabitis, quin praecedentiam inter Ecclesias, Monasteria, et Loca quaecumque per Vos visitanda servare adigamini. Nos enim ex hac agendi ratione nulli Ecclesiae, Monasterio, vel Loco, neque ulli Capitulo, Conventui

Confraternitati, aut personae tam coniunctim, quam divisim, seu alias quomodolibet in aliquo etiam minimo quoad praecedentiam, aliasque praerogativas quascumque praeiudicari, aut quicquam novi iuris acquiri decernimus et declaramus.

XI. In perlustrandis Urbis Paroeciis, pauperibus infirmis graviter decumbentibus, quos Nostro nomine visitabitis, spiritualibusque ac temporalibus subsidiis iuvabitis, Apostolicam Benedictionem semel impertiendi, iisdemque, dummodo ante vel post Visitationem vestram vere poenitentes et confessi, Sacra Communione refecti fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quam unicuique eorum semel largimur, denunciando

XII. Tibi, Dilecte Fili Noster, Vobisque Venerabilibus Fratribus specialem facultatem concedimus in Ecclesiis etiam Patriarchalibus, aliisque Ecclesiis et Locis per Vos visitandis Altaria atque ipsasmet Ecclesias consecrandi aut illa vel easdem Ecclesias, aut. illis annexa reconciliandi, seu etiam coemeteria, campanas, calices, patenas, Cruces, indumenta et ornamenta Ecclesiastica quaecumque, et aquam, ut moris est, benedicendi, Sacramentum Confirmationis ministrandi, Sacrosanctum quoque Missae sacrificium, nec non Vesperas et quaecumque alia divina officia solemni et Pontificali ritu celebrandi et decantando verbi Dei praedicationes, et conciones ad Dei amorem et timorem in cordibus fidelium excitandum et accendendum publice ad Clerum et Populum, seu alias privatim, prout occasio et necessitas postulabit, habendi, aliaque omnia et quaecumque munia Pontificalia, etiam quae notam et expressionem requirerent magis specialem, et sub generali huiusmodi concessione non comprehenderentur, etiam erga personas alioquin habiles et idoneas exercendi.

XIII. Ubi contigerit alicui Altari, etiam pro defunctis privilegiato, seu Capellae tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satisfieri, quidquid magis ad Dei honorem, Ecclesiarum utilitatem, salutemque animarum eorum, qui legata pia reliquerunt, etiam per translationem partis Missarum huiusmodi ad aliud Altare, seu Altaria etiam non privilegiata, videritis expedire, re tamen diligenter perspecta, statuendi, et ordinandi, ut in eisdem Altaribus commodius ac plenius piae voluntati defunctorum satisfiat, ita quod Missae ad

Altaria huiusmodi, ad quae illarum celebrationem transtuleritis celebratae, illis pro quibus celebrabuntur, perinde suffragentur, ac si ad Altaria privilegiata, seu alias iuxta eorumdem defunctorum voluntatem celebratae fuissent.

XIV. Ad faciliorem et expeditiorem Visitationis progressum et complementum Secretario et Assessori facultatem tribuimus eiusdem Visitationis decreta, statuta, ordinationes, mandata, praecepta, inhibitiones, informationes, relationes, nec non seriem ordinandi, describendi, et in libellos seu commentarios, sive etiam in publica et authentica forma documenta et instrumenta redigendi, ceteraque omnia, et quaecumque ad eorum munus spectantia gerendi et exercendi, etiam si notam et expressionem requirerent magis specialem, et sub generali commissione huiusmodi non venirent. Nos enim volumus iis documentis et scripturis, quae de rebus in Visitatione gestis a Secretario et Assessore praefatis, vel ab eorum altero fient et emanabunt, ipsorum manu ac Visitationis signo munitis, plenam et indubitatam fidem nunc et perpetuis futuris temporibus tam in iudicio, quam extra illud, omnino haberi, neque ad id probationis alterius adminiculum requiri.

XV. Quascumque querelas, accusationes, denunciationes contra quascumque personas tam Ecclesiasticas saeculares vel regulares, quam laicas cuiuscumque status, gradus, dignitatis et praeeminentiae existentes, recipiendi et audiendi, causasque exinde aut alias quomodolibet ex dicta Visitatione vel illius causa emergentes tam Ecclesiasticas quam profanas ex officio audiendi, cognoscendi ac iuxta mandata Nostra, seu alias, prout iustitia suaserit, et ordo dictaverit rationis, illas decidendi et terminandi. Utque liberius ab omnibus, denunciationes, querelae et accusationes et causae quaecumque ad dictam Visitationem pertinentes deferri possint, omnibus similiter et singulis personis tam laicis, quam Clericis etiam in Sacris et Presbyteratus Ordinibus constitutis saecularibus, et quorumvis Ordinum, Congregationum, et Instituti regularibus, quavis etiam Episcopali vel maiori Ecclesiastica vel mundana dignitate vel praeeminentia fulgentibus, qui in actu eiusdem Visitationis, seu alias, illius occasione aliquid, quod ad praedictas causas pertineat, per viam denunciationis, querelae vel accusationis palam vel occulte, sponte vel ad aliorum instantiam in iudicio, vel extra iudicium revelaverint, aut in praemissis testimonium dixerint,

vel aliquid propterea scripserint, subscripserint, indicaverint, dictaverint, detulerint, interrogaverint, vel interrogati respondeant, vel ad reos defendendos, convincendos, indicia, votum, auxilium, consilium vel favorem per se, vel aliud directe vel indirecte praestiterint, sive tamquam Iudices ordinarii, vel delegati, custodes, scribae, testes, tabelliones, consultores, procuratores, advocati seu alias se in praemissis quomodolibet ingesserint, ut nullam propterea poenam, vel censuram Ecclesiasticam, aut irregularitatis notam incurrant, Nostro nomine et Auctoritate indulgendi.

XVI. Omnes et singulas causas occasione Visitationis huiusmodi coram quibuscumque Iudicibus tam ordinariis quam delegatis pendentes et etiam instructas, et terminis in quibus reperiuntur, cum omnibus et singulis eorum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali ad Vos Auctoritate Nostra avocandi, illasque summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, cognoscendi, et fine debito, prout iuris fuerit, terminandi.

XVII. Iudici causarum et executori decretorum Visitationis praefatae Auctoritate Nostra deputato omnia in eadem Visitatione decreta, statuta et ordinata exequendi, et observari faciendi contra inobedientes et negligentes, nec non cuiuscumque criminis occasione dictae Visitationis detectos reos et delinquentes, eorumque complices et fautores cuiuscumque status, dignitatis, ordinis et conditionis fuerint, per viam accusationis etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, inquirendi et procedendi, reosque, prout canonicae requirunt sanctiones, puniendi, ac tam super praemissis, quam etiam alias quascumque in eadem Visitatione, aut etiam antea per Nos tamen Tibi etiam absque speciali commissione committenda causas Ecclesiasticas inter Capitula, Conventus, Collegia, Universitates, Confraternitates, Archiconfraternitates, eorumque superiores ac singulares personas Ecclesiasticas saeculares vel cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium regulares, etiam exemptas, et quovis privilegio vel immunitate suffultas, etiam Nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectas, motas et movendas, cum earum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam summarie et simpliciter et de plano, et alias prout praefertur,

terminis substantialibus unico contextu, vel etiam non servatis, sed illorum loco praefixo termine arbitrio Tuo et de eiusdem Visitationis mandato procedendi, audiendi ac fine debito ternii-nandi, et ad hunc ceterorumque contingentium effectum, quoscumque etiam per Edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu citandi et monendi, eisque ac quibusvis Iudicibus et ceteris personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile Edictum, atque etiam sub censuris et poenis Ecclesiasticis, nec non pecuniis eiusdem Secretarii arbitrio moderandis et ampliandis, inhibendi, contra inobedientes quascumque censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravandi, mandata, prohibitiones, inhibitiones et monitoria etiam sub censuris et aliis poenis praedictis, ceterisque sibi benevisis remediis, omni et quacumque appellatione postposita decernendi, omniaque in praemissis, et circa et necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exequendi, etiam quae expressionem requirerent magis specialem, et sub generali concessione non venirent, iis tamen servatis limitibus, quos Visitatores collatis insimul consiliis praescribens et exceptis semper causis maioris momenti, ad Congregationem VV. FF. NN. S. R. E. Card. super negotiis Visitationis apostolicae Ecclesiarum et Locorum piorum Urbis praepositorum vigore citatae Bullae Indictionis deferendis.

XVIII. Pro celeriori causarum expeditione, et ad parcendum quantum fieri potest, partium dispendiis, simplici et nudae scripturarum ac iurium in tribunalibus, seu archiviis, aut notariorum officiis eiusdem Urbis existentium indicationi, eorumque notis ac privatis copiis standi, et illis ad probationem eandem fidem in iudicio adhibendi, quae adhiberetur, si illa in forma publica et authentica forent transumpta, aut alias originaler exhibita.

Mandamus autem omnibus et singulis ad quos spectabit, quacumque dignitate, auctoritate, potestate et praeeminentia fulgentius, ut Vobis et cuilibet Vestrum in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, alioquin sententias seu poenas, quas rite tuleritis seu statueritis in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, et Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospi-

talium, Ordinum, Congregationum, Archiconfraternitatum, Confraternitatum et aliorum Locorum et Operum piorum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, stabilimentis, usis et naturis ac stylo Curiae; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et Litteris Apostolicis praemissis et cuiusvis illorum, ac superioribus et personis eorum quomodolibet, nuncupatis et qualificatis, sub quibus cumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insoliiis clausulis et decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu proprio, vel ad Catholicorum Principum quorumlibet preces, et instantiam, seu eorum contemplatione et intuitu, atque etiam consistorialiter, et alias quomodocumque et quandocumque concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse ac plenissime derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III Martii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. * S.

A. CARD. MACCHI.

Dilecto Filio Nostro Petro tituli SS. Quatuor Goronatorum
S. R. E. Presbytero Cardinali Respighi Nostro in Urbe
eiusque districtu Vicario in spiritualibus Generali,
Ven. Fratribus antistitibus, ac dilectis Filiis Rom. Curiae Praelatis
pro Visitatione Ecclesiarum, ei locorum Piorum almae Urbis
a Nobis instituta specialiter deputatis.

ALLOCUTIO

quam Pius PP. X habuit ad Sacrum Cardinalium Collegium occasione diei nominalis, graviter reprobans iniustam Gubernii Gallici persecutionem adversus religiosas Congregationes.

PIUS PP. X

Accogliamo con viva soddisfazione i felici augura che il Sacro Collegio Ci porge, per la prima volta, nella fausta ricorrenza della festa di S. Giuseppe, il cui nome venerato Ci fu dato in sorte di ricevere nel Santo Battesimo. Questi augurii sono una testimonianza a Noi graditissima dei filiali e devoti sentimenti del Sacro Collegio e Ci raddoppiano la letizia di una festività già cara al mondo cattolico per tanti titoli.

Mentre pertanto rendiamo al Sacro Collegio sentiti ringraziamenti, eleviamo la Nostra mente ed il Nostro cuore al dolcissimo Patrono della Chiesa universale, aftinché a compimento dei voti offertici, ottenga a Noi dal Sovrano Datore di ogni bene lumi ed aiuti neh' esercizio dell' arduo Nostro ministero ed alla Chiesa quella efficace e benigna protezione, di cui ha tanto bisogno nelle dure e perigliose lotte del tempo.

E queste lotte certamente non mancano anche ai giorni nostri. Ed in vero se volgiamo lo sguardo alle condizioni della grande famiglia cattolica, Noi troviamo, senza dubbio, argomenti ben solidi di consolazione, scorgendo la bella e stretta unione dell' Episcopato con questa Sede Apostolica, il movimento affettuoso dei popoli verso il centro dell' unità ed il fecondo e sempre crescente sviluppo che vanno prendendo le opere cattoliche presso tutte le nazioni. D' altro lato però abbiamo larga materia di preoccupazione e di amarezza nel vedere con quanto ardore sono oppugnati i principii cattolici, con quanta pertinacia sono sparsi in mezzo alle moltitudini errori funesti non meno alla Chiesa che al civile consorzio e con quanta aberrazione sono distrutte in alcuni luoghi istituzioni ed opere saluberrime, fondate dalla Chiesa con tanta sollecitudine e con tanti sacrificii pel bene morale e materiale del popolo.

Ed in ordine a quest' ultimo punto, a Voi son noti, Signori Cardinali, i dolorosi avvenimenti che da qualche anno si vanno svolgendo in Francia. Da che fummo assunti, per inscrutabile consiglio della divina Provvidenza, alla cattedra del Principe

degli Apostoli, Noi non mancammo come già il Nostro glorioso Predecessore di dar prove di sincero affetto all' illustre nazione francese e di speciale deferenza al suo Governo.

Se nonché, Ci è d'uopo confessarlo, mentre Ci allietano grandemente le continue dimostrazioni di pietà e di attaccamento che Ci vengono da quel popolo cattolico, Ci addolorano profondamente le misure già adottate ed altre che stanno adottandosi nella sfera legislativa contro le Congregazioni religiose, che formarono in quel paese, colle loro opere esimie di carità e di educazione cristiana, la gloria non meno della Chiesa cattolica che della patria. Come se non fosse stato immensamente grave e deplorevole quanto erasi fin qui compiuto a deferimento di esse, si è creduto di andar più oltre, malgrado i Nostri ripetuti sforzi per impedirlo, col presentare e propugnare un progetto, che ha per iscopo non solo d'interdire, con ingiusta ed odiosa eccezione, qualsiasi insegnamento ai membri degli Istituti religiosi anche autorizzati, e ciò unicamente perchè religiosi, ma eziandio di sopprimere gl' Istituti medesimi approvati a scopo preciso d'insegnamento e di liquidare i loro beni. Siffatta misura avrà, come ognuno comprende, la triste conseguenza di distruggere in grandissima parte l'insegnamento cristiano fondamento precipuo di ogni civile società, preparato ed alimentato dai cattolici, sotto l'egida della legge ed a prezzo dei più generosi sacrificii. In tal guisa si avranno innumerevoli fanciulli allevati, contrariamente alla volontà dei loro genitori, senza fede e senza morale cristiana con danno incalcolabile delle anime; come pure si avrà di nuovo il pietoso e sconfortante spettacolo di migliaia di religiose e di religiosi, costretti, senza aver demeritato in nulla, ad andar raminghi e privi di risorse su tutti i punti del territorio francese, ovvero profughi in terre straniere. Noi deploriamo e riproviamo altamente siffatti rigori essenzialmente contrarii al concetto di libertà benintesa, alle leggi fondamentali del paese, ai diritti inerenti alla Chiesa cattolica ed alle norme della stessa civiltà, che vieta di colpire cittadini pacifici, i quali pur dedicandosi, sotto la garanzia della legge, ad opere di cristiana educazione, non vennero mai meno ad alcuno dei doveri e degli oneri imposti agli altri cittadini. Né a questo proposito possiamo dispensarci dall' esprimere il Nostro dolore per la presa disposizione di deferire al Consiglio di Stato come abusive, lettere

rispettose, rivolte al Supremo Magistrato della Republica da alcuni benemeriti Pastori, tre dei quali membri del Sacro Collegio, Senato augusto della Sede Apostolica, quasi potesse costituire una colpa l'indirizzarsi al Capo dello Stato per richiamare T attenzione di lui sopra argomenti strettamente connessi coi più imperiosi doveri della coscienza e col bene pubblico.

Ma benché questa situazione amareggi profondamente il Nostro cuore, non diminuisce però il Nostro coraggio; nutriamo invece ferma speranza che il Signore, accogliendo benignamente le nostre suppliche e quelle di tante anime pie, affretterà P ora delle sue misericordie ed aprirà anche il cuore di quegli che oggi son sordi alla voce della Chiesa. A questi sentimenti di fiducia e di conforto si ispireranno sopratutto, ne siamo certi, le religiose ed i religiosi di Francia, figli eletti della Chiesa cattolica, che Noi seguiamo nel loro dolore col più profondo affetto del Nostro animo paterno e colle Nostre più ferventi preghiere. Che la dura prova del momento non scuota la loro fermezza, e si dieno, anzi, con raddoppiato fervore ad una vita di fede e di opere sante, perdonando a quanti avversano comechessia i loro Istituti e tenendo sempre alti i loro pensieri ed i loro sguardi. La tribolazione è il retaggio della Chiesa, ma attraverso le ombre e le vicende di quaggiù, la fede ci addita i puri orizzonti di un'altra patria ove, in premio delle nostre virtù e delle angustie pazientemente sofferte, Ci sarà dato godere, nella visione di Dio, pace e dolcezze senza fine.

Vediamo bene, Signori Cardinali, che le Nostre parole sono trascorse dalla letizia della festa ad argomento del tutto differente, ma Ci è sembrato opportuno, che voi come Nostri figli carissimi foste a parte delle Nostre gioie e delle Nostre pene. Ed ora nelP augurarvi dal Cielo, in ricambio dei vostri voti, i più eletti favori, v' impartiamo di tutto cuore P Apostolica benedizione.

(Versio)

PIUS PP. x

Vota, quae Sacrum Collegium hodie primum Nobis ominatur, grato animo excipimus, die laeta vertente in qua festum colit Ecclesia Divi Iosephi, cuius nomen in sancto baptismate Nobis sors dedit. Haec vota sunt Nobis pergratum testimonium

Sacri Collegii sensuum piorum, et Nobis augent laetitiam festi iam multis de causis toti orbi dilecti.

Dum igitur Sacro Collegio gratiam referimus, Nostrum spiritum et cor Nostrum ad dulcissimum universalis Ecclesiae Opitulatorem extollimus ut, votis expletis, a Deo Nobis lumina •et auxilia, dum difficili ministerio perfungimur, et Ecclesiae efficacem et propitiam protectionem, qua eget his duris eventibus, obtineat.

His enim vertentibus annis sunt multa certanda certamina. Nam si statum universalis Ecclesiae perpendimus, Nos sine dubio firma argumenta laetitiae invenimus, cum Episcopatus huic Apostolicae Sedi tam firmiter adhaereat, et populi ad unitatis centrum ex animo moveantur, et catholica opera apud omnes nationes magis in dies floreant. At cum perspiciamus Ecclesiae catholicae principia magno conatu adversari, firma pertinacia inter plebem errores, non minus Ecclesiae catholicae quam civium societati nocentes, divulgari, et magna caecitate aliquibus in locis destrui institutiones et opera salutaria, quae Ecclesia boni moralis et corporalis populorum semper sollicita, tot tantisque curis atque oneribus fundavit, Nos magno dolore et sollicitudine afficimur.

Et ad hoc quod attinet Vobis constat, Venerabiles Fratres, paucis abhinc annis luctuosos eventus in Gallus accidere. Ex quo vero^ abscondito Dei numine, ad Principis Apostolorum cathedram sumus evecti, Nobis cordi fuit, Nostri gloriosi Antecessoris vestigia sequentibus, illustri Gallicae nationi paternam Nostram dilectionem et eius Gubernio speciale obsequium ostendere.

Sed, oportet enim hoc confiteri, dum sunt Nobis magno solatio crebrae significationes pietatis atque affectus illius populi catholici, valde Nos affligunt mensurae, quibus iam potestas legislativa usa est, et aliae, quibus est usura adversus Congregationes religiosas, quae in illa regione fuerunt, egregiis operibus caritatis et christianae institutionis, gloria non minus catholicae Ecclesiae, quam patriae. Quod iam in ipsas actum est, quasi gravis ac funesti detrimenti non esset, acerbius progressum est, Nobis conantibus ne haec evenirent, legem Gubernium cum referat, et propugnet, quae, singularitate odiosa et iniusta, non tantummodo vetat sociis Congregationum religiosarum quidlibet docere, quamvis auctoritatem ab eodem adse-

qmiti sint, et hoc quia illi sunt religiosi, sed etiam conculcai ipsa Instituta adprobata ad docendum et eorum bona fisco addicit.

Ex hac mensura, ut patet, eveniet ut maxima in parte destruatur christiana institutio, praecipuum fundamentum omnis civilis societatis a christifidelibus parata et alta, faventibus legibus et magnanimis cum conatibus. Ita complures adolescentes alentur, invitis parentibus, absque fide et christiana institutione, maximo animarum detrimento; atque iterum videbimus magno dolore complures religiosas et religiosos, quamvis patria optime meriti sint, bonis orbatos per Gallicam regionem exules vel per orbem vacantes. Nos fortiter deploramus et reprobamus has acerbitates toto caelo contrarias conceptui libertatis bene perspectae, praecipuis legibus regionis, iuribus catholicae Ecclesiae inhaerentibus et regulis ipsius humanitatis, quae vetat icere cives pacificus, qui, sub legis tutela, cum vacent operibus christianae institutionis, iuribus et oneribus aliis civibus impositis numquam defuerunt. Et ad hoc quod attinet Nobis videtur dolor ostendendus esse, quod volunt referre ad Consilium Reipublicae, ut abusivas, epistolas obsequentes ad Supremum Magistratum Reipublicae missas a nonnullis bene meritis Pastoribus, quorum tres ex Sacro Collegio, Apostolicae Sedis augusto Senatu, quasi culpae adscribendum sit litteras ad Supremum Magistratum mittere, ut aures adhibeat ad res stricte adhaerentes ad iura conscientiae et ab bonum commune.

Sed quamquam Nos magno dolore his conditionibus afficimur, non minuit tamen spiritus Noster: confidimus enim et firmiter speramus Dominum Nostras supplicationes et illas tot piarum animarum benigne excepturum, tempus misericordiarum suarum festinaturum, aperientem aures eorum qui nunc surdis auribus vocem Ecclesiae accipiunt. Ad hos sensus spei ac solatii se accommodabunt, pro certo habemus, religiosae et religiosi Gallicae nationis, catholicae Ecclesiae electi filii, quos Nos sequimur dolore affectos maxima dilectione cordis Nostri et Nostris ardentibus precibus. Ne huius horae durum fatum eorum firmitatem evertat, quinimo aucto fervore operibus fidei et sanctitatis vacent, parcentes omnibus, qui quoque modo eorum Institutis obstant, et ad astra corda et oculos semper dirigant.

Tribulatio est haereditas Ecclesiae, sed trans umbras et humanos eventus fides nobis ostendit coelestem patriam, ubi

praemio virtutum et dolorum patienter sublatorum, gaudium visionis Dei, pacem et dulcedinem aeternam habebimus.

Scimus, Venerabiles Fratres, Nostra verba a laetitia huius festi ad rem omnino contrariam transiisse, sed Nobis opportunum visum est vos, Nostros dilectissimos filios, participes esse Nostrorum gaudiorum et dolorum. Nunc vero vobis, pro votis, fausta felicia quaeque ominantes, ex toto corde Apostolicam benedictionem impertimus.

Die 18 Martii 1904.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

De Ecclesiae legibus in unum redigendis.

PIUS PP. X

Arduum sane munus universae Ecclesiae regendae ubi primum, arcano divinae Providentiae consilio, suscepimus, praecipua Nobis mens fuit et quasi lex constituta, quantum sinerent vires, instaurare omnia in Christo. Hanc voluntatem vel primis encyclicis Litteris ad catholici orbis Antistites datis patefecimus; ad hanc veluti metam omnes animi Nostri vires hactenus intendimus; huic principio coepta Nostra conformanda curavimus. Probe autem intelligentes ad instaurationem in Christo ecclesiasticam disciplinam conferre maxime, qua recte ordinata et fiorente uberrimi fructus deesse non possunt, ad ipsam singulari quadam sollicitudine studia Nostra animumque convertimus.

Equidem Apostolica Sedes sive in Oecumenicis Conciliis sive extra Concilia nunquam intermisit ecclesiasticam disciplinam optimis legibus instruere pro variis temporum conditionibus hominumque necessitatibus. At leges, vel sapientissimae, si dispersae maneant, facile ignorantur ab iis qui eisdem obstringuntur, nec proinde, uti par est, in usum deduci possunt. Hoc ut incommodum vitaretur, atque ita ecclesiasticae disciplinae melius consultum esset, variae sacrorum canonum Collectiones confectae sunt. Antiquiores praeter euntes, commemorandum heic ducimus Gratianum, qui celebri *Deereto* voluit sacros canones non modo in unum colligere, sed inter se conciliare atque componere. Post ipsum Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Bonifacius VIII, Clemens V cum Ioanne XXII, De-

cessores Nostri, Iustinianeum opus imitati pro Iure romano. Collectiones authenticas Decretalium confecerunt ac promulgarunt, quibus postremis tribus cum Gratiani Decreto vel hodie *corpus* quod dicitur *iuris canonici* praesertim coalescit. Quod quum Tridentina Synodus et novarum legum promulgatio impar reddiderint, Pontifices Romani Gregorius XIII, Xystus V, Clemens VIII, Benedictus XIV, animum adiecerunt sive adornandis novis corporis iuris canonici editionibus, sive aliis sacrorum canonum Collectionibus parandis; quibus novissime Collectiones authenticae decretorum accesserunt sacrarum quarundam Congregationum romanarum.

Verum per haec si quid allatum est quo pro temporum adiunctis difficultates minuerentur, rei tamen haud satis prospicitur. Ipsa namque Collectionum congeries non levem difficultatem parit; saeculorum decursu leges prodiere quamplurimae, in multa congestae volumina ; non paucae, suis olim aptae temporibus, aut abrogatae sunt aut obsoleverunt ; denique nonnullae, ob immutata temporum adiuncta, aut difficiles ad exequendum evaserunt, aut communi animorum bono minus utiles.

His incommodis pro nunnullis iuris partibus quae urgentioris erant necessitatis, occurrere curarunt ex Decessoribus Nostris praecipue Pius IX et Leo XIII sa. me., quorum alter per Constitutionem *Apostolicae Sedis* (1) censuras coarctavit latae sententiae, alter leges de publicatione ac censura librorum tempera vit per Constitutionem *Officiorum et munerum* (2); et normas constituit Congregationibus religiosis cum votis simplicibus per Constitutionem *Conditae a Christo* (3). At illustres Ecclesiae Praesules, iique non pauci etiam e S. R. E. Cardinalibus, magnopere flagitarunt ut universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur, amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus fuerit, ad nostrorum temporum conditionem propius aptatis; quod idem plures in Vaticano Concilio Antistites postularunt.

Haec Nos iusta sane vota probantes ac libenter excipientes, consilium cepimus eadem in rem tandem deducendi. Cuius quidem coepti quia Nos minime fugit quanta sit amplitudo et mo-

ti) Cfr. *Acta* S. *Sedis,* vol. V, 287.

(2) Cfr. » » vol. XXIX, 388.

(3) Cfr. •» v vol. XXXIII, 241.

les, idcirco motu proprio, certa scientia et matura deliberatione decernimus et perficienda mandamus quae sequuntur.

I. Consilium, sive, ut aiunt, *Commissionem* Pontificiam constituimus, quam penes erit totius negotii moderatio et cura, eaque constabit ex nonnullis S. R. E. Cardinalibus, a Pontifice nominatim designandis (1).

II. Huic Consilio ipse Pontifex praeerit, et Pontifice absente, Cardinalis decanus inter adstantes.

III. Erunt praeterea iusto numero Consultores, quos Patres Cardinales e viris canonici iuris ac theologiae peritissimis eligenti Pontifice probante.

IV. Volumus autem universum episcopatum, iuxta normas opportune tradendas, in gravissimum hoc opus conspirare atque concurrere.

V. Ubi fuerit constituta ratio in huiusmodi studio sectanda, Consultores materiam parabunt suamque de ipsa sententiam in conventibus edent, praeside illo, cui Pontifex mandaverit Consilii Cardinalium esse ab actis. In eorum deinde studia et sententias PP. Cardinales matura deliberatione inquirent. Omnia denique ad Pontificem deferantur, legitima approbatione munienda.

Quae per has Litteras a Nobis decreta sunt, ea rata et firma volumus, contrariis quibusvis etiam speciali aut specialissima mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum XIV Cal. April, die festo S. Iosephi, Sponsi B. M. V., MDCCCCIV Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

(1) Revera Sanctitas Sua in membra huius Pontificiae Commissionis eligere dignata est Emos ac Rñlos Dominos Gardinales:

Seraphinum Vannulelli, Antonium Agliardi, Vincentium Vannutelli, Franciscum Satolli, Marianum Rampolla del Tindaro, Hieronymum M. Gotti, Dominicum Ferrata, Franciscum de Paula Cassetta, Franciscum Desideratum Mathieu, Casimiren Gennari, Beniaminum Cavicchioni, Raphaelem Merry del Val, Andream Steinhuber, Franciscum Segna, Iosephum Calasanctium Vives y Tuto et Felicem Cavagnis.

Insuper eadem Sanctitas Sua concredidit Illmo ei Revmo Petro Gasparri, Archiepiscopo Caesarien., munus a Secretis praedictae Commissionis Pontificiae, necnon Praesidis Consultorum Conventus.

In *Acta Sanctae Sedis* suo tempore dabimus, uti nostri moris et muneris est, *acta authentica et officialia* huius quoque Pontificiae Commissionis, eaque, Deo opitulante, illustrabimus necessariis et opportunis adnotationibus atque commentariis.

EX SECRETARIA BREVIUM

Indulgentiae largiuntur recitantibus parvum Officium SSmi Cordis Iesu.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

Curavit exponendum Nobis Venerabilis Frater Iosephus Episcopus Andegavensis, quamplures fideles illis in regionibus parvum Officium SSmi Cordis Iesu a Sacrorum Rituum Congregatione recognitum et adprobatum devote quovis die recitare solitos esse, eamque constantem in precibus perseverantiam fidem excitare, ac potissimum sincerae charitatis ardorem fovere ac provehere. Quo vero tam laudabile studium erga SSmum Iesu Cor in dies magis provehatur, enixas Nobis idem Antistes preces adhibuit, ut coelestes Ecclesiae thesauros reserantes, fidelibus parvum idem Officium recitantibus nonnullas alias indulgentias largiri dignaremur; Nosque id rati in spirituale christiani gregis bonum quam maximo cessurum, votis hisce piis annuendum, quantum in Domino possumus, existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, praeter indulgentiam partialem biscentum dierum iis concessam per similes Apostolicas Litteras die XII mensis Decembris anno MDCCCCI datas (1), qui dictum parvum Officium, vel latina vel vernacula lingua, dummodo versio sit fidelis et rite probata, devoto et contrito corde, quovis anni die recitaverint, atque ad mentem Romani Pontificis oraverint, omnibus pariter et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui per solidum mensem ipsum Officium integrum singulis diebus recitaverint, ac vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, uno ad cuiusque eorum lubitum eligendo intra mensis ipsius spatium die publicum quodvis templum visitent, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXV, pag 38.

et remissionem, quam etiam animabus christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus vero ut praesentes nullae sint, nisi earundem exemplar transmittatur ad Congregationem sacris Reliquiis atque Indulgentiis praepositam; utque praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die I Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. & S.

Pro Dno CAED. **MACCHI**
NICOLAUS MARINI, ***Substitutus.***

Praesentium Litterarum exemplar transmissum fuit ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Martii 1904.

IOSEPHUS **M. Can.** COSELLI, ***Substitutus.***

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

TERRACINEN.

LOCATIONIS - CONDUCTIONE

Species facti

Die 26 Iunii i 903.

Terracinensis Episcopus Bergamaschi quemdam iudicialiter recuperavit episcopali xMensae hortum, haud quidem fiscali legi subiectum, quem sibi familia Mangoni arroga verat, eumque suis sumptibus sive muros reparando, sive arbores inserendo, meliorem effecit.

Dum ipse, utpote Troiae Episcopus electus, Terracinensis dioecesis Apostolici Administratoris munere fungebatur, eumdem hortum Salvatori Mangoni locavit, ea lege ***a)*** ut hic eidem pro peractis ibi impendiis lib. 300 solveret; ***b)*** ut idem Mangoni meliorem eundem hortum redderet, postea absoluta locatione ab eo rependendus; c) ut eadem locatio tribus perduraret annis.

Verum Episcopus Ambrosi in eadem Terracinensi Sede successor haud ratum eundem contractum habuit, idque dum in possessionem per civilem legem missus fuit prius per scripturam ad iuris normam rite expressit, dein die 5 Aprilis 1902 eidem Mangoni denuntiavit ut expleto triennio, prout antea statutum fuerat, eumdem hortum liberum ipsi relinqueret. Tunc dictus Mangoni ab Episcopo Ambrosi lib. 300, quas Episcopo Bergamaschi solverai, repetiit, nec non ea quae pro eiusdem horti bonificatone de suo per triennium impenderat. Verum renuentibus tum Episcopo

Ambrosi tum Episcopo Bergamaschi id solvere, cum ille haud eumdem contractum ratum habeat, iste non amplius Terracinae Episcopus existat, dictus ideo Mangoni ad sua iura tuenda recursum apud hanc S. O. instituit.

Rationes Episcopi Bergamaschi

In primis Episcopus Bergamaschi adnotat nullam a Mangoni actionem adversus eum institui posse, cum ipse contractum illum non prouti persona privata sed ut Episcopus et Administrator Apostolicus illius dioecesis peregerit. Ad suum proinde in eadem Sede successorem, videlicet Episcopum Ambrosi, spectare ait episcopalis Mensae iura hac in causa tueri, addens locationis contractum iuxta canonicas leges fuisse initum.

Equidem notum esse recolit lippis et tonsoribus Episcopum instar Beneficiarii fundos proprii beneficii ***ad triennium*** locare posse, ipsiusque successoris esse non modo haud improbare quae decessor per contractum locaverit, sed et onus ferre si quod ille, prouti diligens sui beneficii administrator, cui quidem cura incumbit ne fundi deteriores fiant, forte reliquerit.

Iamvero idem Episcopus plures enumerat expensas quas ipse. tum pro episcopali Mensa augenda sustinere sategit, tum pro reparanda ac ornanda episcopali domo, ipsiusque hortuli muris, pro quo insuper recuperando addit « oltre a non aver percepito mai nulla dal giardino, perdei anche tutte le spese giudiziarie ». Atque ne recens ibi consita vinea quoddam, episcopali praesertim Sede vacante, detrimentum caperet, necesse fuit, ait, illam custodiendam alicui tradere ; adeo ut ea quae conductor per tres annos sua industria pro eodem hortulo custodiendo augendoque insumpserit, iure onus pro successore qui eo nunc fruitur constituere debeant. Ideoque cum idem contractus episcopali Mensae prouti par erat bene verterit, iuxtaque sit initus leges, iam sequitur, ait, quidquid ab eo derivatum est iure ad successorem transisse, eique proinde onus incumbere eius-

modi episcopalis Mensae iura adversus eumdem Mangoni tueri. Praeterea idem Episcopus addit summam libel. 300 prouti a Mangoni solutam in contractu habitam esse ex mente ut iste quodammodo ad eiusdem horti bonificationem servandam obstringeretur. Caeterum advertit ipsum Mangoni nihil de dicta summa solvisse, ac nisi lib. 250 obligatorium collybum Canonico Piacenti, cuius opera contractum ipse inierat, tradidisse. Hanc profecto summam per parochum S. Ioannis Episcopo Ambrosi oblatam, eumdem accipere noluisse refert. Neque opponere posse addit Episcopum Ambrosi vi contractus a suo decessore peracti iniuste cogi ad summam sat notabilem pecuniae solvendam ab ipso Mangoni expetitam, cum haec haud sit repetenda, ait, ex bonificatione sat quidem quod supererai circumscripti soli, prouti in eodem contractu statutum fuerat ; sed quia temere minimeque eo obsistente idem Mangoni consitiones antea factas convellerit, aliasque suo lubitu supposuerit, pro quibus nunc maiorem ipse postulat pecuniae summam.

Exinde concludit quod, cum ex eadem vinea quam vitibus ipse arboribusque conseverat, uberes modo fructus amplius colligi nequeant, necesse est eumdem Mangoni ad eiusmodi illata damna reparanda teneri. Ideoque cum ista non vi contractus ab ipso initi evenerint, sed prorsus ipsius Mangoni arbitrio, ad Episcopum Ambrosi ait spectare potius contra eum actionem instituere, tum scilicet pro illato ab eodem damno, tum pro eidem denegando quae ipse sibi iniuste deberi contendit.

Deductiones Episcopi Ambrosi

Episcopus Ambrosi qui nunc episcopalem Terracinensem Sedem obtinet probare nititur haud se contractui invalide quidem a suo decessore inito subiici, ipsumque Mangoni actionem suam in Episcopum Bergamaschi intendere debere.

Animadvertit enim eundem hortum non ut excoleretur sed ut ibi Episcopus deambulatum ire posset a Gubernio eidem Mensae relictum fuisse, secus enim aliorum instar

bonorum ad episcopales Mensas pertinentium eo potitus esset. Idque ab omnibus Episcopis praestitum fuisse addit, qui, iuxta ipsum, vel illum haud locarunt, vel eo modo locarunt ut nulla ex eo passi vitas oriretur.

Iamvero recolit Episcopum Bergamaschi eundem contractum iniisse cum iam Troiae Episcopus electus fuit, eumque publicis mandasse tabulis postquam regium pro eadem Sede, uti vocant, *Exequatur* obtinuerit. Cum insuper in possessione a Sub-economo eidem data illud reperisset quod reparandi eiusdem horti muros obligatio Episcopo pro tempore imponeretur, contractus autem boniñcationis imposita favore conductorum compensatione interdicerentur ; ne exinde ratum ipse haberet quod suus decessor gesserat, formalem denuntiationem emittere curavit, expetens ut libere eodem uti posset horto. Haec sane ait in artic. 3° adnotantur: « Astenersi dal prendere o pattuire negli affitti qualunque anticipazione di corrisposta, e dall' introdurre a favore degli affittuari qualunque riserva di compensi per miglioramenti sulla corrisposta dell' ultimo anno ». Adnotat etiam, quod, quamvis Episcopus Bergamaschi in animo antea habuerit supradictam lib. 300 summam ipsi Mangoni relinquere compensationis titulo pro peracta hortuli bonificatione; postea mutata sententia ipsum obligatorium collybum alteri tradidit, cui idem Mangoni satisfacere coactus est.

Praeter haec idem Episcopus negat suum decessorem Bergamaschi pro eodem recuperando horto pecuniam de suo impendisse; cum notum sit Sac. Angelum Mangoni ipsius Salvatoris consanguineum hanc ob litem 50 Missas iuxta Episcopi Bergamaschi mentem celebrasse ; ipsum praeterea Salvatorem 50 libellas pro eodem horto solvisse, 50 autem pro vinaria episcopalis Mensae cella ei locata. Addit insuper se noluisse collybum illum lib. 250 accipere cum dictum contractum ut nullum ipse usque habuerit ; ratus pariter ad ipsum Episcopum Bergamaschi spectare a dicta passivitate liberam eandem Mensam reddere, directe cum eodem Mangoni paciscendo. Neque componi videntur subdit

quae ab Episcopo Bergamaschi ac Mangoni in medium afferuntur, cum ille asserat bonificationes ab eo fuisse peractas; hic vero affirmet ipsum hortum, tum cum ei traditum fuit, utpote incultum, omni fructu caruisse: ideoque praeter summam per collybum a se solutam, pro peracta ibi bonifications lib. 400 compensationis titulo postulare ipsum sit.

Quod autem idem locationis contractus minime sustineatur, erui posse ait ex epistola sibi a R. Sub-economo scripta ubi hic adnotat, quod, cum Episcopus Bergamaschi regium obtinuerit *Exequátur* die 19 Oct. 1899, vi cuius eidem episcopalis Sedes Troiae adsignabatur contractus autem in acta redactus die 30 eiusdem mensis locum habuerit, profecto haud amplius sese iis immiscere poterat quae ad hanc Mensam pertinebant.

Praeterea idem Episcopus Ambrosi negat ex eodem horto tot posse percipi fructus, ut bonificationes a Mangoni peractas quodammodo rependere ipse valeat. Praeterquam quod enim asserit se rescivisse ab eiusdem Mangoni filio ipsum hortum tantummodo lib. 19 fructus dedisse , animadvertit etiam, antequam dictae bonificationes fierent iam ex eadem horti locatione lib. 60 fuisse perceptas ; eumque insuper non pro percipiendis fructibus sed pro ipsius Episcopi solatio fuisse concessum: neque proinde Episcopum pro tempore contractus inire posse, vi quorum eodem uti successor impediatur. Neque omittit dictum Mangoni nihil ei de dicta locatione an. .1902 et 1903 sol visse.

Quare cum ab Oeconomatu prohibitum fuerit quominus onera episcopali Mensae imponerentur, iam patet ait quoad locationis effectus ad Episcopum Bergamaschi spectare cum eodem Mangoni agere, simul efficiendo ut idem hortus liber sibi quocumque remoto damno tradatur, ut exinde prouti talem ipse eum servare suisque successoribus transmittere possit.

Rationes Salvatoris Mangoni

Iste quidem ad contractum provocat, quem cum Episcopo Bergamaschi peregit, in publicis quidem tabulis descriptum, eidemque ambo episcopos satisfacere debere censet. Addit insuper Episcopum Ambrosi locationis duorum annorum reditus ab eo percepisse, eique denunciasse quod expleto triennio eundem hortum ipsi relinqueret, simul significando se in animum habere cuncta persolvere: id tamen noluisse postea explere.

Exinde idem postulat ut 1. 300 quas Episcopo Bergamaschi ipse solvit, ei restituantur, nee non quae pro eiusdem horti bonificatione peregit, quaeque iuxta Episcopum Ambrosi libel. 400 summam pertingunt.

Quibus enucleatis ad

Dubium

An et a quo debeatur Dho Mangoni summa libellarum 300 ab ipso soluta in actu locationis horti pro melioramentis ab Episcopo Bergamaschi in eo peractis; necnon quaedam alia summa pro melioramentis ibidem peractis ab eodem Mangoni in casu.

S. Congregatio Episcoporum et Regularium, re ad examen vocata, die 26 Iunii 1903 respondere censuit :

Summam libellarum 300 deberi ab Episcopo Bergamaschi; compensationem vero, a perito taxandam pro aliis melioramentis, pro medietate deberi ab Episcopo Bergamaschi, pro altera medietate ab Episcopo Ambrosi.

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 11 Decembris 1903.

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, in qua, praeter alia, propositae sunt infrascriptae Causae, iuxta morem eiusdem S. Congregationis discutiendae; quaeque sequenti modo resolutae fuerunt:

I. TAURINEN. - IURISPATRONATUS.

D. 1.° ***An sententia Curiae Archiepiscopalis Taurinensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.***

Et quatenus affirmative ad secundum;

2.° ***An sacerdoti Bonetto competat actio adversus Revmum Priorem Cappello in casu.***

R. Ad 1um ***Infirmandam esse sententiam.***

Ad 2um ***Provisum in 1.°***

II. PARISIEN. - EXEMPTIONIS.

D. 1.° ***An decisio S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 23 Septembris 1881 sit confirmanda vel infirmanda in casu.***

Et quatenus negative ad primum, et affirmative ad secundum:

2.° ***An dependentia Missionariorum a iurisdictione Ordinariorum extendatur etiam ad alias materias de foro interno.***

R. Ad 1um et ad 2um ***ad mentem: mens est quod alumni Congregationis Missionis valide confiteri possint penes quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum, facto ad cautelam verbo eum SSmo.***

III. PIENTINA SEU **CLUSINA -** IURIUM.

D. ***An et quomodo sententia diei 6 Februarii 1903 sit confirmanda vel infirmanda in casu.***

R. ***In decisis j et sacerdotem Ignatium Cossi pertinere ad Dioecesim Albanensem.***

IV. FLORENTINA - EXPULSIONIS.

D. 1.° ***An sacerdos Ioannes Ricciardi sit incardinatus Archidioecesi Florentinae in casu.***

Et quatenus negative :

2.° ***An sustineatur dispositio Ordinarii Florentini quoad remotionem sacerdotis Ioannis Ricciardi in casu.***

R. Ad 1um ***Negative.***

Ad 2um ***Affirmative et ad mentem.***

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DECRETUM

ad Italiae Episcopos de Visitatione Apostolica.

Constat apud omnes, supremae Romani Pontificis auctoritati ius esse atque officium de statu ecclesiarum omnium cognoscendi, et a singulis Praesulibus exigendi, ut sui quisque ministerii rationem Ipsi reddant. Id profecto sibi volunt Christi verba : « *Pasce agnos, pasce oves* », id Ecclesiae unitatis postulat ratio, id actum ab initio et non intermissa consuetudine servatum docet historia.

Iugi autem experientia compertum est, quo plenius et intimius hic nexus Romanum Pontificem inter et Episcopos viguerit, eo felicius religioni contigisse. Nam ex unione auctae vires, Ordinariorum auctoritas maior effecta, vitiis et erroribus obex citius et efficacius paratus, animarum saluti melius consultum.

Duplex autem modus est quo Romani Pontifices de statu ecclesiarum certiores fieri consueverunt. Aut enim ipsarum rectoribus mandarunt, ut de sua quisque dioecesi ad Apostolicam Sedem fideliter pleneque referrent; aut legatos miserunt, variis nominibus pro temporum, locorum adiunctis, aut pro natura munerum designatos.

Ita sane consueverunt Apocrisarios, Nuntios, aut Delegatos Apostolicos ad principes temporales destinare, non alia quidem de causa quam ut quae ad christianam rempublicam spectarent cum eis agerent. Ita quoque Legatos frequenter miserunt ad particulares ecclesias aut ad alicuius regionis regnive fideles, ut religiosa illius loci negotia directo curarent, nunc ordinaria quadam et stabili ratione, uti Legati nati, nunc extraordinario modo ac temporario ut Visitatores Apostolici.

Peculiaris vero Summorum Pontificum cura fuit ut Italia, quae sua ipsius conditione Romanam Ecclesiam propius attingit, arctiori vinculo Apostolicae Sedi obstringeretur, cum eaque frequentius communicaret. Idcirco S. P. Sixtus V in Const. *Romanus Pontifex* decrevit, ut eius Episcopi crebrius quam ceteri, idest unoquoque triennio, SS. Apostolorum limina visita-

rent ac de suarum dioecesium statu referrent; eademque de causa Visitatores Apostolici ad diversas Italiae dioeceses aut regiones, praesertim post S. S. Tridentinam synodum saepe missi, etsi iam penes principes et respublicas, queis olim Italia constabat, Apostolici Nuntii essent, qui negotia religionis vigilarent.

At nunc civilibus Italiae conditionibus mutatis, quum alia complura, tum etiam esse desiit institutum hoc saluberrimum. Quo factum est ut una quoque ex potissimis rationibus defecerit, quibus Romanus Pontifex possit cognoscere quid boni ac meriti alicubi sit, aut quid forte reprehensione dignum, ut valeat opportune providere.

Quod quum diuturna satis experientia docuerit haud sine Ecclesiae detrimento accidisse, ve. me. Pontifex Leo XIII S. Concilii Congregationi commisit, ut videret si quis forte modus esset quo defectus ille pro temporum conditione suppleretur.

Haec autem, omnibus mature perpensis, optimum factu censuit Apostolicam quandam Visitationem instituere per sacri ordinis viros, dignitate, doctrina et prudentia praestantes, qui certis temporibus varias Italiae regiones perlustrarent; ab Episcopis audirent, quae cleri esset, quae seminarii, quae populi, quae cultus divini conditio ; ubi forte opus esset, suis ipsi oculis cernèrent atque, interposita fide silentii, ad Apostolicam Sedem referrent.

Consilium Leoni XIII probatum, sed Ipsius morte interceptum, Pio X, vixdum ad Petri cathedram evectus est, magnopere placuit. Imo necessarium duxit ut quamprimum perficeretur.

Iussa itaque SSmi Dñi Nostri peragens S. Congregatio Concilii praesentibus litteris mandat, ut singuli Italiae Ordinarii recipiant Visitatores Apostolicos, quos statis temporibus S. Sedes ad eos in posterum missura est : eisque de statu suarum dioecesium referant iuxta legem in adiecto folio statutam.

Multa ex hac Visitatione licet sperare bona. Ea enim in primis ipsius episcopalis auctoritatis praesidio est instituta, quo iuvari possunt Antistites, sive ad clerum gregemque suum in officio continendum, sive ad citius expedienda negotia, de quibus consulenda sit Apostolica Sedes. Praeterea hac ratione subiici poterunt fidelibus oculis multa quae saepe frustra desiderantur, sive ad pastorale munus aut utilius obeundum aut

commodius, sive ad arcendas difficultates quae in animarum regimine interdum occurrunt. Denique coniunctius agendo cum Romano Pontifice ipsa Ordinariorum dignitas augebitur, et facilius episcopale ministerium evadet.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet sive ex privilegio, sive ex consuetudine, sive ex specialibus statutis aut constitutionibus minime obstantibus.

Datum Romae die 7 Martii 1904.

f VINCENTIUS CARD. EPISC PRAENESTINUS, *Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

Regole per la Visita Apostolica. (1)

I°. Il Visitatore Apostolico prima di partire per la sua missione presterà giuramento innanzi all' Emo Prefetto, od a Monsignor Segretario della S. C. del Concilio, *de munere fideliter adimplendo, et de secreto servando* per tutto ciò che risguarda la visita apostolica: quale secreto dovrà osservarsi inviolabilmente, perchè venga tutelata la piena libertà del Visitatore e dei Visitati.

2°. Sono severamente vietati i ricevimenti solenni con suono di campane e con altri apparati esteriori, sia al primo arrivo del Visitatore, sia nelle visite particolari susseguenti. Il suo arrivo sarà privatissimo. Egli si recherà avantutto dall' Ordinario per rendergli il dovuto omaggio, e per presentargli le lettere che accreditano la sua missione.

3°. Sarà cura deli' Ordinario stesso di procurare al Visitatore un conveniente alloggio. In ogni caso poi il vitto pel Visitatore sarà frugale, e senza invito di persone estranee.

4°. Egli respingerà qualsiasi invito a pranzi o ricevimenti in suo onore, e qualsiasi dono o regalo che gli venisse sotto qualsiasi pretesto, o in qualsiasi modo proferto; allegando il giuramento prestato per l'adempimento del suo dovere, e che si intende espressamente vincolare il Visitatore all' osservanza del disposto di questo articolo.

5°. Il Visitatore non ha, nè eserciterà atti di giurisdizione alcuna, fuori di quanto è necessario per il compimento della

(1) Huiusce documenti versionem latinam dabimus in proximo fasciculo.

sua missione, cioè fuori di quella di esaminare cose e persone,, e di deferire agli esaminati il giuramento *de veritate dicenda,* e *de secreto servando.*

Ma anche in ciò fare si guarderà da ogni ostentazione di autorità; e cercherà piuttosto colla sua pietà, riservatezza e modestia di essere di edificazione al clero ed ai fedeli che visiterà.

6°. Comincerà col prendere dall' Ordinario cognizione di quanto può risguardare lo stato generale della diocesi, del clero, dei fedeli, del Seminario, degli istituti religiosi, sia maschili, sia femminili, delle opere pie e delle associazioni cattoliche, sia quanto al materiale, sia quanto al morale. Dopo ciò P Ordinario fornirà al Visitatore sue lettere, onde venga riconosciuta la sua missione dal clero e dai fedeli delle diocesi.

7°. La visita sarà locale, reale e personale. E nella visita personale, più ancor che nelle altre, si osserverà secreto inviolabile, tanto dal Visitatore, quanto dai Visitati, i quali dovranno giurare di osservarlo con chicchessia.

8°. Visiterà in primo luogo la Curia e gli Archivi, sentendo separatamente il Vicario Generale e gli altri officiali: osservando se vi sia uno stato regolare del clero, delle parrocchie, quale sia la tassa per gli affari ecc., — se l'amministrazione ecclesiastica sia in regola secondo le norme della S. Sede, — se gli Archivi siano ben ordinati e custoditi, secondo le regole canoniche.

9°. Particolare attenzione e cura userà nella visita del Seminario, sia quanto al materiale, sia quanto agli studi, sia quanto alla pietà degli alunni. Ed a tale effetto non si limiterà ad interrogare il Rettore, l'Economo, i Deputati; ma visiterà le scuole, e personalmente, in particolare udienza, gli alunni, esaminandoli con paterna bontà sui loro sentimenti, studi, propositi.

10°. Visiterà anche la Cattedrale tanto nel materiale, quanta per ciò che risguarda il Culto divino, cioè il servizio corale, la cura delle anime, se siavi annessa, il modo di fare le sacre funzioni, il canto, i paramenti ed i sacri utensili.

11°. Visiterà quindi anche altre parrocchie della città, sia per la parte materiale sia per la parte formale, onde vedere se e come si istruisca il popolo, come si faccia il catechismo, come si fomenti la pietà, come si tengano i libri parrocchiali ecc., rimettendo alle visite successive quello che non potesse fare nella prima.

12°. Visiterà nello stesso modo anche le parrocchie della diocesi, non tanto le più insigni, ma pur anche quelle più modeste e povere, onde farsi un concetto il più adeguato possibile dello stato del clero e dei fedeli.

13°. Se vi sia qualche insigne Santuario non mancherà di recarvisi, e costatare come esso sia custodito, quali offerte, sia per messe, sia per altri fini, ivi si facciano, e come vengano •esse amministrate.

14°. Visiterà anche le case religiose non esenti sia di uomini sia di donne, lasciando cioè quelle che hanno per ordinario la visita dei rispettivi superiori monastici. Ed esaminerà come si osservino le regole, e quali frutti queste case apportino con le loro opere.

15°. In tutto ciò poi cercherà di informarsi dello stato religioso del popolo, se vi sia indifferenza religiosa, se vi sia frequenza di sacramenti: o si amino più le pompe esterne di culto, che la coltura dello spirito e l'osservanza delle leggi della Chiesa : se vi siano in prevalenza vizi od abitudini viziose, specialmente per rapporto alla bestemmia, al mal costume, all'intemperanza : se la stampa irreligiosa vi sia diffusa. Se ad essa si contrapponga la buona stampa, e con che frutto. Se vi siano confraternite, od associazioni pie, e quali frutti se ne cavino per ritenere il popolo nella fede e nella pietà.

16°. Di tutto ne farà giornalmente una breve ed esatta relazione, tenendo calcolo non solo del male, ma anche del bene che rileverà, onde renderne edotta pienamente la S. Sede.

Però quanto alle cose di indole segreta o delicata, ne prenderà nota in maniera che se anche lo scritto venisse a smarrirsi non possa essere compreso e recare danno.

Ma soprattutto fin dal principio della sua missione, ed ogni giorno in seguito, il Visitatore dovrà raccomandarsi fervorosamente al Signore ed agli Angeli tutelari della diocesi visitata, onde aver lume ed assistenza nel delicato ministero che è chiamato a compiere, ed affinchè questo riesca a gloria di Dio ed a salute delle anime, secondo il fine per cui è stato istituito.

Roma 7 Marzo 1904.

VINCENZO CARD. VESC. DI PALESTRINA, ***Prefetto.***

G. DELAI, ***Segretario.***

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 27 Februarii 1904.

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Concilii Congregatio in qua, praeter alia, propositae sunt infrascriptae Causae, iuxta morem eiusdem S. Congregationis discutiendae; quaeque sequenti modo resolutae fuerunt :

PER SUMMARIA PRECUM

I. NULLIUS. - SUBLACEN. - POSTULATI CIRCA USUM THRONI ABBATIALIS.

R. Ad mentem.

II. CAIACEN. - INDULTI.

R. Pro gratia iuxta petita amissis distributionibus inter praesentes tantum, onerata Episcopi conscientia super necessitate absentiae, durante munere.

III. TRIDENTINA. - COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

R. Negative.

IN FOLIO

I. ENGOLISMEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. ***(Sub seereto).***

R. Affirmative.

II. ROTHOMAGEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. ***(Sub secreto).***

R. Attento obitu viri, non proposita.

III. VRHBOSNEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII.

R. Affirmative.

IV. VARSAVIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. ***(Sub secreto).***

R. Ad 1um Affirmative ad cautelam.

Ad 2um Arbitrio et conscientiae Archiepiscopi, constito de idoneitate viri ad nuptias.

V. AVERSANA. - REDUCTIONIS PENSIONIS.

R. Ad 1um Negative in omnibus.

Ad 2um Attentis omnibus pro gratia condonationis libell. 1600 tantum, et ad mentem.

Ad 3um In casu, de quo agitur, a Seminario.

VI. **MELEVITANA.** - EMOLUMENTI FUNERARII.

R. Emolumentum dividendum esse aequis partibus inter Capitulum et Vicarium Curatum, sub lege ut in posterum pauperum cadavera decenter deferantur ad ecclesiam parochialem iuxta praescriptum Ritualis Romani, et cum onere Vicario Curato comitandi eorumdem cadavera ad coemeterium sive per se sive per alium.

VII. **SYRACUSANA.** - DISMEMBRATIONIS PAROECIAE.

R. Ad instantiam parochi Arezzi, lectum.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

S. MARCI et BISINIANEN.

Festum de praecepto, occurrens in Feria VI Parasceves vel Sabbato Sancto, transfertur quoad Officium et Missam, non autem quoad feriationem.

R. D. Franciscus Maria Greco S. Theol. Doctor, Archipresbyter Curatus Acrii, Redactor Kalendarii pro Dioecesibus aeque-principaliter unitis S. Marci et Bisinianen., sequentis dubii opportunam solutionem a Sacrorum Rituum Congregatione humillime efflagitavit; nimirum:

S. Franciscus de Paula est Patronus Praecipuus Civitatis et Dioeceseos Bisinianen., cuius festum sub ritu duplici I Classis cum Octava et praecepto audiendi Sacrum et a servilibus vacandi agitur die 2 mensis Aprilis; sed anno proxime venturo 1904 occurrit in Sabbato Maioris Hebdomadae. Quaeritur:

An Festum supradictum et Festum quodlibet sub utroque praecepto etiam particulare aut Patroni praecipui regionis, dioecesis, civitatis vel oppiduli occurrens in Feria VI Parasceves vel Sabbato Sancto transferri debeant quoad Officium et utrumque praeceptum ad primam diem sequentem liberam iuxta Rubricas et Decreta ?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Affirmative quoad Officium, negative quoad utrumque praeceptum iuxta Decreta n. 2164 Monopolitana 20 Martii 1706 et n. 2305 Barcinonen. 10 Decembris 1733 (1).

Atque ita rescripsit, die 2 Septembris 1903.

M. CARD. MOCENNI

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

UTINEN.

An *Passio Domini, Tantum ergo* **et Litaniae lauretanae cani possint in lingua vulgari; et an eadem lingua adhiberi liceat in Baptismi administratione ac Communionis extra Missam, necnon in precibus post Missam praescriptis.**

Rmus Dominus Petrus Zamburlini, Archiepiscopus Utinensis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, reverenter exposuit, nimirum :

(I) En duo citala Decreta:

Monopolitana — Cum in Civitate Monopolitana festum S. Francisci de Paula, utpote Patroni principalis celebretur de praecepto; cumque hoc anno incidat in Feriam VI in Parasceve, per Vicarium Capitularem eiusdem Civitatis a S. R. C demisse supplicatum fuit declarari: An cum Officio transferendum veniat etiam praeceptum audiendi Sacrum? — Et S. R. C. respondit: « *Negative;* et in Feria VI in Parasceve non teneri audire Sacrum ».

Barcinonen. — Humillime apud S. R. C. supplicante Clero Cathedralis Barcinonen, pro declaratione infrascripti dubii: An, dum festum S. Georgii Patroni Principatus Catalauniae occurrit in Feria VI maioris Hebdomadae sive in Sabbato Sancto, ita ut in aliam diem non impeditam transferatur, eadem die qua peragitur officium translatum de S. Georgio adsit etiam obligatio audiendi Missam? —- Et S. R. C. respondit: « Pro translatione officii et Missae, sed absque obligatione praecepti audiendi Sacrum et vacandi ab operibus ».

Officium igitur et Missa cuiusvis festi de praecepto, occurrentis in Feria VI maioris Hebdomadae vel Sabbato Sancto, transferri debent ad primam diem sequentem liberam iuxta Rubricas et Decreta. Feriatio autem seu obbligatio audiendi Sacrum et ab operibus servilibus vacandi transferri nequit, sed adnexa manet iis diebus, quibus occurrit festum de praecepto. Quapropter fideles in Sabbato Sancto tenentur interesse Sacro et abstinere a servilibus; at in Feria VI in Parasceve, quum proprie dicta Missa non celebretur, christifideles, quamvis ab operibus abstinere debeant, Missam Praesanctificalorum audire non tenentur.

A dicta generali regula excipiendum est festum Annuntiationis B. Mariae Virginis, quod, cum venerit Feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto, iuxta specialem Rubricam et iuxta decreta S. R. C. transferendum erit ad feriam II post Dominicam *in Albis* tamquam in sedem propriam, una cum sua feriatione seu cum praecepto audiendi Sacrum et a servilibus vacandi, sed absque Octava.

In extrema parte orientali Archidioeceseos Utinensis sunt paroeciae, quae in toto vel in parte constant ex incolis sermonem linguae slavicae affinem habentibus. In duabus ex his viget immemorialis consuetudo feria VI in *Parasceve* Passionem Domini lingua slavica vulgari cantandi dum celebrans eamdem latine recitat. Insuper in eisdem aliisque paroeciis supradictis a viginti circiter annis, atque opera sacerdotum agitationi panslavisticae adhaerentium, paulatim inducta est lingua slavica vulgaris in quasdam liturgicas functiones. Hinc idem Rmus Archiepiscopus, ut huiusmodi functiones recte peragantur, expostulavit:

I. Num cantari liceat Passio Domini Feria VI in *Parasceve* lingua vernacula in duabus praefatis paroeciis, attenta consuetudine immemorabili?

II. An cantari possint in lingua vulgari hymnus *Tantum ergo-Genitori* et litaniae lauretanae, exposito SSmo Sacramento?

III. An adhiberi possit idioma vernaculum in administratione Communionis extra Missam?

IV. Et in administratione Baptismi?

V. Et tandem in precibus a Summis Pontificibus Missa finita praescriptis

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia alterius ex suis Consultoribus et Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit :

Ad I. *Negative* et ad mentem. Mens est: Responsio negativa respicit tam Missam lectam quam cantatam, et Rmus Dnus Archiepiscopus Utinensis curet pro sua prudentia removere abusum ubi invaluit, et impedire quominus alibi introducatur.....

Ad II. *Negative* et serventur Decreta N° 3496 *Praefecturae Apostolicae de Madagascar* 21 Iunii 1879 ad I; N° 3530 *Neapolitana* 23 Martii 1881, et N° 3537 *Leavenworthien.* 27 Februarii 1882 ad III (1).

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXI, pag. 567, 701 et 743. Huius decisionis potissima ratio in eo est quod, coram SSmo Sacramento exposito, hymni et preces liturgicae, prouti sunt *Tantum ergo* et Litaniae lauretanae, nonnisi latina lingua decantar i debent. Aliae vero preces aliaque carmina non liturgica, etiam vernáculo idiomate exarata, legi vel cani possunt coram SSmo Sacramento exposito, dummodo hoc non fiat immediate ante SSmi benedictionem neque in ipso benedictionis actu. Imo preces *Dio sia Benedetto* etc. iuxta decretum n. 5237 ad I *Burgi S. Domnini* recitari quoque

Ad III. ***Negative,*** **iuxta Decretum N° 3725** ***Ordinis Minorum Cappueeinorum Provinciae Helveticae*** **23 Maii 1835 ad V (\).**

Ad IV. ***Affirmative*** **quoad quaestiones et responsa patrini vel matrinae, si eadem a parocho prius sermone latino recitentur (2).**

Ad V. ***Affirmative,*** **dummodo versio sit fidelis et ab Ordinario approbata (3).**

Atque ita rescripsit, die 5 Martii 1904.

S. CARD. **CRETONI,** ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secretarius.***

possunt immediate ante SSmi benedictionem, nempe post ipsam Orationem *Deus qui nobis;* Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XII, p. 197.

(1) En citati Decreti tenor ad V: « An consuetudo dicendi in Communione fidelium *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* idiomate vulgari sit sustinenda, vel potius eliminanda, utpote contraria Rituali et Missali Romano? » Et S. R. C. respondit ad V: « Consuetudinem esse eliminandam ».

(2) Baptismus in lingua latina omnino conferendus est. Quinimo iuxta Rituale Romanum interrogationes Ministri et responsiones Patrinorum latine faciendae sunt. Tamen paulatim, pluribus suadentibus causis, praesertim in locis Missionum haec rigorosa Rubrica temperata est. Sane Sacra Rituum Cong. Decreto n. 5555 *Urgellen.* ad X die 30 Decembris 1881 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXI pag. 758 ad dubium XVIII) iam permiserat ut Patrini in Baptismo recitare possint *Pater* et *Credo* lingua vernacula, dum Parochus ea recitat latino sermone. Imo Cong. S. Officii, die 23 Augusti 1880, ad dubium : «Utrum liceat in Baptismatis collatione interrogationes lingua vulgari facere? vel saltem dictas interrogationes primo latine facias, dein in vulgarem linguam vertere, ut ab adulto baptizando intelligantur, vel a patrinis vel matrum, si agitur de Baptismo infantium? » responsum dedit: « Quoad primam partem: *Non expedire.* Quoad secundam: *Affirmative* ». Et eadem Congregatio, die 23 Augusti 1886 rescripsit: «Detur Decretum feriae IV, 24 Maii 1882, hoc est: *Baptismus conferendus est semper in lingua latina. Interrogationes vero fiant in lingua latina, et repetantur in lingua vernacula».* Ex quibus aperte constat quod interrogationes Baptizantis fieri poterant lingua patria; tamen quoad responsiones Patrinorum ne verbum quidem fit, ac proinde ab aliquibus dubitabatur utrum ipsae quoque lingua vulgari dari poterant. Hodiernum autem S. Rituum C. decretum omnem dirimit quaestionem, respondendo quod etiam Patrinorum responsa in lingua vernacula fieri possunt.

(3) Agitur hic de precibus a Leone XIII post Missam praeceptis et a Pio PP. X nuper confirmatis; Cfr. *Acta S. Sedis,* hoc vol. pag. 184.

DECLARATIONES

circa privilegia Protonotariis Apostolicis *ad instar* concessa.

Cum nonnullae obortae fuerint difficultates super aequa interpretatione Constitutionis Pii fel. rec. Papae IX, quae incipit *Apostolicae Sedis officium,* datae IV Kal. Sept. MDCCCLXXII (1), et ad Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X delatae occasione praesertim privilegiorum, quibus Capitulum Tarvisinum decoratum nuper fuit; eadem Sanctitas Sua, quo unica ab Apostolicis Protonotariis *ad instar* ubique norma servetur, per Sacrorum Rituum Congregationem sequentia declaranda statuit:

I. Quoad § II praefatae Constitutionis: Biretum, qua Protonotarii Apostolici *ad instar Participantium* in sacris functionibus utuntur, nigrum profecto esse debet; nihilo tamen minus ornari poterit, iuxta usum quasdam in regiones iam invectum, lemnisco eiusdem coloris ac vitta seu chordula qua pileum circumcingere solent.

II. Quoad § XV: Protonotarius Missam pontiflcaliter celebrans omnia, quae vel legenda sunt vel canenda, nunquam ad scamnum sed semper ad altare leget vel cantabit. In fine autem Missae simplicem benedictionem, non trinam, impertiens, non audeat, more Episcoporum, praemittere *Sit nomen Domini.....* et *Adiutorium nostrum.....*, sed mitra coopertus tantummodo canat *Benedicat vos omnipotens Deus....*

III. Quoad § XVI: Cum petit ecclesiam, pontiflcaliter celebraturus, Crucem pectoralem super mantelletum, et annulum in digito gestare poterit.

IV. Quoad § XVII: Protonotarius item poterit, mitra, Cruce pectorali et annulo ornatus, ad scamnum celebrare Vesperas, more presbyterorum, illius festi, cuius Missam ipse pontiflcaliter acturus est, vel peregit. Iisdem quoque ornamentis uti poterit, de speciali tamen commissione Ordinarii loci, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio quolibet Praelato celebratur; in benedictione cum SSmo Sacramento solemniter impertienda, atque etiam in processionibus, necnon in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exequiis de quibus in Pontificali Romano.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. VII, pag. 83.

V. Quoad § XVIII: Protonotarius lectam Missam facere, etiam extra Urbem, poterit, iuxta modum et formam in § XIX praescripta, quando id muneris, in aliqua solemnitate adimplendum, eidem commiserit loci Ordinarius.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, firmisque in reliquo manentibus, quae in praedicta Constitutione Protonotariis Apostolicis *ad instar* vel permittuntur, vel inhibentur.

Die 9 Martii 1904.

S. CARD. **CRETONI,** ***Praefectus.***

L. « S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

DIARIUM

Feria III, die 23 mensis Februarii 1904, in Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum Praeparatoria in Causa:

Romana seu Praenestina et Tridentina. - **Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Stephani Bellesini, Parochi vici Genestani Ordinis Eremitarum S. Augustini.** - ***Super Dubio:*** **« An et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur ».**

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt Rmi Patres Consultores Theologi, ac Illmi et Revmi Domini Consultores Praelati, necnon Emi et Revmi Dñi Cardinales S. R. C. Praepositi.

Feria III, die 8 mensis Martii anno 1904, in Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacrorum Rituum Congregatio Generalis coram Sanctissimo, in Causis:

1. *Bellicen.* - **Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Vianney, Parochi vici Ars.** - ***Super Dubio:*** **« An stante adprobatione Virtutum et duorum Miraculorum,** TUTO **procedi possit ad solemnem V. S. Dei Beatificationem? »**

2. *Alerten, seu Papien.* - **Canonizationis Beati Alexandri Sauli Episcopi Alerien. et postea Papien., Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum. -** ***Super Dubio:*** **« An, et de quibus Miraculis constet, post indultum eidem Beato venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur ».**

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt Revmi Patres Consultores Theologi, et I limi ac Rmi Domini Consultores Praelati, necnon Emi ac Revmi Dñi Cardinales S. R. C. Praepositi.

Feria III, die 22 Martii anno Î904, in Palatio Apostolico Vaticano, cum interventu Rmorum Praelatorum Officialium, habita fuit Congregatio Saeror. Rituum Particularis in Causis:

1. *Tunquinen.* - **Beatificationis seu Declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei Francisci Gii de Federich, Matthaei Alonso Leziniana, Hyacinthi Castañeda et Vincentii Liem a Pace, Sacerdotum et Missionariorum ex Ordine Praedicatorum, in Tunquino orientali ab idololatris in odium christianae religionis interfectorum. -** ***Super dubio:*** **« An constet de Martyrio et Causa Martyrii, signis seu Miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur? »**

2. *Abyssinen.* ~ **Beatificationis seu Declarationis Martyrii Ven. Servorum Dei Agathangeli et Cassiani, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum. -** ***Super Dubio:*** **« An constet de Martyrio et Causa Martyrii, signis seu Miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur? »**

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET 83. RELIQUIARUM
SS. RELIQUIARUM

Conceditur indulgentia 300 dierum Religiosis Communitatibus quamdam invocationem ad B. V. Immaculatam recitantibus.

Beatissimo Padre,

Il Canonico Pasquale Antonelli, prostrato ai piedi della S. V., umilmente supplica che si degni concedere qualche indulgenza a quelle Comunità religiose, che recitano la seguente invocazione : « O Maria, per i gloriosi trionfi del tuo immacolato concepimento, aiuta, esaudisci e consola questa pia Comunità e tutte le nostre famiglie ».

Eœ Audientia SSmi diei 27 Ianuarii 1904.

SSmus, auditis expositis, omnibus Religiosis Communitatibus, praedictam invocationem recitantibus, Indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam, animabus etiam in Purgatorio detentis adplicabilem, benigne concessit.

In quorum fidem etc.

CASIMIRUS CARD. GENNARI.

Praesentis Concessionis exemplar delatum fuit ad hanc S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 28 Ianuarii 1904.

L. * S.

I. M. Can. COSELLI, ***Substitutus.***

EX S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

VIENNEN.

Conceditur facultas dispensandi super impedimentis affinitatis in linea collaterali ex copula illicita provenientis in matrimoniis contractis vel contrahendis.

Beatissime Pater,

In Archidioecesi Viennensi quoad res matrimoniales adhuc et lex codicis civilis Austriaci et ius canonicum vigent. Ex dispositione § 66 codicis civilis affinitas ex solo contractu matrimoniali gignitur, secundum ius canonicum autem impedimentum dirimens affinitatis ex copula illicita in I° et 2° gradu exoritur (1). Cum autem populus de hoc discrimine haud facile instrui possit, non raro evenit casus, quod, praemisso etiam rigoroso sponsorum examine, matrimonia contrahuntur, quibus, inscio parocho, impedimentum dirimens ex copula illicita obstat.

Si eiusmodi impedimentum occultum manet, Ordinariatus vi facultatum quinquennalium dispensare potest; secus autem, si dictum impedimentum sit publicum vel facilis probationis, quod saepius accidit, cum mox contractis matrimoniis fama in ipsis locis, ubi mariti habitant, exoritur et divulgatur de copulis habitis inter personas, de quibus supra sermo fuit, quamvis fideles de impedimento non loquantur ; ex fama orta ad parochum notitia de impedimento venit et maximas difficultates parat.

Hisce expositis Ordinarius Viennensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, petit, ut ipsi saltem pro certo numero casuum facultas benignissime concedatur dispensandi ab impedimento affinitatis ex copula illicita contractae, etiam

(h) *Nempe* secundum ius canonicum ex copula illicita, praeter impedimentum dirimens primi et secundi gradus in linea collaterali, exoritur a fortiori idem impedimentum in tota linea recta. At, quamvis S. Sedes illimitatam habeat hac in re potestatem dispensandi, tamen Episcopo Viennensi eamdem concessit quoad lineam tantum transversam.

si tale impedimentum sit publicum, in matrimoniis contractis et contrahendis.

Pro qua gratia etc.

Eos audientia SSmi, die 23 Februarii 1904.

SSiîius Dominus Noster Pius PP. X referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, attentis peculiaribus rerum adiunctis, R. P. D. Ordinario Viennensi facultatem benigne concessit ad triennium proximum dispensandi fideles, eius iurisdictioni subiectos, super impedimentis affinitatis in linea collaterali ex copula illicita provenientis iustis gravibusque accedentibus causis, ad hoc ut matrimonium inter se contrahere vel in eodem cum praefatis impedimentis contracto remanere valeant, renovato tamen consensu coram parocho et testibus, eosque absolvendi ab excessibus, excommunicationibus aliisque censuris ac poenis ecclesiasticis, iniuncta eisdem pro modo culpae poenitentia salutari, ac prolem tam susceptam quam suscipiendam legitimam decernendi, imposita aliqua eleemosyna in pium opus praelaudati Ordinarii arbitrio eroganda; et facta in singulis dispensationibus expressa mentione facultatis Apostolicae in id obtentae. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno ut supra.

L. & S.

f PETRUS, Archiep. Caesarem, *Secretarius.*

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Pius PP. X commendat symbolas institutas pro amplificatione Washingtoniensis Academiae.

PIUS PP. X

Dileete Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quae de Washingtoniensis Lycei magni fortuna, minus sane quam sit e votis laetabili, haud ita pridem significabas, magno in eadem animo curas Nostras sollicitudinemque convertimus. Vestigiis enim, ut est optimis con sentaneum rebus, Decessoris Nostri, in causa praesertim gravi maximarumque utilitatum, insistentes, libuit studia Nostra quae in illustrem Americae Academiam iamdudum fovimus, servare in summo Apostolatus munere, atque etiam pro facilitate exaugere. Quapropter iucunde admodum novimus sic esse ab episcopis laudati Lycei moderatoribus provisum, caeterisque quorum interest, probatum, ut primo quoque dominico die Adventus sacri redeunte, aut, eiusmodi praepedito tempore, quo proximo dominico die liceat, in omnibus Foederatarum civitatum ecclesiis symbolae ad amplificandum "Washingtoniensis Academiae decus conquirantur decem per annos. Initum communiter consilium frugiferum maxime censemus, cupimusque propterea atque optamus ut in propositum Academiae bonum et universae reipublicae istius episcopi et studiosi doctrinarum religionisque fideles omni ope contendant. Rem anteire uti adiuvare gratia sua Deus benigne velit, Apostolicam benedictionem vobis et gregibus vestris ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Septembris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

Dilecto Filio Nostro
Iacobo Tit. S. Mariae trans Tiberini S. R. E. Presb. Card. Gibbons
Archiepiscopo Baltimorensium et Magni Lycei Washingtoniensis Cancellario.
Baltimoram.

LITTERAE APOSTOLICAE

Sanctissimi Pii PP. X de actione populari christiana moderanda.

PIUS PP. X

Diletto figlio.

Fra le tante dimostrazioni di affetto alla Nostra persona e di divozione a questa Santa Sede Apostolica, pervenuteci nella festa di S. Giuseppe, soavissima Ci è riuscita quella, che voi, diletto figlio, Ci avete fatta anche in nome dei membri dei II. Gruppo dell'Opera dei Congressi. E questo specialmente poiché ai voti ed augurii pel Nostro benessere si aggiunge la solenne promessa di costante e incondizionata obbedienza nelr applicare le dottrine sociali della Chiesa alla restaurazione della società in Cristo. Infatti, quantunque non abbiamo avuto mai motivo per dubitare di tali sentimenti, sempre manifestati colle opere, questa nuova conferma Ci reca maggior conforto e ci rassicura. Siamo per ciò persuasi che il II. Gruppo nella sua azione si sforzerà non solo a tener lontani i suoi ascritti da quelle società, che sono causa diretta d'intellettuale e morale pervertimento, ma si adoprerà eziandio in tutte le guise per allontanare i suoi membri anche da quelle istituzioni *neutre,* le quali, sorte in apparenza a tutela dell'operaio, hanno altro scopo da quello principale del vero bene morale ed economico degP individui e delle famiglie. — E in ordine a questo dichiariamo che in avvenire non dovranno ritenersi come istituzioni sociali cattoliche quelle che non facciano piena adesione al II. Gruppo .dell'Opera dei Congressi: nè il Clero, specialmente per esimersi da gravi responsabilità, potrà prendere parte a Società che, quantunque apparentemente buone, vogliano sottrarsi ad una sorveglianza che corrisponde ad una valida protezione. Con tale proposito Noi siamo certi d'interpretare il desiderio dei Nostri Venerabili fratelli, i Vescovi, che per le opere di azione popolare cattolica saranno così liberati da ulteriori fastidii, e il più delle volte anche da gravissimi dispiaceri.

Approfittiamo poi di questa occasione per richiamare l'attenzione del II. Gruppo su tutti coloro che, facili a correre dietro alle novità, si lasciano adescare da quelli, che sotto speciose apparenze nascondono il fine di servirsi di essi come d'istru-

mento per mettere in esecuzione le loro, per lo meno, dubbiose intenzioni. Si adoperi quindi il II. Gruppo dell' Opera dei Congressi a tenere nei giusti limiti specialmente i giovani, che nella loro generosità, ma non sempre con maturo giudizio, volendo riformare tutto, aspirano ad imprese ardite, e sia pure col desiderio del meglio, non raggiungono il bene. E qualora alle amichevoli osservazioni non si mostrassero obbedienti, sieno •esclusi dall' Opera vostra, che non cerca il numero ma la concordia amorevole, senza la quale il vero bene non si può mai Conseguire.— Continuate adunque, diletto figlio, come avete fatto fin qua, insieme ai vostri egregi colleghi, a promuovere e dirigere non solo istituzioni di carattere puramente economico, ma ancora le affini : le unioni professionali operaie e padronali, mettendole in buonaccordo; i segretariati del popolo pei consigli legali ed amministrativi, regolando pur anco nel miglior modo le opere per gli emigrati, e quelle di sana propaganda e di studio; e a voi non mancheranno i più soavi conforti. — In quanto a Noi, vi aiuteremo sempre colla Nostra autorità e parola, e pregheremo costantemente il Signore, che accordi a tutti la grazia di continuare con zelo imprese così sante e salutari.

Ad incoraggiamento poi e come pegno di particolare benevolenza, a voi, diletto figlio, ai consiglieri del IL Gruppo, alle vostre famiglie e a quanti hanno parte alle vostre opere impartiamo con effusione di cuore l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, 19 Marzo 1904.

PIUS PP. X

Al diletto figlio
Conte Stanislao Medolago Albani
Presidente del IL Gruppo
dell' Opera dei Congressi Cattolici.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Pio Operi Propagationis Fidei Patronus caelestis datur Franciscus Xaverius, huiusque sollemne ad ritum duplicem maiorem evehitur.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

In Apostolicum subiecti munus atque in ipso christiani sacerdotii vertice divinae dementiae dono collocati longe maiorem profecto sollicitudinem sustinendam suscepimus, quam quae Romani vigilantia gregis contineatur. Excessurus enim e terris Christus Apostolos iussit, et in his Petrum praecipue, quem non modo dignitate sed etiam caelestis gloriae studio praelucere ceteris voluit, gentes edocere universas, salubremque doctrinae novae praedicationem ad remotissimas quasque aut immanissimas orbis partes afferre. Porro divinis praeceptis obsequentes, Decessorumque Nostrorum clarissima exempla sedantes nihil esse magis officio Nostro consentaneum arbitramur, quam ut si quae ad patefaciendum Evangelii lumen atque ad proferendos Ecclesiae terminos videantur conducere, iis voluntatem omnem gratiamque impertiamus. Inter haec autem utilitate atque opera praestat Opus illud summa laude dignum, quod a *Fidei propagatione* nobile nomen accepit. Huius origo Operis divino plane instinctu in medios homines profecta videtur. Nam fidelis Ecclesiae populus, quia non in praedicanda Christi doctrina haberet sibi demandatam prqvinciam, consultum Dei providentia est ut stipe ac subsidiis Evangelii praecones iuvaret. Suasit hac de caussa caritas, qua in Redemptorem Christum optimorum hominum pectora urgebantur, fideles ex omni gente ac natione coalescere in unum, conferre ex opibus aliquid in expeditiones sacras submittendum, sociata etiam prece administris sacrorum succurrere, atque ita id assequi quod votorum summa esset, divini nempe regni in terris incrementum. Compertum autem apud omnes est id genus Sodalitatem praeclare de propaganda christiana fide meruisse. Quod enim suppeteret unde catholicae doctrinae nuntii ad dissita ac barbara loca contenderet, beneficia illuc Religionis nostrae humanique cultus allaturi, tam nobilis coetus tribui largitati debet. Hinc initia salutis innumeris populis parta; hinc fructus animorum comparati

tanti, quantos nemo aestimet rite, nisi qui effusi per Christum sanguinis Virtutem pernorit; hinc contra quam expectari a disiunctis hominum viribus posset Evangelii evulgandi legi mire •obtemperatum. Haec Nobiscum Sodalitatis promerita reputantes nullo non tempore sensimus in coetum insignem Nos studio ferri, nec tamen illi pro tenui adiumenti parte defuimus, maiora tamen animo spectantes, si facultas, Deo propitio, daretur. Iam quoniam id Nobis Omnipotentis Dei benignitas dedit, ut ex hac Petri Cathedra spiritualia fidelibus commoda dispertire possemus, praetermittere nolumus ut quem supra laudavimus coetum peculiari quodam benevolentiae argumento honestemus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Auctoritate Nostra Apostolica praesentium vi, quo cum externis Sodalitatis praesidiis tutela quoque et gratia de superis congruat, SANCTUM FRANCISCUM XAVERIUM caelestem eidem Patronum eligimus, damus, eique volumus omnes honorificentias tribui caelestibus Patronis competentes; huiusque diem festum, ut ad amplificandam ipsius celebritatem humanae quoque observantiae ampliorisque lithurgiae accessio ne desit, Apostolica similiter Nostra Auctoritate per praesentes ad ritum duplicem maiorem, servatis rubricis, apud universam Ecclesiam provehimus. Est huic Caeliti cum opere « *Fidei Propagandae* » ratio quaedam singularis et propria. Etenim cum vitam Franciscus ageret tanto animum studio talique cum eventu ad imbuendos christiana veritate populos appulit, ut instrumentum Numinis electum in eo reviviscere non secus atque in ipsis Apostolis videretur. Quapropter spes Nos bona tenet coetum hunc nobilissimum maiora in dies incrementa, deprecatore Francisco, fore suscepturum, atque etiam ubertate fructuum, numero Sodalium, omniumque qui stipem conferant liberalitate ac diligentia eo deventurum brevi, ut hanc eminentem atque apparentem rem praestet sicut a Christo est Ecclesia condita, in qua salus credenti omni paretur, ita Sodalitatem Fidei Propagandae esse divino consilio excitatam, ut nondum credenti Evangelii lumen effulgeat. Quam quidem ad rem multum procul dubio proficient Catholicorum voluntates etsi disiuncte ac privatim liberales se praebebunt ad munera; verum nihil erit ad uti-

litatem praestantius quam si decuriati catholici viri conferant, quemadmodum est prudentia summa provisum. Scilicet quae minus inter se vires cohaerent minus valent ad caussam, valent vero quamplurimum coniuncta et colligata ordine studia. Illas recte facere dicemus, ista etiam rite. Servatur autem et instaurator humani generis Christus, cuius sanctissimo propagando nomini coetus incumbit, tegat gratia praesidioque opus : qui enim non auro vel argento, sed pretioso Filii Dei sanguine redempti vivimus divinam in primis opem contendere cum magna prece debemus. Haec mandamus, praecipimus decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S, Petrum sub annulo Piscatoris die XXV Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

ALOIS. CARD. MACCHI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Pius PP. X Patriarcham Lisbonensem caeterosque Lusitaniae Antistites incitat ut vires suas ad maiorem incrementum Collegii Clericorum Lusitanorum de Urbe conferant.

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO SEBASTIANO
TIT. BASILICAE DUODECIM APOSTOLORUM
S. R. E. PRESBYTERO CARD. NETO
OLYSIPPONENSIUM PATRIARCHAE.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Supremi pastoralis muneris, quo in Christo fungimur, pars quidem non ultima est exterae iuventutis variis domiciliis in Urbe positis omni utilitate prospicere, ubi iuvenes omni ex gente delecti in spem Ecclesiae veluti in plantario succrescunt. Hi enim quasi in oculis Nostris quotidie versantes, incorruptam Christi sapientiam ex ipso Petri fonte hauriunt, quam sacerdotio aucti iidemque in patriam remissi faciliori ratione inter suos praedicare consueverint. In horum collegiorum numero illud quippe recensemus, ubi nos Lusitanae iuventutis ad sacerdotale munus formatur : quod a Leone XIII immortalis memoriae Decessore Nostro conditum (1), veluti ceteris aetate in Urbe recentius est, ita maiori cura atque effusiori caritate complectimur. Emolumentorum enim non mediocris copia brevi temporis spatio exinde relata certam ampliorum fructuum spem praebet, qui in Lusitanum Clerum in posterum dimanabunt. Porro sacrorum alumni eo recepti iidemque dilecti filii Iacobi Sinibaldi Sacerdotis optima disciplina instituti, virtutis doctrinaeque laude sic florent ut non modo facile hic Nobis coniectare liceat eorum ministerium religioni aeque minus civitati fore perutile, sed ipsimet iam pridem constituerimus omnes vires Nostras in huius Instituti bonum unitatemque conferre. Verum in tanta benevolentis animi, qua ducimur, propensione, dolet vehementer quod non Lusitani omnes inceptis studiisque Nostris eo animi ardore consenserint, quem operis excellentia expostulabat. Qua ex re factum putamus ut incerti quidam rumores serpant

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXIII, p. 286.

ad Lusitani Collegii decus minuendum ab iis plane conflati, qui aut animum Instituto iniuste adversantem gerunt aut conditionem eius male docti levi mente diiudicant

Quae omnia tibi, dilecte Fili Noster, aperire voluimus ut quibus caritatis et iustitiae sensibus praestas omnes et singulos religiosissimos Lusitaniae Antistites de hac mente Nostra certiores faceres eosque omni officiorum genere incenderes in hoc opus, quod quum iis summo emolumento erit, tum genti vestrae universae decore insigni futurum esse promittit. Interea bene sperantes ut Virginis ab omni labe immunis patrocinio omnia feliciter exeant, et tibi et omnibus Venerabilibus Fratribus Lusitaniae Episcopis benedictionem Apostolicam amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Aprilis a. MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

Gratiae et Privilegia Clericis Conclavistis postremi Conclavis concessa.

Peculiaria quaedam benevolentiae Nostrae argumenta dilectis filiis, ecclesiasticis viris daturi, qui Nobis et Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in Conclavi, quo divina favente clementia ad Summum Pontificatum assumpti fuimus, operam adhibuere, aut variis ibidem muneribus sunt perfuncti, traditam a Decessoribus Nostris consuetudinem sic sane tenuimus, quemadmodum per conditionem temporum licuit. Quapropter id maxime gratiarum privilegiorumque genus animo spectantes, quod esset cum eorumdem Concia vistarum praesenti utilitate coniunctum, haec auctoritate Nostra Nostroque Motu proprio decrevimus:

I. Clericis Conclavistis S. R. E. Cardinalium in Urbe commorantium aut Italiae dioecesibus praesidentium libellae centum et quinquaginta singulos in annos, pensionis nomine, erunt.

II. Gratiae, provisiones aut commendae quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum, Litteraeque Apostolicae de hisce conficiendae, gratis iisdem semel tantum impertientur.

III. Si quando infirma valetudine utantur, Sacrum per se facere, servatis servandis, in suo cuiusque Oratorio quod ipsorum Ordinarius probaverit, ius eisdem erit. Ceteris vero Clericis Conclavistis, qui Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales dioecesibus extra Italiam regendis praepositos sunt secuti, memoratae expertes conditionis, servatisque ut supra servandis, Oratorii privati ius erit.

IV. Expediendae de his privilegiis ac iuribus Litterae gratis omni ex causa concedantur.

V. Declaratae modo gratiae aliis gratiis quovis ex capite habitis vel assequendis detrimento ne sint: omnis tamen efficacitas praescriptis maneat, quae a Leone XIII fel. rec. Decessore Nostro, die XXIV Maii a. MDCCCIC sunt edita.

Non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus Nostris ac Cancellariae Apostolicae Regulis, aliisque* licet speciali et individua mentione dignis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis et individua habenda mentio, eorumque tenores inserendi forent, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse Motu proprio derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio J.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. Et cum declaratione quod reliqua privilegia et indulta contenta in similibus Motus proprii schedulis a nonnullis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris favore Conclavistarum alias editis, ob hodiernas rerum ac temporum circumstantias pro nunc in suspenso remaneant. Et quod praesentis Nostri Motus proprii schedulae signatura sufficiat et ubique fidem faciat in iudicio et extra illud, Regula quacumque contraria non obstante; et quod praemissorum omnium et singulorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in Litteris, si videbitur, expediendis, in quibus singulorum Conclavistarum nomina et cognomina exprimi et describi, seu pro expressis et descriptis haberi possint, inter quos Sacrista et Magistri Caeremoniarum Cappellae Nostrae, nec non Secretarius Collegii eerumdem Cardinalium. Volumus autem quod Litterarum super praesentibus conficiendarum ac etiam praesentis Nostri Motus proprii transumptis impressis ac manu alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis et sigillo munitis, eadem fides,

tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus Litteris vel praesenti Motui proprio originali adhibeatur, si forent exhibitae vel ostensae, aut exhibitus vel ostensus foret.— *Fiat J.*

Datum Romae apud S. Petrum decimo nono Kalendas Ianuarii anno primo.

A. CARD. DI PIETRO, *Pro-Datarius.*

MOTU PROPRIO

Editio Vaticana librorum liturgicorum melodias gregorianas continentium.

PIUS PP. X

Col Nostro *Motu proprio* dei 22 Novembre 1903 (1) e col susseguente Decreto pubblicato per Nostro ordine dalla Congregazione dei Sacri Riti P 8 Gennaio 1904 (2), abbiamo restituito alla Chiesa Romana l'antico suo canto gregoriano, quel canto che essa ha ereditato dai padri, che ha custodito gelosamente nei suoi codici liturgici e che gli studi più recenti hanno assai felicemente ricondotto alla sua primitiva purezza. A fine però di compiere, come è conveniente, l'opera incominciata e di fornire alla Nostra Chiesa Romana ed alle Chiese tutte del medesimo rito il testo comune delle melodie liturgiche gregoriane, abbiamo decretato d'imprendere coi tipi della Nostra Tipografia Vaticana la pubblicazione dei libri liturgici contenenti il canto della Sacrosanta Chiesa Romana da Noi restituito.

E perchè ogni cosà proceda con piena intelligenza di tutti coloro che sono o saranno chiamati da Noi ad offerire il tributo dei loro studi ad un' opera di tanta importanza, e il lavoro proceda con la debita diligenza ed alacrità, stabiliamo le norme seguenti:

***a)* Le melodie della Chiesa, così dette gregoriane, saranno ristabilite nella loro integrità e purezza secondo la fede dei codici più antichi, così però che si tenga particolare conto eziandio della legittima tradizione contenuta nei codici lungo i secoli, e dell'uso pratico della odierna liturgia.**

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXYL p. 329 ei 387.
(2) Cfr. » » p. 426.

b) Per la speciale Nostra predilezione verso P Ordine di S. Benedetto, riconoscendo *V* opera prestata dai monaci Benedettini nella restaurazione delle genuine melodie della Chiesa Romana, particolarmente poi da quelli della Congregazione di Francia e del Monastero di Solesmes, vogliamo che per questa edizione, la redazione delle parti che contengono il canto, sia affidata in modo particolare ai monaci della Congregazione di Francia ed al Monastero di Solesmes.

c) I lavori così preparati saranno sottomessi all'esame ed alla revisione della speciale Commissione romana, da Noi recentemente a questo fine istituita. Essa ha l'obbligo del segreto giurato per tutto ciò che riguarda la compilazione dei testi ed il corso della stampa; il quale obbligo dovrà estendersi anche alle altre persone fuori della Commissione, che fossero chiamate a prestare al medesimo fine 1' opera loro. Dovrà inoltre procedere nel suo esame con la massima diligenza, non permettendo che nulla sia pubblicato, di cui non si possa dare ragione conveniente e sufficiente, e, nei casi dubbi, chiedendo il parere di altre persone, fuori della Commissione e della Redazione, che siano riconosciute valenti in questo genere di studi e capaci di pronunciare un giudizio autorevole. Che se nella revisione delle melodie occorressero difficoltà per ragione del testo liturgico, la Commissione dovrà consultare l'altra Commissione storico-liturgica, già precedentemente istituita presso la Nostra Congregazione dei Sacri Riti, in guisa che ambedue procedano concordi in quelle parti dei libri che formano oggetto ad ambedue comune.

d) L' approvazione da darsi da Noi e dalla Nostra Congregazione dei Sacri Riti ai libri di canto così composti e pubblicati sarà di tal natura, che a niuno sarà più lecito di approvare libri liturgici, se questi, eziandio nelle parti che contengono il canto, o non siano del tutto conformi all'edizione pubblicata dalla Tipografia Vaticana sotto i Nostri auspici, o per lo meno, a giudizio della Commissione, non siano per tal modo conformi, che le varianti introdotte si dimostrino provenire dall'autorità di altri buoni codici gregoriani.

e) La proprietà letteraria dell'edizione Vaticana è riservata alla Santa Sede. Agli editori e tipografi di ogni nazione, che ne faranno dimanda e che sotto determinate condizioni offriranno sicura guarentigia di saper ben condurre il lavoro, ac-

corderemo la grazia di poterla riprodurre liberamente come loro meglio aggrada, di farne estratti e di spargerne ovunque le copie.

Così, coli'aiuto di Dio, confidiamo di potere restituire alla Chiesa 1' unità del suo canto tradizionale in modo rispondente alla scienza, alla storia, all'arte e alla dignità del culto liturgico, per quanto almeno consentono gli studi odierni e riservando a Noi ed ai Nostri Successori la facoltà di altrimenti disporre.

Dato in Roma presso S. Pietro, il 25 Aprile 1904, festa di S. Marco Evangelista, del Nostro Pontificato 1' anno primo.

PIUS PP. X

COMMISSIONE PONTIFICIA

PER L'EDIZIONE VATICANA DEI LIBRI LITURGICI GREGORIANI.

Membri della Commissione

Revmo D. Giuseppe Pothier O. S. B., Abate di Saint Wandrille, *Presidente.*

Mons. Carlo Respighi, Ceremoniere pontificio.

Mons. Lorenzo Perosi, Direttore perpetuo delia Cappella Sistina.

R. D. Antonio Relia, di Roma.

R. P. D. Andrea Mocquereau O. S. B., priore di Solesmes.

R. P. D. Lorenzo Janssens O. S. B., rettore di S. Anselmo *de Urbe.*

R. P. Angelo De Santi S. I.

Prof. Barone Rodolfo Kanzler, di Roma.

Prof. dott. Pietro "Wagner, di Friburgo (Svizzera).

Prof. H. G. Worth, di Londra.

Consultori della Commissione

R. D. Raffaello Baralli, di Lucca.

R. D. F. Perriot, di Langres.

R. D. Alessandro Grospellier, di Grenoble.

R. D. Renato Moissenet, di Dijon.

R. D. Normanno Holly, di New-York.

R. P. D. Ambrogio Amelli O. S. B., priore di Montecassino.
R. P. D. Ugo Gaisser, O. S. B., dei Collegio greco di Roma.
R. P. D. Michele Horn O. S. B., del Monastero di Seckau.
R. P. D. Raffaele Molitor O. S. B., del Monastero di Beuron.
Prof. Amedeo Gastoué, di Parigi.

(Versio)

PIUS PP. X

Nostro *Motu proprio* diei XXII Novembris a. MCMIII et subsequenti Decreto, Nostro iussu a SS. Rituum Congregatione die VIII Ianuarii a. MCMIV edito (1), Ecclesiae Romanae illum vetustiorem cantum gregorianum restituimus, quem ipsa a maioribus accepit, quem in codicibus liturgicis fidelissime servavit, quemque novissima studia ad pristinam puritatem felici exitu revocarunt. Ut vero inceptum opus, veluti decet, perficiatur, et Nostra Romana Ecclesia omnesque eiusdem ritus Ecclesiae communem textum melodiae liturgicae gregorianae habeant, typis Nostrae Officinae Vaticanae libros liturgicos cantum S. Romanae Ecclesiae a Nobis restitutum continentes edendos decrevimus.

Quod vero omnia eveniant pleno consensu eorum omnium, qui a Nobis vocantur et vocabuntur ut operam dent propriis studiis rei tanti momenti, nec labor diligentia et alacritate sit vacuus, quae sequuntur statuimus:

***a)* Melodiae Ecclesiae, quae gregorianae dicuntur, in sua integritate et puritate iuxta vetustissimorum codicum fidem, restituentur, ita tamen ut peculiaris ratio legitimae traditionis habeatur, quae in codicibus per tot saecula et praxi hodiernae liturgiae continetur.**

***b)* Ob vero Nostram praecipuam dilectionem erga Ordinem S. Benedicti, agnoscentibus Nobis operam a Monachis Benedictinis adhibitam in genuinis melodiis Ecclesiae Romanae instaurandis, et praesertim ab iis Congregationis Gallicae et Monasterii Solesmensis, volumus ut pro hac editione, redactio partium cantum continentium, praecipue Monachis Congregationis Gallicae et Monasterii Solesmensis detur.**

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXVI, p. 329, 387 ei 426.

c) **Opera ita peracta examini et revisioni particularis Commissionis romanae, a Nobis nuperrime ad hoc institutae, submittantur. Ipsa ad secretum iuramento firmatum quoad omnia, quae textuum compositionem et continuationem editionis spectant, tenetur; quam obligationem et illi extra Commissionem contrahunt qui ád suam operam dandam huic fini vocantur. Curet insuper ut maxima cum diligentia perpendat omnia, neque quidquam edatur, de quo conveniens ac sufficiens ratio dari nequeat, et in rebus dubiis iudicium petat aliorum virorum, extra Commissionem et Redactionem, qui habeantur in hoc studiorum genere praestantes quique auctoritative iudicare valeant. Quod si in melodiis revisendis difficultates quoad textum liturgicum occurrerint, Commissio alteram historico-liturgicam consulat, iam antecedenter apud Nostram SS. Rituum Congregationem institutam, ita ut ambae concordes procedant iis in partibus librorum, quae commune obiectum utriusque constituunt.**

d) **Adprobatio a Nobis et a Nostra SS. Rituum Congregatione danda libris cantus ita exaratis atque editis, huiusmodi erit ut in posterum nemini liceat libros liturgicos adprobandi, si hi, etiam in partibus cantum continentibus, swe omnino conformes editioni a Typographia Vaticana editae, Nobis auspicantibus, non sunt, aut saltem iuxta Commissionis iudicium ita similes non sunt, ut inductae variantes ex auctoritate bonorum aliorum codicum gregorianorum provenire ostendantur.**

e) **Ius proprietatis editionis Vaticanae servatur Apostolicae Sedi. Editoribus et thypographis cuiusvis gentis, petituris et, statutis sub conditionibus, tutam fidem daturis de opere rite peragendo, concedemus gratiam huius editionis rursus imprimendae quoque modo eis libeat, vel ex ea quidquid desumenda vel ubique exempla evulgandi.**

Ita, adiuvante Deo, confidimus traditionalis cantus unitatem modo consentaneo scientiae, historiae, arti et cultus liturgici dignitati, Nos esse Ecclesiae restituturus, prouti saltem hodierna studia exigunt, Nobis et Successoribus Nostris facultatem servantibus aliter disponendi.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Aprilis a. MCMIV, in festo S. Marci Evangelistae, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Ecclesìa SS. Rosarii B. M. V. oppidi Fontanellato dioecesis Parmensis erigitur in Basilicam minorem.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

Extat intra fines Parmensis dioeceseos in oppido, cui nomen vulgo Fontanellato, sacra aedes Deo in honorem Sacratissimo Rosarii Beatae Mariae Virginis dicata quae saeculo decimo sexto una cum continente coenobio Ordinis S. Dominici primum a solo excitata, dein varias ob temporum et bellorum vices rursus aedificata, tribus insequentibus saeculis nitidiorem formam decusque adepta fuit. Templum amplitudine atque omnigenae artis operibus excellens, aediculam sub abside praesefert in qua vetus ipsius Deiparae Virginis colitur simulacrum, clarum prodigiis atque aurea corona gemmisque distincta anno 1660 redimitum. Illuc, praesertim per menses Augustum et Septembrem, necnon Marialis Rosarii annua solemnitate redeunte, tum ex Aemilia, tum ex aliis Italiae regionibus turmatim confluere solent christifideles piae peregrinationis causa thaumaturgum simulacrum veneraturi opem que fidenter imploraturi. Quamobrem sacram illam aedem non modo copiosa ac divite supellectili refertam voluit fidelium et coenobitarum pietas; verum etiam Indulgentiis et plurimis eam privilegiis ditarunt tum Romani Pontifices decessores Nostri cum viri principes laici. Neque praetereundum est permultas Coelitum Sanctorum Reliquias ibidem magna religione asservari: quas inter pretiosa donaria eminent, quibus idem templum re. me. Pius PP. IX praedecessor Noster et Parmensis Curia decorarunt. Ineunte vero saeculo decimonono quum Religiosi sodales, iniqua civili lege, memorato coenobio expulsi fuerint haud ita multo post monialibus Dominicianis idipsum concreditum fuit, quarum psalmodiis et precibus Marialis aedes assidue resonat : aliquibus insimul ex eodem Praedicatorum Ordine Sacerdotibus sacra quaeque munia ibidem obeuntibus. Haec omnia animo reputantes ipsi Religiosi viri et moniales, qui sanctuario de Fontanellato addicti, Beatissimam Dei Genitricem impense eo-

lunt, Sanctae huic Sedi Apostolicae supplicia vota humillime porrexerint, ut celebris eadem Sacra aedes titulo ac dignitate Basilicae Minoris ad maius pietatis incrementum cohonestaretur. Eiusmodi autem precibus cum amplissima commendationis officia addiderint dilectus filius Noster Andreas S. R. E. Presbyter Cardinalis Ferrari ex Apostolica dispensatione Mediolanensium Antistes et venerabiles Fratres Aloisius Canali Archiepiscopus Ptolemaidensis e Parmensi dioecesi atque Ordinarius ipse Parmensis, necnon dilectus filius Ordinis Praedicatorum Procurator Generalis, easdem Nos peramanter censuimus excipiendas. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus hae literae Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Sanctuarium sive Ecclesiam Sacratissimi Rosarii B. Mariae Virginis oppidi Fontanellato dioecesis Parmensis intra fines auctoritate Nostra Apostolica praesentium vi Basilicae Minoris titulo ac dignitate cohonestamus illique omnia privilegia atque honorii!centias concedimus quae Minoribus Almae Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere illisque ad quos spectat et in futurum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices Ordinarios ac Delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 26 septembris 1903, Pontificatus Nostri anno primo.

L. % S.

A. C**ARD.** MACCHI

Breve Pii PP. X ad ephemerides « *Les Missions Catholiques* ».

PIUS PP. X

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Scriptio hebdomadalis quam sub titulo « *Missionum catholicarum»* sedulo et constanti studio edendam curatis, gratissima quidem Nobis est et accepta. Sacram hanc ephemeridem iam inde ab anno MDCCCLXVIII inchoatam et a fel. rec. Pio PP. IX die XV Maii mensis anno MDCCCLXXVI Apostolicis litteris commendatam, Decessor etiam Noster Leo PP. XIII similibus litteris anno MDCCCLXXXIII die VI Decembris datis meritae laudis praeconio est prosequutus. Et sane Catholico nomini provehendo nihil magis aptum accommodatumque arbitramur quam spectata Evagelii praeconum facinora typis editis scriptis illustrare ut simul et vera virtus condignam laudem ferat et ad idem honoris spatium decurrendum exemplo suo ceteros rapiat. Gratulamur idcirco vobis, et potissimum dilecto filio Th. Morel Praelato Nostro Domestico, qui quatuor ac viginti abhinc annis officio Moderatoris ephemeridis ipsius scite fungitur ac naviter vosque eo collaudamus quod hoc tam gravi Ecclesiae tempore opportunitatem populo afferatis recolendi opera Domini. Quare laeto quidem animo accepimus plures ephemeridis recensitae versiones fieri linguis Italica, Germanica, Anglica, Hispana, Polona et Hungarica. Placet nimirum Nobis ut Catholici Orbis fideles gesta Apostolatus noscant, labores, discrimina, triumphos, quo potiori studio omnes gentes sacras catholicas expeditiones tum precibus cum corrogata stipe sustentent. Quae cum ita sint quo ephemeris vestra tot tantisque nominibus optime de propagatione Fidei merita, uberiora, favente Deo et auctoritate Nostra Apostolica interposita, capiat incrementa, sacerdotes omnes ac fideles summopere per praesentes hortamur ut nomen suum tabulis inscriptionum dictae ephemeridis inserant: pariterque sacros Evangelii praecones invitamus ut concinnae hebdomadalis eiusdem scriptionis composition operam et ipsi navent tum epistolas de rebus gestis cum imagines vi lucis expressas, ad vos apto tempore mittentes. Tandem precamur bonorum omnium auctorem Deum ut coeptis vestris faveat atque opus hoc vestrum propitius fortunet, vobisque et scriptoribus ac lectoribus universis, iisque po-

tissimum qui in tam frugiferae ephemeridis diffusionem curam ponunt vel sumptus, in Paternae Nostrae dilectionis testimonium caelestium munerum auspicem Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII Decembris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

L. * S.

A. CARD. MACCHI

Pius PP. X approbat et commendat Unionem Apostolicam Sacerdotum saecularium, eiusdem patrocinium sibi ipsi reservat, ac ei plura privilegia et indulgentias concedit. ***(I)***

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nobis nihil antiquius sit quam ut viri in sortem Domini vocati constanti christianarum virtutum laude florescant,

(1) In *Acta S. Sedis* iam alias nobis incidit loquendi et commendandi Institutum *Unionis Apostolicae* inter presbyteros saeculares, itaque ne denuo verba leramus benevolus lector videat quae suo loco et tempore diximus. Etenim in vol. II, p. 273 prostant Litterae, quibus Pius IX, die 17 Martii 1866, canonico P. Graduel Vic. Gen. Aurelianensi gratulatur, quod semen ab eo iactum per commentarium de vita et moribus Ven. Bartholomaei Holtzhauser in bonam terram inciderit, atque ampla incrementa ominatur. Item in eodem volumine, pag. 507 referuntur cogitationes, quas mente nutrivit laudatus Venerabilis in utilitatem eorum, qui ecclesiasticae militiae sese dedunt; deinde in vol. XIII, p. 338 habentur Litterae, quas Leo XIII ad canonicum Lebeurier Aurelianensem, Praesidem generalem Consociationis Apostolicae, die 31 Maii 1880, misit. In favorem huius Instituti recensetur praeterea quoddam Postulatum Concilii Oecumenici Vaticani, Breve Pii IX, diei 17 Maii 1875, ad Rectorem consociationis saecularis Namurcensis, et aliud Breve eiusdem Pontificis, die 28 Augusti 1876, ad Episcopum S. Pauli in Brasilia datum, necnon Leonis XIII, die 7 Aprilis 1897 ad presbyterum Aloysium Marini, Consociationis Apostolicae in Italia Rectorem. Et Pius X, feliciter regnans, dum adhuc esset Venetiarum Patriarcha, die 16 Novembris 1897 Instituto *Unionis Apostolicae* hanc amplissimam dedit approbationem: « È ben lieto di manifestare la sua compiacenza pel favore che gode anche nel suo Clero questa pia Istituzione e fa voti che venga presto il giorno, in cui lutti i Sacerdoti della sua diocesi abbiano dato il loro nome e ne osservino puntualmente le regole ». Unde nil mirum si Ipse, hodie ad summi Pontificatus fastigium evectus et *instaurare omnia in Christo* animo recogilans, summopere cohortatur omnes Sacerdotes saeculares « *ut, sibi reique sacrae eßcacius pro-*

ac veluti lucernae super candelabrum positae exemplo populi praefulgeat, quae in Cleri Catholici bonum, aedificationem et spirituale emolumentum cedant, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, Apostolica quidem auctoritate interposita, pa-

specturi, saluberrimae huic consociationi dent nomen. Hoc enim Institutum (prosequitur Pontifex), *cuius et Nos Ipsi olim fuimus Alumni, cuiusque utilitatem atque excellentiam experti... probe noscentes, Sacerdotes, qui ad illud pertinent, prae omnibus optimos esse... in singulare paternae Nostrae dilectionis testimonium eiusdem Instituti patrocinium Nos Ipsi assumimus Nobisque reservamus».*

Unio Apostolica serval apostolicam vivendi formam, quum finis huius vitae •clericalis non sit novum Institutum aut religionem introducere, sed ipsummet statum clericalem et ecclesiasticum, a Christo fundatum et ab Apostolis observatum, sub immediata Ordinariorum potestate, omni prorsus exemptione seclusa, vere amplecti. Et iam hoc Institutum, saltem substantialiter, floruit a. 1640 opera Ven. Bartholomaei Holizhauser in Bavaria, eiusque Constitutiones approbatae fuerunt ab Innocentio XI a. 1680. Confer hac de re *Bullarium Romanum* Tom. XIX, p. 241.

Deinde a. 1862 in Gallia iterum ad vitam revocatum a Rmo Victore Lebeurier, qui hodie est eiusdem Praepositus generalis, et a. 1880 fuit in Italia inductum iuxta facultatem concessam Revmo Aloysio Marini ex oppido *Bassano-Veneto.*

Unio Apostolica, prout nunc extat, definiri potest: «Unio aliquorum Presbyterorum eiusdem dioeceseos, qui colunt, Praeposito Dioecesano, quem ipsi elegerunt, dirigente, communem regulam, invicem se adiuvantium, praesertim in operibus sacri ministerii, et concionibus, spiritum sacerdotalis vocationis exeitanlium ». Itaque finis et utilitates societatis sunt : efficere ut sacerdos saecularis habeat magnam partem auxilii vitae religiosae, servatur ex otio et detrimentis solitudinis, ei offeratur methodus vitae, quae eum servet in mundo corrupto et comiptore, quem ad sanandum ille vocatur ; aliis sociis Cleri adiungatur, cum Unio particulare et firmius vinculum mittat; denique efficere ut auxilia sacerdos habeat in vita et in morte.

Media ad hunc finem assequendum sunt regula, ephemeris menstrua, conventus, zeli opera et viia communis ubi et quibus haec fieri possit.

Privilegia et aliae utilitates spirituales, praeter septem a Pio X supra recensitas, numerantur: 1) facultas anticipandi Matutinum et Laudes quolibet anni tempore ab hora secunda post meridiem; 2) erigendi *Viam Crucis,* Ordinario loci permittente; 3) applicandi indulgentiam *Viae Crucis* Crucifixis; 4) benedicendi et applicandi indulgentiam Coronis Immaculatae Conceptionis; S) participatio precum, poenitentiarum et meritorum plurium Ordinum Religiosorum ; 6) Omnes adsociationes communes faciunt preces, mortificationes, opera bona, quorum quisque particeps est; 7) Sacerdotes quotannis celebrant Missam pro omnibus sociis vivis et defunctis *Unionis Apostolicae,* necnon aliam pro sociis propriae regionis; 8) Indulgentia centum dierum, semel in die, recitando precem specialem *Unionis Apostolicae;* 9) Indulgentia tandem plenaria in die formalis adgregationis seu professionis.

Hisce diebus, ex Summi Pontificis expressa voluntate, Revmus Ioannes B. M. Menghini, Procurator Generalis *Circuli* romani, accipit nomina eorum sacerdotum, qui *Unioni Apostolicae* adscribi cupiunt. Demum praetereundum non est huic *Circulo* adnexam esse Societatem Caritatis mutuae inter sacerdotes, quam uberiores fructus allaturam esse in Domino speramus.

terno studio provehere satagimus. Quare non sine magna animi Nostri consolatione compertum habemus, pium opus ab Unione Apostolica saecularium Sacerdotum appellatum, iam inde ab anno MDCCCLXII in Gallia erectum, nunc annuentibus Episcopis plurimas totius Christiani orbis dioeceses pervasisse et modo in Gallia, Belgio, Anglia, Scotia, Hibernia, Germania, Helvetia, Italia, foederatis Americae Septentrionalis statibus, Canadensi ditione, America Meridionali, Australasia, et in nonnullis etiam Asiae regionibus florere, atque uberes edere in Dominico agro pietatis et sanctimoniae fructus. Hoc enim Institutum, cuius et Nosmet Ipsi olim fuimus Alumni, cuiusque utilitatem atque excellentiam experti vel in Episcopali dignitate constituti participes esse voluimus, proposita universis sociis uniformi vitae ratione, menstruis conventibus, spiritualibus conloquiis, gestorum propriorum nota praepositis suo tempore reddita, aliisque aptis charitatis officiis Cleri unitatem tuetur, firmat, sparsosque levitas spiritualis fraternae dilectionis vinculo devincit. Inde mira sodalium concordia, mutua aedificatio, sanctius servatus vocationis spiritus, et amoto solitudinis periculo, coalescentibus in unum multorum viribus, quisque Sacerdos in communem utilitatem ac perfectionem animum intendit, et licet variis ministerii sui curis distractus communi contubernio non utatur, tamen nec se a familia desertum sentit nec fratrum auxilio consilioque caret. Idcirco Decessor Noster ve. me. Leo PP. XIII Episcoporum plausu et commendationibus adductus, datis Apostolicis litteris die XXXI Maii anno MDCCCLXXX (1), frugiferum hoc Institutum probavit atque amplissimo laudis praeconio prosequutus est, eique postea, anno MDCCCLXXXVII, cia. me. Lucidum Mariam S. R. E. Episcopum Cardinalem Parocchi Protectorem adsignavit. Nos vero animo repetentes hoc potissimum tam gravi tempore quam utile ac salutare sit Ecclesiae Dei Institutum huiusmodi, probe noscentes Sacerdotes qui ad illud pertinent, prae omnibus optimos esse, votis dilecti filii Victoris Lebeurier canonici ornamentarii Aurelianensis et praelati Nostri Domestici, fundatoris benemeriti et quadraginta duobus iam inde ab annis Apostolicae Unionis Moderatoris Generalis ultro libenterque annuimus, atque in ipsius Instituti bonum atque incrementum haec quae infrascripta sunt decernimus..

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XIII, pag. 338.

Et primo ut cunctis pateat quae sit Nostra erga memoratam Unionem voluntas, in singulare paternae Nostrae dilectionis testimonium eiusdem Instituti patrocinium Nos Ipsi assumimus Nobisque reservamus. Praeterea, quo Sacerdotes in Apostolicam Unionem adlecti opportuno spiritualium gratiarum praesidio firmentur atque eadem singularia indulgentiarum munera moveant alios ut sibi reique sacrae efficacius prospectum, saluberrimae huic consociationi dent nomen, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi perpetuumque in modum omnibus ac singulis Sacerdotibus ubique terrarum degentibus, qui nunc et in posterum sese huic Apostolicae Unioni, emissa rite prius professionis formula, mancipaverint, donec in ea perseverent si quotannis Natalis, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis et SS. Corporis Domini Nostri Iesu Christi, item Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis B. Mariae Virginis Immaculatae festivitatibus, nec non quolibet festo die Sanctorum duodecim Apostolorum, admissorum confessione prius expiati vel Missam celebrent vel ad Sacram Synaxim accedant, simulque quamlibet Ecclesiam sive publicum sacellum visitent, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo praefatorum die id agant, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis nunc et in posterum eamdem in Unionem adlectis Sacerdotibus quoties menstruam vitae rationis notam ad respectivum Superiorem Dioecesanum iuxta Instituti tabulas mittant et contrito saltem corde, semel ad Romani Pontificis mentem, orationem Dominicam et salutationem Angelicam et Trisagium recitent; vel pariter, contrito saltem corde menstruo communi recessui intersint, in forma Ecclesiae consueta, de numero poenalium dierum centum expungimus.

Item concedimus ut partiali hac indulgentia fruantur etiam presbyteri, qui licet Apostolicae Unioni non sint inscripti, menstruum tamen secessum una cum sociis celebrent ; tandem largimur ut si malint singulis ac universis liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis vita functorum labes poenasqse expiare. Facultatem quoque praesentibus ac futuris Apostolicae

Unionis Sodalibus, auctoritate Nostra facimus peragendi gravibus de causis Missae Sacrificium vel una ante auroram hora ; iisdemque Apostolicum Missarum privilegium ita tribuimus ut quandocumque quisque e praefatis sociis Missam pro anima cuiuscumque christifidelis quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit ad quodvis cuiusque Ecclesiae altare rite celebraverit, idem Sacrum ter dumtaxat qualibet hebdomada animae pro qua celebratum fuerit perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare peractum.

Tandem Sodalibus ipsis Apostolicae Unionis nunc et in posterum ubique terrarum existentibus facultatem per praesentes largimur ex qua extra Urbem de consensu Ordinarii loci in quo hanc exercuerint facultatem, cruces, crucifixos, sacra numismata, coronas precatorias et parvas Domini Nostri Iesu Christi, B. Mariae Virginis Immaculatae et omnium Sanctorum metallicas statuas cum applicatione omnium et singularum indulgentiarum quae in elencho edito typis S. Congregationis de Propaganda fide (1), die XXVIII Augusti mensis anno MCMIII numerantur, et quoad coronas precatorias non excepta indulgentiarum applicatione S. Birgittae nuncupatarum in forma Ecclesiae consueta, tempore missionum et spiritualium exercitiorum publice, aliis vero temporibus privatim benedicere possint: itemque sodalibus dictis, servatis servandis, facultatem facimus cuius vi, dummodo sint ad sacras conciones habendas approbati, novissimo die sacrarum concionum Quadragesimae, Adventus, Missionum et Spiritualium Exercitiorum, Christiano populo cum Crucifixo ac sub unico signo Crucis iuxta ritum formulamque praescriptam cum plenaria addita Indulgentia ita benedicere queant, ut fidelis ex utroque sexu, qui saltem ultra medietatem dierum quibus eaedem conciones respective perduraverint, interfuerint, et vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti Ecclesiam seu sacellum in quo respectivae conciones habitae fuerint eodem die devote visitent ibique pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, Principum Christianorum unione, peccatorum conversione ac haeresum extirpatione oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem lucrari valeant. Non obstantibus Nostra ac Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXVI, pag. 125.

Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis, eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII Decembris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

L *f&* S

A. CARD. MACCHI

Indulgentiae conceduntur in festo S. Francisci Assisiensis.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

Suffragiis votisque annuentes Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum, quo festum Sancti Francisci Assisiensis uberiori cum spirituali emolumento, in universo terrarum orbe agatur, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis ex utroque sexu Christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet ubique terrarum Ecclesiam sive publicum Sacellum die festo Sancti Francisci Assisiensis vel uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, cuiusque fidelium arbitrio eligendo visitaverint ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione ibi ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis fidelibus, corde saltem contritis, quoties similiter in qualibet Ecclesia, sive publico Oratorio vel novemdialibus supplicationibus, vel piis per mensem exercitiis in S. Francisci honorem celebrandis adfuerint, in forma Ecclesiae solita de numero poenalium dierum trecentos expungimus. Tandem largimur fidelibus iisdem, si malint, liceat plenaria ac partialibus hisce indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesenti-

bus perpetuo valituris. Sed praecipimus ut praesentium Litterarum authenticum exemplar transmittatur ad Congregationem Sacris Sanctorum Reliquiis Indulgentiisque praepositae!, alioquin praesentes nullae sint; utque praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII Februarii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. & S.

Pro Dno CARD. MACCHI
NICOLAUS MARINI, *Substitutus.*

Praesentium Litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Martii 1904.

L. « S.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

Indulgentia largitur recitantibus quamdam temperantiae oblationem.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicuti ad Nos retulit dilectus filius Iosephus Blasius Senden, Sacerdos, in dioecesi Leodiensi, pia, suffragante Episcopo, temperantiae societas instituta reperiatur, cuius socii abstinentiam ab excessibus ebrietatis inter fideles provehere student, potissimum quotidiana recitatione piae oblationis seu deprecationis, qua salutarem ipsam abstinentiam pollicentur; Nos, ut exercitatio tam fugifera cum uberiori spirituali emolumento evadat, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis ex utroque sexu fidelibus, ubique terrarum degentibus, qui quo-

vis anni die, contrito saltem corde, quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, piam oblationem, quae iuxta exemplar quod a Sacrorum Rituum Congregatione probatum et latina lingua inscriptum in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari iussimus, verbis incipit « *Deus Poter meus* » et desinit in haec verba « *ad gloriam tuam immolat in altari. Amen* » (1), devote recitent, in forma Ecclesiae consueta de numero poenalium dierum trecentos expungimus. Largimur insuper fidelibus iisdem, si malint, liceat partiali supradicta indulgentia functorum vita labes poenasque expiare. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus in perpetuum valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum authenticum exemplar transmittatur ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae; utque pariter praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIX Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. 68 S. ALOISIUS **Card. MACCHI.**

Praesentium litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc Secretariam S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum ex eadem Secretaria, die 16 Aprilis 1904.

L. S. **Ios. M. Can.** COSELLI, ***Substitutus.***

(I) Tenor autem huiusmodi supplicationis seu oblationis sequens est:

Oblatio

« Deus Pater meus, ad ostendendum meum erga te amorem, ad reparandum honorem tuum saucialum, ad obtinendam salutem animarum, firmiter statuo hac die neque vinum, neque siceram, nec ullum potum inebriantem sumere.

« Hanc tibi mortificationem offero in unione sacrificii Filii tui Iesu Christi, qui quotidie sese ad gloriam tuam immolat in altari. Amen ».

EX SECRETARIA STATUS

Sodalitates iuvenum Italiae hortantur adhaerere Societati Iuventutis Catholicae Italicae.

Illustrissimo Signore,

Nel breve lasso di tempo, dacché il novello Vicario di Cristo regge le sorti della Chiesa, non sono mancate molteplici occasioni, le quali attestassero all' augusto Pontefice i nobili e commendevoli sensi, onde la Società della Gioventù Cattolica Italiana è animata verso la venerata Persona di Sua Santità, e fossero al tempo stesso alta prova della cattolica operosità dispiegata da tutti i soci nei singoli rami della civile e religiosa vita d'oggigiorno. Siffatti argomenti di generoso zelo e di consolanti successi mentre hanno aperto l'animo del Santo Padre ad una ferma fiducia per ciò che si attiene ai futuri progressi dell' anzidetto sodalizio, hanno fatto altresì rilevare a Sua Santità, quanto dovrebbero riuscire maggiori gl'incrementi delle opere giovanili d'Italia, se tutte le associazioni di giovani venissero ad unirsi in cotesto centro. Per il che il Sommo Pontefice si è degnato commettermi di significare alla S. V. Illma essere suo vivo desiderio che tutti gli altri sodalizi giovanili cattolici d'Italia, i quali reggonsi con dissimili regolamenti e sono fra loro disgregati, si stringano insieme in un solo fascio e si aggreghino a cotesta benemerita Società della Gioventù Cattolica Italiana. Per tal guisa unico ed universale sarà il principio onde le sullodate Istituzioni Cattoliche trarranno indirizzo ed impulso nell' esercizio della loro attività, e in quella stessa che saranno messe in grado di partecipare ai molti vantaggi spirituali accordati al Sodalizio Centrale, potranno eziandio sempre meglio adornarsi del particolare vanto di cotesta Società, di distinguersi, cioè, nel più splendido dei modi per lo spirito di soggezione e di illimitata obbedienza verso il Capo Supremo dei cattolici.

Nella speranza pertanto che, in omaggio al suesposto desiderio del Santo Padre, i circoli e le associazioni autonome giovanili entrino quanto prima nella grande famiglia della Gio-

ventù Cattolica Italiana, passo a raffermarmi con sensi di distinta stima.

Di V. **S. Illma**

Roma, 22 marzo 1904.

Affrho per servirla
R. Card. MERRY DEL VAL

Sig. Cav. Paolo Pericoli
Presidente Generale
della Società della Gioventù Cattolica Italiana
Boma.

Litterae circulares ad omnes Episcopos pro Ecclesiae legibus in unum redigendis.

Ulme ac Revme Domine,

Pergratum mihi est Amplitudini Tuae mittere Litteras, quas Beatissimus Pater nuper Motu proprio edidit de Ecclesiae legibus in unum redigendis (1).

Ad normam autem tertiae ipsarum paragraphi, inter Consultores a Patribus Cardinalibus, Pontifice probante, hi, Romae commorantes, adnumerati sunt, quibus alii postea adiungentur: ***Albertus Pillet. — Alexius Lepieier. — Aloisius Veccia. — Alphonsus Eschbach. — Bernardinus Klumper. — Caietanus De Lai. — Carolus Lombardi. — Franciscus Xav. Wernz. — Guillelmus Sebastianeiii. — Guillelmus Van Rossum. — Laurentius Janssens. — Maurus Kaiser. — Petrus Armengaudius Valenzuela. — Philippus Giustini. — Pius de Langogne. — Thomas Esser. — Vincentius Fernandez y Villa*** **(2).**

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. XXXVI, pag. 549.

(2) Quibus postea ab eadem Commissione Cardinalitia additi sunt infrascripti Consultores:

Illmi ac Revmi DD. Ioannes Befani, Ermetes Binzecher, Aloisius Budini, Petrus Checchi, Ioannes Costa, Ioannes de Montel, Orestes Giorgi, Ioseph Latini, Michael Lega, Evarislus Lucidi, Ioannes B. Lugari, Dominicus Mannaioli, Benedictus Melata, Ioseph Nervegna, Henricus M. Pezzani, Basilius Pompili, Augustus Sili.

Revmi PP. Claudius Benedetti, Ianuarius Bucceroni, Marianus De Luca, Albertus Lepidi, Ioseph Noval, Benedictus Oietti, Dominicus Palmieri.

Illmus D. Comes Balthassar Capogrossi-Guarna.

Cum autem, ut in quarta paragrapho edicitur, ea Sanctitatis Suae mens sit, ut universus episcopatus in gravissimum hoc opus, quod totius catholicae Ecclesiae bonum utilitatemque summopere spectat, concurrat atque conspiret, idcirco Beatissimus Pater mandat, ut singuli Archiepiscopi auditis Suffraganeis suis aliisque, si qui sint, Ordinariis qui Synodo Provinciali interesse deberent, quamprimum, idest non ultra quatuor menses a receptis his Litteris, huic Sanctae Sedi paucis referant, an et quaenam in vigenti iure canonico, sua eorumque sententia, immutatione vel emendatione aliqua prae ceteris indigeant.

Insuper Summus Pontifex singularum nationum Episcopis facultatem tribuit ut unum vel alium virum sacrorum canonum ac theologiae scientia praestantem, ab eisdem Episcopis electum, atque ipsorum sumptibus alendum, Romam mittant, qui Consultorum coetui adscribi possit. Quod si eis magis libuerit, poterunt item Episcopi singularum nationum unum ex illis designare, qui iam a Patribus Cardinalibus Consultores, ut supra, electi sint, eique sua desideria transmittere cum Consultorum coetu communicanda ; vel etiam aliquem e sua natione nominare, qui, licet extra Urbem commorans, per epistolas Consultoribus adiutricem operam aliqua ratione praestet. Ut igitur huiusmodi Beatissimi Patris iussa perficiantur, singuli Archiepiscopi consilia conferant tum primum cum suis Suffraganeis aliisque Ordinariis, si qui sint, qui Concilio Provinciali interesse deberent, tum postea cum ceteris Archiepiscopis eiusdem nationis, ut quam citius Sancta Sedes certior reddatur quid hac de re communi consensu statutum fuerit.

Dum haec Tibi nuntio, interim praecipuae erga Te existimationis meae sensus testor, meque profiteor

Amplitudini tuae

Romae, die 25 Martii 1904.

Addictissimum

R. Card. MERRY DEL VAL.

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Receptiones, tyrocinia et professiones Sodalium Tertii Ordinis Seraphici in radice sanantur ac convalidantur.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani, Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis, annuente supremo ipsius Ordinis Moderatore, ad Sanctitatis Tuae pedes humillime se pro vol vit, sequentia exponens:

Experientia compertum Oratori est, plures ex vestitionibus et professionibus Fratrum ac Sororum Tertii Ordinis poenitentium Sancti Francisci irritas esse, sive ex legitimarum defectu facultatum in Sacerdotibus Congregationum directoribus, sive ex vitiis essentialibus in receptione Tertiariorum ad habitum et professionem, sive ex materia deficienti in scapularibus admissa.

Itaque, cum perdifficile sit tot probationes Tertiariorum professionesque innovari, humillimus idem Orator enixe Sanctitatem Tuam rogat, ut omnia in hanc usque diem vitia, quae sic admissionem ad habitum ac tyrocinium professionemque Sodalium Tertii Ordinis saecularis substantialiter inficiunt, suprema Auctoritate tollere digneris, atque omnes huiusmodi receptiones ac tyrocinia professionesque Tertiariorum sanes in radice ac ratihabeas, ne alioquin Christifideles Tertio Ordini Seraphico nomen dantes, spiritualibus bonis hinc resultantibus immerito priventur. — Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, receptiones omnes, tyrocinia ac professiones Sodalium

Tertii Ordinis saecularis in radice sanat atque convalidai in omnibus iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 3 Februarii 1904.

D. CARD. FERRATA, ***Praefectus.***

L. * S.

PH. GIUSTINI, ***Secretarius.***

ORDINIS EXCALCEATORUM SS.MAE TRINITATIS

Sorores Trinitariae, habitum caeruleum exterius et tunicam albam cum scapulari Ordinis interius gestantes, cooptari et aggregari possunt Tertio Ordini Sanctissimae Trinitatis.

Beatissime Pater,

Fr. Stephanus a Piĩio Corde Mariae, Procurator Generalis Ordinis Excalceatorum R. C, ad S. V. pedes humiliter provolutus exponit: Institutum Sororum Trinitariarum existit Matriti in Hispania, cuius finis est foeminas puellas vitiorum coeno immersas vel certe magno praecipites in peccata labendi periculo expositas colligendi atque omnimode instruendi. Nomen mutuatae sunt a praefato Ordine SSmae Trinitatis, cuius finis primaevus fuit captivorum, quorum fides vel mores periclitabantur, redemptio. Cum igitur praedictae sorores non solum idem nomen, sed et similem finem ac praefatus Ordo habeant, huic aggregari maxime peroptant. Superiores Ordinis ancipites haerent utrum id ipsis praestare liceat, eo quod praedictae Sorores habitum caerulei coloris gestent et non proprium Ordinis, qui albus est cum scapulari, cruce rubei ac caerulei coloris insignito. S. C. Episcoporum et Regularium, quum de adprobatione constitutionum ageretur, habitu Ordinis SSĩĩiae Trinitatis eas uti debere iniunxit, ast cum dictae Sorores ex fine sui Instituti pluries e domo egredi debeant, et habitus Ordinis proprius facile adstantium oculos percellat, rogaverunt praedictam S. Congregationem, ut eas hac in re dispensare dignaretur. Responso autem accepto: *Ad Episcopum,* huius venia habitum caeruleum, ut prius, gestant. Praedictae Sorores insfcantissime ac iterato a superioribus petunt praefatam aggregationem promittentes se interius tunica alba et scapulari Ordinis continuo incessuras. His expositis praefatus Procurator sequentis dubii solutionem enixe rogat, nempe:

Utrum praefatae Sorores Trinitariae habitum caeruleum exterius, et tunicam albam cum scapulari Ordinis interius gestantes Tertio Ordini SSmae Trinitatis cooptari et aggregari a Superioribus possint; vel an ad id licite faciendum necessarium omnino sit ut saltem domi habitum Ordinis proprium etiam exterius portent. — Et Deus etc.

Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet : « *Affirmative ad primam partem; ad secundam provisum in Iª* ».

Romae, 18 martii 1904.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. % S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

(Versio) **Regulae pro Visitatione Apostolica in Italia (1).**

I°. Visitator Apostolicus antequam proficiscatur ad suam missionem iurabit coram Emo Praefecto vel Revmo Secretario S. C. Concilii, *de munere fideliter adimplendo et de secreto servando* quoad omnia quae ad visitationem apostolicam attinent quod secretum inviolabiliter servandum erit, ut plena libertas Visitatoris et eorum qui visuntur tueatur.

2°. Omnino vetatur Visitatorem sive eius primo adventu sive in subsequentibus visitationibus particularibus, tintinnabulis pulsantibus vel aliis apparatibus externis recipi. Eius adventus maxime privatus erit. Ille in primis ad Ordinarium ibit ut ei debitum obsequium praestet, et litteras missionis suae fiduciarias referat.

3°. Curet Ordinarius ut Visitatorem convenienter hospitio recipiat. Cibus Visitatoris semper erit frugalis et secluso quolibet extraneo conviva.

4° Ipse recuset quamlibet invitationem ad prandia vel receptiones in eius honorem, necnon quodlibet donum, quod ei quaque specie vel quoque modo offeratur; in medium proferens praestitum iusiurandum de suo munere adimplendo, et

(1) Textus ilalicus prostat in praecedenti fasciculo *Acta S. Sedis* pag. 563.

quod expresse intelligitur Visitatorem adstringere ad observantiam dispositionis huius articuli.

5°. Visitator nec habet, neque actus alicuius iurisdictionis exercebit, praeter illam quae necessaria est pro sua missione adimplenda, examinandi nempe res et homines, et examinatis iuramentum deferendi *de veritate dicenda et de secreto servando.* Quo tamen in agendo caveat ab omni auctoritatis ostentatione, sed potius studebit ut pietate, circumspectione ac modestia bono exemplo sit clero et christifidelibus quos viset.

6°. Habebit in primis ab Ordinario notitiam omnium rerum quae pertinent ad generalem conditionem dioecesis, cleri, fidelium, Seminarii, religiosorum Institutorum sive virorum sive mulierum, operum piorum vel societatum catholicarum, tam quoad materialia quam quoad moralia. Deinde Ordinarius Visitatori dabit litteras, ut eius officium a clero et a christifidelibus dioeceseos recognoscatur.

7°. Visitatio erit localis, realis et personalis; et in illa personali, magis quam in aliis, secretum inviolabile servabitur cum a Visitatore tum ab illis qui visuntur, qui insuper iurabunt cum omnibus se esse illud observaturos.

8°. Viset in primis Curia et Archivia, singillatim audiens Vicarium Generalem et alios officiales: videat utrum extet regularis status cleri, paroeciarum, quae sit taxa pro negotiis etc. - utrum ecclesiastica administratio iuxta S. Sedis normas vigeat; - utrum Archivia apte et ordinate custodiantur, iuxta regulas canonicas.

9°. Praecipua solertia et cura utetur in Seminario visendo, sive quoad temporalia, sive quoad studia, sive quoad alumnorum pietatem ; ideoque, praeter Moderatorem, Oeconomum et Deputatos, scholas viset et in privata audientia alumnos interroget, paterna cum bonitate eos examinans de eorum sententiis, studiis et propositis.

IO°. Viset et Cathedralem ecclesiam vel quoad temporalia vel quoad divinum cultum, nempe servitium chorale, animarum curam, si sit eidem adnexa, modum sacras peragendi functiones, cantum, paramenta et suppellectilia sacra.

11°. Viset inde alias quoque paroecias urbis, sive quoad temporalia sive quoad formalia, ut videat an et quomodo populus doceatur, quomodo tradatur doctrina christiana, pietas alatur, teneantur libri parochiales etc., et quod non fecerit in prima visitatione in subsequentibus faciet.

12°. Eodem modo viset etiam paroecias dioecesis, non tantum celebriores sed etiam humiliores ac pauperiores, ut perfectam cognitionem habeat de statu cleri et fidelium.

13°. Si quod Sanctuarium insigne sit, videat quomodo custodiatur, quae oblationes sive pro missis sive aliis de causis, ibi fiant, et quomodo eaedem administrentur.

14°. Viset etiam Religiosas domos non exemptas sive virorum sive mulierum, — relinquens illas quae a propriis Superioribus regularibus invisuntur. Examinabit quomodo regulae observentur, et quos fructus hae domus suis operibus ferant.

15°. In hisce omnibus studebit ut certior fiat de statu religionis in populo, an sit indifferentismum religiosum, sacramentorum frequentia; an praeferantur externae pompae devotionis cultui spiritus et observantiae legum ecclesiasticarum, an vigeant vitia et habitus vitiosi, praesertim quoad blasphemias, malos mores, et intemperantiam; an ephemerides irreligiosae diffundantur et contra eas stent et quo fructu bonae ephemerides. An sint Confraternitates, aut piae societates, et qui fructus habeantur ut populus in fide et pietate retineatur.

16°. Quotidie de omnibus rebus brevem et perpensam notitiam faciet, nec solum malum, sed etiam bonum notabit, ut S. Sedes omnino certior fiat.

Quoad vero res secretas et conscientiae curet ne, si folium amittatur, interpretetur et detrimentum ferat.

Sed praecipue ab ipso suae missionis initio, et postea quotidie, Visitator se toto corde commendet Domino et Angelis titularibus dioeceseos visae, ut lumen et adsistentiam in magni momenti officio quo fungitur obtineat, et ut hoc ad gloriam Dei et animarum salutem, iuxta finem quo institutum est, redundet.

Romae, 7 Martii 1904.

f VINCENTIUS CARD. EPISC PRAENESTINUS, ***Praefectus.***

L. © S.

C. DE LAI, ***Secretarius.***

CAUSA

VITERBIEN.

IUBILATIONIS

Die 19 Decembris 1903.

Species facti.

Mense Martio anni elapsi sacerdos Angelus Franciosoni oppidi Vetralla huic S. C. sequentes preces exposuit: « Attento 50 annorum servitio chorali magna cum assiduitate praestito in Collegiali Ecclesia S. Andreae Apostoli, necnon attenta sua ingravescente aetate, praesertim vero ob morbosam gutturis laringei affectionem, qua ipse, uti ex pluribus medicorum attestationibus patet, impeditur quominus cantet ac vociferet in choro, ab hac S. O. a servitio chorali iubilationem petit ».

Hae preces de more ablegatae sunt Episcopo Viterbiensi ut super his, audito Capitulo inspectisque libris fallantiarum, referret de continuo et laudabili servitio 40 annorum, necnon utrum ex petita gratia grave detrimentum servitio chori esset obventurum, ac insuper de animi sui sensu, doceret. Iamvero Episcopus in suis litteris datis die **1** Iulii 1903 declaravit non esse concedendum iubilationis indultum canonico Franciosoni, quia servitium chori penitus evanesceret. Nam sex tantum adnumerantur canonici, inter quos duo laudibilius ac longius quam sacerdos Franciosoni praestiterunt servitium, quique praeterea morbosioribus affectionibus detinentur.

Episcopi sententiae congruit votum Collegiatae Vetrallensis, quae, quamvis admittat aliis temporibus aliisque in circumstantiis canonico Franciosoni concedi posse petitam iubilationem, modo tamen hanc eidem denegandam esse cen-

set sive quia grave damnum choro obveniret, sive etiam quia secus diebus festis Missae statutis horis in fidelium commodum a Capitulo celebrandae deficerent.

Animadversiones favorabiles

Quamvis sacri canones nihil statuant de indulto iubilationis concedendo canonicis psallentibus post continuum et laudabile servitium 40 annorum, tamen ex Ecclesiae benignitate et ex quadam aequitate mos inolevit ut, ad exemplum militum veteranorum argumento deducto ex lege *A muneribus ff. de vacat, et excus.,* haec exemptio et vacatio etiam in militia ecclesiastica tribueretur iis beneficiatis, qui per 40 annos continuo et laudabiliter ecclesiae inservierint. *Gardas, de benef. p. 3 cap. 2 num. 134; Bened. XIV, de Synod, dioec. lib. 13 cap. 9.* Sacra H. Cong. in *M acer aten. - Iubilationis 8 Maii 1698;* in *Constantien. 4 Maii 1737* et praesertim in *Dubia lubilationum, 24 Sept. et 17 Dec. 1718,* quae proposita fuere iudicio S. Ordinis a praelaudato Bened. XIV, dum Secretarii munere fungeretur, et in aliis innumeris decisionibus. Etenim, ut bene idem Pontifex observat in *Synod, dioeces, l.c. n. 15,* « si quotidianum et non interruptum chori servitium omnium hominum iudicio laboriosum et grave censetur, multo sane gravius atque molestius progressu temporis visum est nullum, donec vixeris, serviendi finem videre, quantumvis diuturno annorum curriculo cum assiduitatis et diligentiae laude inserviens ». Altera vero ratio fuit, iuxta Fagnanum *in cap. Licet de probat, n. 166,* « ut spe immunitatis a servitio et perceptionis omnium redituum alacriores fierent canonici et beneficiati in praestando ecclesiae famulatu ».

Iam vero quamvis in literis informativis Episcopi Viterbiensis nihil habeatur de laudabili et continuo quadragenario chorali servitio praestito a canonico Franciosoni, tamen illud videretur aperte posse deduci ex verbis supra citatis Collegiatae Vetrallensis fatentis « aliis temporibus

aliisque in circumstantiis canonico Franciosoni concedi posse petitam iubilationem »: quae verba indicant reapse Franciosoni etiam ultra praescriptum tempus ad iubilationem obtinendam choro inserviisse, seu per 50 annos ut ipse in supplici libello fatetur.

Nec obstat Capituli dissensus; licet enim in more sit positum ut in huiusmodi indultis audiatur Capitulum, a quo certum reddatur testimonium de servitio laudabiliter expleto, tamen non desunt exempla, uti edicitur in *Sutrina-Iubilationis, 22 Sept. 1855,* in quibus S. Congregatio indulto donavit viros de Ecclesia beneméritos, qui 40 annorum spatium impleverunt, nihil obstante contraria Capituli resolutione. Ut alias ad rem decisiones omittam, sat erit referre novissimam resolutionem in *Anagnina- lubilationiSj, diei 28 Februarii 1903* (Cfr. *Acta S. Sedis Vol. 35, pag. 484)* iuxta quam praeposito Taggi concessa fuit gratia iubilationis, non obstante contrario Capituli voto.

Potior et gravior difficultas videtur in eo consistere, quod ab Episcopo et Capitulo Vetrallensi oggeritur, nempe in gravi damno quod choro obveniret ex gratiae concessione. In supra relata causa *Dubia lubilationum 24 Septembris et 17 Decembris 1718* inter alia hoc dubium fuit disceptatum: *An indulgendo, sit iubilatio Ulis qui inservierunt spatio annorum 40, non obstante parvo numero aliorum qui remanent addicti ecclesiae servitio?* et S. Congregatio rescribere censuit: *Dabitur resolutio in casibus particularibus.* Ex hac resolutione non immerito videtur posse colligi, quod non quodlibet damnum impediat gratiae concessionem, sed gravitas damni ex variis circumstantiis est pensanda. Capitulum Vetrallense oggerit quod annuendo Oratoris precibus chori servitium in Collegiata evanesceret, et diebus festis Missae statutis horis, quarum celebratio Capitulo incumbit, deficerent. At huic obiectioni occurrit canonicus Franciosoni, observans quod « ipse choro nullum dare potest levamen tum ob suam gravescentem aetatem tum praecipue ob gutturalem morbum; et quod insuper qui-

libet canonicus annuatim gravaretur solis tribus Missis, pingui tamen eleemosyna taxatis ».

Caeterum in *Ripana - Iubilationis, diei 29 Nov. 1710,* haec gratia concessa fuit canonico Cruciani Concetti quamvis opponeretur, quod demptis ministris altari inservientibus atque alio canonico organum pulsante, et Praeposito confessionibus excipiendis addicto, tres tantum canonici possint interesse. In *Civitatis Castellanae, 15 Iulii 1820* ad dubium : *An concedendum sit indultum Iubilationis canonico Ercoli in casu?* rescriptum fuit : *Affirmative, salvo iure Episcopi revocandi ad servitium in casibus urgentis necessitatis ;* non obstante Capituli Vallerani oppositione, quia *« sic chorale servitium evanesceret* ». Eadem gratia concessa fuit in *Sutrina 21 Februarii 1824,* non obstante dissensu tum Capituli tum Episcopi, eo quod tres tantum reliqui essent canonici choro inservientes ; conferri etiam possunt aliae causae *Civitatis Plebis 21 Novembris 1782; Firmana 9 Aprilis 1859* et supra citata *Anagnina.*

Animadversiones contrariae

Ex adverso adverti potest, quod iubilationis indultum non conceditur, quando id in grave vergit chori et divini cultus detrimentum, ut tenuit H. S. Congregatio in *Brictinorien. - Iubilationis, die 12 Maii 1792.* Quod ex gratiae concessione in themate hoc grave damnum obveniat testis est nedum Cupitulum, sed etiam Episcopus Viterbiensis, qui hac potissimum ratione fretus Oratoris petitioni mordicus obsistit.

At quoniam infirmitas canonici Franciosoni non denegari posse videretur, quamvis prolatae medicae attestationes iuratae non sint, eius preces ita exaudiri possent, concedendo ei nempe indultum vacandi a choro durante infirmitate : neque hoc exulat a praxi H. S. O., uti legitur in una *Urbinaten. - Indulti, 18 Septembris 1802,* in qua ad dubium : *An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu,* rescriptum prodiit : *Negative, sed conceden-*

dum indultum abessendi a choro durante infirma valetudine. Eadem prorsus decisio edita fuit in una *Firmana - Iubilationis, 15 Septembris 1862.*

Oratoris precibus rite examinatis Emi Patres Purpurati hanc dederunt responsionem :

Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis, servato onere missarum.

Colligas

I. Sacri canones nihil statuunt de iubilationis indulto canonicis concedendo. Tamen, ex benignitate Ecclesiae et ex quadam iuris aequitate, inolevit mos elargiendi exemptionem a choro iis benefìciatis, qui per 40 annos continuo et laudabiliter alicui ecclesiae inservierint. Quod duplici praesertim de causa introductum fuit, sive quia servitium chori per se grave, fieret gravius nisi haberet finem, sive quia canonici spe acquirendae iubilationis in proprio munere adimplendo alacriores fiunt.

II. Hac de re exquiri solet Episcopi et Capituli votum, non quidem decisivum , sed consultivum tantummodo , ita nempe ut veritas rerum melius elucescat. Unde saepius accidit ut iubilationis gratia alicui concedatur, Episcopo et Capitulo dissentientibus.

III. Non datur constans norma quoad concessionem aut denegationem iubilationis in casu quo beneficiati essent numero pauciores, nam S. C. Congregatio de hoc rogata rescripsit: « Dabitur resolutio in casibus particularibus ». Hinc aliquando iubilatio denegata fuit ob gravé damnum psalmodiae obventurum, aliquando vero fuit concessa, etiamsi tres tantum canonici choro inservientes remansissent.

IV. In omni casu, etiamsi in concessione iubilationis expresse non edicatur, semper remanet Episcopo potestas revocandi indultarium ad servitium chori in casibus urgentis necessitatis. Insuper adiuncta particuluria efficere possunt ut indultum habeat plures alias limitationes, e. g. abes-

sendi a choro durante infirma valetudine, vel dummodo solemnioribus inserviat, etc.

V. Onus celebrandi missas per turnum est quid accessorium et dependens a chori servitio, hinc praebendatus a choro exemptus etiam ab huiusmodi missis per se eximitur, quia proprium est accessorii naturam sequi principalis.

VI. In casu canonicus Franciosoni donatus fuit iubilationis indulto sive in praemium plus quam quadragenarii servitii laudabiliter praestiti sive etiam ob ingravescentem aetatem ac praecipue ob gutturalem morbum ; at expresse servata obligatione celebrandi missas per turnum.

SUMMARIUM CAUSARUM

Die 23 Martii 1904.

In Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Concilii Congregatio in qua, praeter alia, propositae sunt infrascriptae Causae, iuxta morem eiusdem S. Congregationis discutiendam; quaeque sequenti modo resolutae fuerunt :

I. AGRIGENTINA - MATRIMONII.

R. Negative, firma manente obligatione viri prout et quatenus de iure.

II. IANUEN. - NULLITATIS MATRIMONII.

R. Affirmative.

III. PACTEN. - NULLITATIS MATRIMONII. ***(Sub secreto).***

R. Affirmative praevia sanatione actorum, vetito Carmelae transitu ad alias nuptias, et scribatur Curiae Episcopali iuxta mentem.

IV. PARISIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. ***(Sub secreto).***

R. Affirmative.

V. PANORMITANA. - NULLITATIS MATRIMONII.

R. Mutato dubio « An constet de matrimonii nullitate in casu » Affirmative praevia sanatione actorum facto verbo cum

SSmo iuxta mentem, et scribatur item iuxta mentem Curiae Archiepiscopali.

VI. TAURINEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. ***(Sub secreto).***

R. Praevia sanatione actorum affirmative ad cautelam, et scribatur Curiae Archiepiscopali iuxta mentem.

VII. VARSAVIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII. ***(Sub secreto).***

R. Affirmative.

VIII. ZAGABRIEN. - DISPENSATIONIS MATRIMONII.

R. Affirmative.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

S. MARCI ET BISINIANEN.

Festa particularia sive Domini sive B. M. V. sive Sanctorum Dominicis affixa, secluso privilegio, omittenda sunt; particularia vero praeceptiva necnon universalia gaudent privilegio translationis.

Hodiernus redactor Kalendarii pro Dioecesibus aeque-principaliter unitis S. Marci et Bisinianen., annuente suo Rmo Episcopo, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum opportunam solutionem humiliter expetivit; nimirum:

Dedicatio Ecclesiae Cathedralis S. Marci assignata fuit ad Dominicam tertiam mensis Maii; sed iuxta varia Decreta cum festa Dominicis diebus affixa, quando impediantur, transferri non possint, quaeritur:

I. An vigeat Decretum 2417 *Ordinis Carmelitarum Exeatceatorum* ad 2 (1), d. d. 29 Ianuarii 1752 circa festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quod licet assignatum sit Dominicae, si impediatur, transfertur ad primam diem liberam ?

(1) Sacra Rituum Congregatio ad Dubium II: « Cum in omnibus dioecesibus regni Poloniae et magni Dueaius Lithuaniae Officio Dedicationis ecclesiae cathedralis assignata sit dies Dominica in perpetuum, et in eadem Dominica recitetur quotannis; utrum occurrente aliquando apud Regulares, in illa Dominica alio festo altioris ritus vel dignitatis, debeat praedictum Officium Dedicationis ecclesiae cathedralis ab ipsis Regularibus transferri in aliam diem non impeditam, etiam ultra duas hebdomadas, an omitti?» respondendum censuit: «Officium esse transferendum ad primam diem non impeditam».

II. Et *quatenus affirmative:* An prohibitio translationis in alias dies liberas intelligenda sit tantummodo de Officiis propriis B. M. V. aliquibus Dominicis assignatis, vel etiam de festis Domini?

III. Et *quatenus negative* ad II. : An festum Sacrae Familiae assignatum Dominicae tertiae post Epiphaniam, quando impediatur, iuxta Rubricas ad primam diem liberam transferri queat?

I.V. An festa primaria et secundaria Sanctorum Dominicis diebus affixa, quando impediantur, omittenda sint, vel iuxta Rubricas et Decreta transferri debeant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « *Affirmative* ».

Ad II. « *Negative* quoad primam partem, *affirmative* quoad secundam, secluso privilegio ».

Ad III. « Provisum in praecedenti ».

Ad IV. « *Affirmative* quoad primam partem si sint particularia, secluso privilegio: *negative* quoad secundam».

Atque ita rescripsit et declaravit (1).

Die 17 Iulii 1903.

S. CARD. **CRETONI, *Praefectus.***

L. ® S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen., *Secretarius.***

(1) Officia diebus Dominicis vel etiam Feriis affixa ac ecclesiae particulari concessa, secluso speciali indulto, nullo modo transferri possunt iuxta decretum 3531 ad 1, sed quando accidentaliter vel perpetuo impediantur omnino omittenda sunt. Hoc autem verificatur quoad festa sive Domini, sive B. Mariae Virginis, sive Sanctorum, uti ex pluribus Decretis constat.

Hinc etiam festum Sacrae Familiae assignatum Dominicae tertiae post Epiphaniam, in casu impedimenti tam accidentalis quam perpetui, omittendum est quia est festum particulare Romae aliisque locis concessum; secluso tamen speciali privilegio, quod e. g. Clero Urbis eiusque districtus concessum fuit.

Ex adverso Officia universali Ecclesiae concessa, licet Dominicis aut etiam Feriis assignata, necnon festa particularia verbis non facullativis sed praeceptivis concessa aut a Rubricis imperata gaudent privilegio translationis. Quapropter festum Dedicationis ecclesiae cathedralis, licet assignatum sit Dominicae, si impediatur, transfertur ad primam diem liberam iuxta Rubricas, quia est festum a Rubricis praescriptum, quamvis sit particularis ecclesiae,

SOCIETATIS MARIAE REPARATRICIS

Conceditur Missa propria de festo B. M. V. Reparatricis pro ecclesiis eiusdem Instituti.

Suprema Antistita Instituti, sive Societatis Mariae Reparatricis, Sororum omnium supplicia vota humiliter depromens, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X enixis precibus rogavit ut Missam propriam de festo B. M. V. Reparatricis in Ecclesiis atque Oratoriis ipsiusmet Societatis ritu duplici primae classis cum Octava, uti in votis est, quotannis recolendo, suprema Auctoritate sua approbare dignaretur. Quare exhibitum schema eiusmodi Missae quum ad iuris tramitem Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, proposuerit; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.*

Die 1 Decembris 1903.

Demum hisce omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X relatis ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, Sanctitas Sua sententiam Sacri eiusdem Consilii ratam habens, suprascriptam Missam de Beata Maria Virgine Reparatrice revisam atque emendatam, prout huic praeiacet Decreto, in cunctis Ecclesiis atque Oratoriis memoratae Societatis a Maria Reparatrice nuncupatae adhibendam in festo B. M. V. Reparatricis benigne approbare dignata est; festum tamen recolendum quotannis die 2 Maii, sub ritu duplici tantum secundae classis absque Octava in iisdem Ecclesiis atque Oratoriis indulsit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9, iisdem mense et anno.

S. CARD. **CRETONI,** ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

STRIGONIEN, SEU CASSOVIEN.

Decretum Beatificationis seu declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei Marci Crisini, canonici Strigoniensis, Stephani Pongracz, Melchioris Grodecz, sacerdotum 6 Societate Iesu.

SUPER DUBIO

« An, stante approbatione martyrii et causae martyrii signis ac miraculis a Deo illustrati et confirmati, Tuto *procedi possit ad solemnem Venerabilium Servorum Dei Beatificationem ».*

Reparator omnium Iesus Christus, qui, committens Apostolis munus procurandae hominum salutis, ait: « *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* », dum aperte praenunciat quid sit ab iis expectandum, qui veniunt in vestimentis ovium ut gregem furentur et mactent et perdant, Idem plane docet quae sint boni pastoris partes, quo studio tueri gregem oporteat divini sanguinis pretio redemptum, qua alacritate pro eiusmodi causa pericula sint atque ipsa mors obeunda: « *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* ». Huic obtemperantes voci, ab Ecclesiae primordiis ad hos usque dies, ex iis quos fatue mundus abhorret prope innumerabiles extiterunt. Hi « *Facti omnium peripsema* » propter Christum, spoliati, oppressi, exagitati, impietatis conatibus obstiterunt impavidi, vires omnes conferentes ad fidem tuendam, quam suo tandem sanguine confirmarunt. Gloriosum hoc album augent fortissimi viri tres, Marcus Crisinus, Canonicus Strigoniensis, ortus Crisii, Croatiae in urbe principe, anno, uti creditur, MDLXXX, cum eoque Stephanus Pongraczius Hungarus et Melchior Grodeczius Silesius, uterque tam bene meritae simulque tot criminationibus temere impetitae Societatis Iesu sodales.

Tristes Cassoviensi urbi totique vicinitati saeculo XVII agitabantur dies propter incendium funesti belli, quod, a rebellibus Bohemis primo excitatum, Hungariam quoque superiorem invaserai Quo gliscente tumultu error impune grassabatur, occupatisque per nefariae factionis sectatores catholicis templis, eo res religionis devenerant, ut vere nova esset « *abominatio desolationis in loco sancto* ». Mediis iis fluctibus intrepidi sese obiecerunt Venerabiles Dei Servi, qui forte haud procul Cas-

sovia degentes apostolici muneris causa, ubi primum senserunt huic urbi gravius imminere periculum, etsi satis conscii quae sibi barbari tortores pararent, eo statim convolarunt. Ibi comprehensi, quaestioni de fide subiecti sunt, adhibitis una cum minis etiam illecebris, quibus, si fieri posset, ad eiurandam catholicam religionem permoverentur. At fortissimi Christi milites quum immobiles in fide persistèrent, seque vitam pro ovibus libenter daturos profiterentur, impiorum iram sic incenderunt, ut nullum ferme acerbitatis genus hi praetermiserint, quo truculentior ipsis pararetur interitus. Itaque, tridui fame quasi enecti, nudantur, vinciuntur, raptantur, per contumeliam exsecantur, igneae ballistae rotula cruciantur, atteruntur; lateribus admoventur faces, adeo ut, exesa carne, ossa et viscera pateant; obtruncantur Marco et Melchiori capita suisque cum corporibus in cloacam proiiciuntur una cum semianimi Stephano, qui horas prope viginti medio in illo sordium nidore immanique corporis cruciatu iacuit, antequam extremum anhelitum duceret. Horum martyrii quod accidit in pervigilio nativitatis Deiparae anno MDCXIX fama longe lateque diffusa praeclarisque illustrata signis, Pius X P. M., ex SS. RR. Congregationis consulto VIII idus Ianuarias hoc ineunte anno MDCCCCIV de ipso martyrio eiusque causa et signis martyrium ipsum confirmantibus constare edixit (1). Id unum erat reliquum ut inquireretur utrum caelitum Beatorum honores *Tuto* praedictis martyribus decerni possent. — Itaque in conventu universo habito coram Sanctissimo Domino Nostro septimo calendas huius mensis quum Rmus Cardinalis Andreas Steinhuber causae Relator dubium proposuisset : « *An stante approbatione martyrii et causae martyrii signis et miraculis a Deo illustrati et confirmait* Tuto *procedi possit ad solemnem horum Venerabilium Servorum Dei Beatificationem* », Rmi Cardinales et PP. Consultores suam singuli protulere sententiam; SSmus Dominus Noster vero, etsi comperta assertorum signorum veritate, solemne Suum iudicium distulit in alium diem.

Hodierna vero die, Dominica prima in Quadragesima, Idem SSmus Dominus, sacris pientissime operatus nobiliorem aulam Vaticanae aedis ingressus et pontificio solio assidens, accersiri iussit Rmos Cardinales Seraphinum Cretoni S. Rit. Congrega-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXVI, pag. 495.

tioni Praefectum, eiusve loco et vice Aloisium Tripepi ipsius S. R. C. Pro-Praefectum, et Andream Steinhuber causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto a secretis, iisque adstantibus solemni decreto sanxit : « Tuto *procedi posse ad solemnem Venerabilium Servorum Dei* Marci Crisini, Stephani Pongracz, Melchioris Grodecz *Beatificationem* ». Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in Acta S. R. C. referri litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri mandavit decimo calendas martias, anno MDGCCCIV.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. % S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

BELLICEN.

Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Vianney, Parochi Vici Ars.

SUPER DUBIO

« An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur ».

Quod magnus ille Gregorius de pastorali scribens officio affirmavit : « *ars artium regimen animarum* », quum semper et ubique, tum vero maxime corruptis populi studiis ac moribus comprobatur. Nam, quo plura et graviora aegrae societatis sananda sunt vulnera, eo difficilior curatio est, aptiorque medici postulatur manus. Solet autem iis temporibus divina Providentia suscitare sibi sacerdotem fidelem eique redintegrandae suae plebis munus committere, quemadmodum olim Ieremiae: « *Ecce constitui te ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes* » (I, 10). Ea sors obtigit Galliae initio proximi saeculi, per Viri ministerium, cuius utilitas non intra vicum se continuit, sed ad gentis fines prolata est. Venerabilis Dei Servus Ioannes Baptista Vianney, titulo muneris quod sanctissime obivit, quam suo ipsius nomine notior, quippe soleat appellari « *Parochus Vici Ars* », a custodia paterni gregis, cui

puer erat addictus, ad sacri pastoris officium divinitus vocatus, vitae innocentia omniumque virtutum exemplo, pii sacerdotis, qui eius curam susceperat, expectationem et vota, non implevit modo, sed est longe praetergressus. Vici Ars curio adlectus *« venit, non in sublimitate sermonis aut sapientiae, sed in bonitate et alacritate animae suae»* (Cor. II, 1; - Eccl. XL V, 29). Qua vero caritate flagrabat « *omnibus omnia factus* » id brevi est consecutus, ut Ars oppidum fieret, non solum domicilium orationis ac palestra christianae virtutis, sed miseris asylum, hospitium infirmis, toti providentia regioni. Atque hoc, scilicet, providentiae nuncupatam nomine altricem domum constituit puellis a pupillatu tutandis, popularis educationis exemplar. Ceterum concionando assidue, instanter orando, se ieiuniis, vigiliis, flagris macerando, solidos ferme dies noctisque haud exiguam partem impendendo poenitentibus excipiendis, id gratiae meruit, ut « *augeret Dominus qui salvi fierent quotidie in idipsum* » (Act. Ap. II, 47). Hinc mirabilior in dies coepit eius videri vita, hinc nominis eius late diffundi rumor, ad ipsum confluere omnis conditionis homines, non modo ex Galliae provinciis , verum etiam ex Belgis, ex Anglia, ex Germania ; idque , non intermisso spatio, sed per annos quinque supra viginti. Quas ad peregrinationes obeundas studio etiam ducebantur visendi virum supernis donis ditatum, qui et intimas animi scrutaretur latebras et futura praegnosceret; de quo, etiam tum vivo, multa prodigia ferrentur. Fama haec sanctitatis ac signorum in dies aucta post eius pretiosum obitum, qui accidit prid. cal. sextiles an. MDCCCLIX, effecit ut vix elapso quinquennio, Ioannis Baptistae Vianney causa ad SS. Rituum Congregationem deferretur. Post nuperrimum vero decretum approbationis virtutum a SSmo D. N. PP. Leone XIII fel. rec. editum VII cal. Augusti anno MDCCCXCVI, de duobus miraculis, quae intercessione Ven. Dei Servi patrata vulgabantur, accurata inquisitio peracta est, tabulaeque iudiciales a SS. Rituum Congregatione recognitae ac probatae sunt. Horum primum accidit in oppido S. *Laurent le Maçon,* an. MDCCCLXII. Claudius Leo Roussat, sexennis puer, comitiali morbo correptus, affectis resolutisque nervis, impeditis artubus, amissa loquela, miserum trahebat spiritum in idque devenerat ut nec valeret salivam retinere. Adhibitis frustra remediis, in diesque crescente vi morbi, de infirmi salute medici spem omnem abie-

cerant. Tunc parentes ad Ioannis Baptistae Vianney sepulcrum secum adduxerunt puerum, ut Venerabilem Dei Servum novendialibus precibus exorarent. Admoto ad tumulum brachio pueri paralysi affecto, coepit continuo sanatio ; quippe illa ipsa manu puer primo porrigit stipem egeno, deinde sulphurata accendit, mox libere domum discurrit ; ad ultimum, absolutis novendialibus, pleno linguae usu fruitur et pristina valetudine. Alterum contigit miraculum anno MDCCCLXII, Lugduni, in hospitio puellarum Curiae S. Ioannis. Adelais Joly, novem annos nata, cum corruens in parietem offendisset, in laevio brachio affecta est albo tumore. Desperata medicorum iudicio cura, patientis brachio applicita est, inter novendiales preces, corrigia calceamentorum Ven. Ioannis" Baptistae Vianney. Secuta illico sanatio est, eaque sic plena, ut morbi vestigia mox extiterint nulla. De utroque miraculo instituta quaestio est, confectae Apostolicae tabulae earumque agnita et probata validitas. Instaurata est deinde actio, primum in antepraeparatorio Conventu, in Aedibus Rmi Cardinalis Lucidi M. Parocchi cl. me. habito XII cal. Ianuarias an. MDCCCCII ; mox in praeparatorio ad Apostolicum Palatium Vaticanum coacto XIII cal. Martias superioris anni; denique coetu universo coram Sanctissimo D. N. Pio PP. X collecto VII cal. Februarii volv. an. ; quo in coetu, per Rmum Cardinalem Franciscum Desideratum Mathieu, Cardinali Lucido M. Parocchi e vivis erepto in causae Relatorem suffectum, proposito dubio : « *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* **», SSmus Pater Consultorum et Cardinalium excepit suffragia, nihil tamen decernens, ut in re tam gravi tempus divinae opis implorandae suppeteret.**

Tandem hodierna die, Dominica prima in Quadragesima, idem SSmus D. N., sacris in domestico Sacello litatis, Vaticanam nobiliorem aulam ingressus et pontificio solio assidens, advocari iubet et coram Se sistere Rmos Cardinales Seraphinum Cretoni SS. RR. Congregationi Praefectum, eiusve loco et vice Aloisium Tripepi ipsius S. R. C. Pro-Praefectum, et Franciscum Desideratum Mathieu causae Relatorem una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemni Decreto sanxit: «Constare de duobus miraculis ; de primo : - *instantaneae perfectaeque sanationis pueri Claudii Leonis Roussat a gravissimo morbo*

epüectieo; - **de altero:** - *instantaneae perfeetaeque sanationis adolescentiae Adelaidis Joly a tumore albo in laevo braehio ».*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in SS. Rituum Congregationis acta referri iussit decimo cal. Martii an. MDCCCCIV.

S. CARD. **CRETONI,** *Praefectus.*

L. ï& S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** *Secret.*

CLUSINA

In sacramentis administrandis et in deferendis defunctis habitum canonicalem induere non licet.

Hodiernus Ecclesiae Cathedralis Clusinae Canonicus Coadiutor Parochi, Baptismum solemniter administrans in eadem Ecclesia hunc sequitur morem : si baptizandus sit divitis viri filius, sese induit rocheto, stola, pluviali, et altare prope sacrum fontem erigit: e contra, si baptizandus pauperis viri sit filius, neque altare erigit, neque pluviali sese induit, sed tantum indumento canonicali atque stola. Hinc a Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum est:

I. Utrum haec consuetudo seu agendi ratio sit probanda vel saltem toleranda ?

II. Utrum idem Canonicus Parochi Coadiutor, quia Canonicus, in sacramentis administrandis atque in deferendis defunctis sese induere possit canonicali indumento, quamvis Rituale Romanum superpelliceum stolamque praescribat?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae, rescribere rata est :

Ad I. *Negative* **ad utrumque et servetur Rituale Romanum.**

Ad II. Serventur Decreta N. 2684, *Pisana,* **12 Novemb. 1831 ad XXII, N. 3556,** *Adiaeen.,* **25 Septembris 1382, et Decretum Generale N. 3784, d. d. 12 Iulii 1892 ad II (1).**

Atque ita rescripsit. Die 12 Martii 1904.

S. CARD. **CRETONI,** *Praefectus.*

L. ^ S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** *Secret.*

(1) Rituale Romanum, uti omnibus compertum est, in confectione et administratione sacramentorum praecipit usum superpellicei et stolae, retenta tamen con-

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM

Regulares Americae Latinae, proprium Kalendarium habentes, non tenentur persolvere festa B. M. V. Guadalupensis et S. Thuribii, nisi eadem aliquando acceptaverint.

R. P. Fr. Remigius a Sancta Theresia, Prior Carmelitarum Excalceatorum conventus Habanensis, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, sequens dubium solvendum Sacrorum Rituum Congregationi humillime proposuit; nimirum:

Anno 1900 ab Apostolica Sede extensa fuere ad universam Americam Latinam festa cum officiis et missis propriis et adprobatis B. M. V. de Guadalupe sub ritu dupl. I. classis, et Sancti Thuribii Archiepiscopi Lima ni, sub ritu dupl. II. classis (1). Nunc quaeritur:

An omnes Regulares in America Latina vitam agentes atque proprio Kalendario utentes ad praedicta festa, officia et Missas B. M. V. Guadalupensis et Sancti Thuribii persolvenda teneantur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribere rata est :

Serventur S. R. C. decreta, praesertim N. 3147 *Patavina* 28 Aprilis 1866 (2), N. 3727 *Ord. Saneti Benedicti* 10 maii 1890 (3),

suetudine locali quoad sacramentum poenitentiae. Insuper ex citatis Decretis eruitur sequens regula generalis : In omni seu sacramentorum seu sacramentalium administratione, necnon in Processionibus et associationibus funerum, tam in propriis quam in alienis quibuscumque ecclesiis utendum est semper et ab omnibus superpelliceo et stola; interdicto omnino usu sive cappae sive mozzettae vel caputa, atque non obstante qualibet contraria consuetudine. Nihilominus, qui gaudent privilegio rocchetti, permittuntur idem retinere, sed in propria tantum ecclesia secluso privilegio, dummodo super illud superpelliceo et stola induantur. Unde a fortiori reprobandus est usus utendi pluviali et erigendi altare in baptizando viri divitis filio.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXII, pag. 555 ad *Postulata* XI et XII.

(2) Cfr. Ibid., vol. IV, pag 55.

(5) *En citati decreti tenor:*

Rmus D. Romarigus Flugi, Abbas Regularis Congregationis Cassinensis a primaeva observantia Ordinis S. Benedicti, sequens dubium a Sacra Rituum Congregatione declarari humillime expetivit; nimirum:

Ex Decreto S.R.C. diei 16 septembris 1886 (Cfr.**acte** S. *Sedis,* vol.XIX, p. 299) Festum S. Catharinae Fliscae Adurnae Vid. ad cunctas Italiae atque Insularum adiacentium Dioeceses extensum fuit. Quum vero non omnes conveniant circa illius

et detur etiam decretum recens *Congregationis Missionariorum Filiorum Immaeulati Cordis B. M. V.,* 6 decembris 1902 (1).

Atque ita rescripsit. Die 26 Martii 1904.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

MELITEN.

Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ignatii Falzon, Clerici saecularis.

Melitensis insula quae a priscis temporibus catholica fide nobilitata thesaurum istum iugiter sancteque servavit ac servat, dum e virgineis hortis sancti Benedicti lilium illud sanctimoniae odorem efflans, Ven. M. Adeodatam Pisani, Causa beatificationis introducta, in sua exultatione adhuc conspicit, novis exultât gaudiis oculos ad alterum lectissimum florem convertens aeque olentem, de clero saeculari, Ignatium Falzon. Vallettae e piis honestisque parentibus Francisco Iosepho et Maria Theresia Debono die 1 Iulii a. 1813 natus et in paroecia Fratrum Praedicatorum *Porto Salvo* nuncupata ad sacrum fontem regenerata, fidei legisque christianae rudimentis imbuitur. Adhuc puer sacro chrismate linitus in Deiparam Virginem tanto studio atque amore flagrai, ut in eius honorem integrum ro-

Decreti interpretationem' ad Regulares quod attinet, hinc quaeritur: An Regulares in Italia eiusque Insulis adiacentibus teneantur ad Festum praefatum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, rescriben -ata est: « *Negative* ».

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXKVI, pag. 238. Ratio hodiernae decisionis ex hoc petenda est quod generatim Regulares proprio Kalendario utentes, exceptis festis Titularium, Patronorum et Dedicationis ecclesiae cathedralis, non tenentur celebrare Officia propria Kalendarii dioecesani. Excipiuntur tamen duo casus, quando nempe huiusmodi Officia vel alia quaelibet alicui regno, provinciae, dioecesi etc. concessa, iam fuerint a dictis Regularibus acceptata iuxta supra citata Decreta S. R. C. n. 3147 et in una *Congregationis Missionariorum Filiorum B. M. V.* ad 1 ; necnon quando ab Apostolica Sede *explicite* eadem declarata fuerint de praecepto etiam pro Regularibus Kalendario dioecesano minime utentibus vi Decretorum n. 1708 ad 2 et n. 3084 ad 1. E contra Regulares, proprium Kalendarium non habentes, uti debent Kalendario dioecesano ad normam decreti 2964 ad 1, adiectis tamen festis Ordinis.

sarium et, crescente aetate, horarias etiam preces quotidie persolvat. Illius quoque castissimum sponsum Ioseph singulari devotione prosequitur. Ad caelestis Agni epulas admissus SSmi Sacramenti exhibetur cultor eximius. Frequens erat in templo S. Barbarae et in altero S. Pauli tum ut orationi instaret, tum ut sacro convivio reflceretur. Humanioribus litteris ac superioribus disciplinis sedulo incumbens amplissimis laudis et honoris testimoniis fuit cohonestatus. Interim clericali tonsura initiatus, minoribusque ordinibus auctus, quamvis se indignum reputans ad maiores ordines ascendere constanter abnuisset, tamen novi status officiis nunquam defuit. Verbo et exemplo non solum pueros et iuvenes sed et anglos milites ad sacramenta rite suscipienda et ad christianam vitam ducendam summopere excitabat. Ex Actis ecclesiasticae curiae Melitensis constat ministerium Servi Dei, eiusque fratris natu maioris Chalcedonii presbyteri, caelestibus donis atque ubere fructu ita fuisse cumulatim ut sexcentum et ultra milites, inter quos sex ex iudaica gente, abiuratis erroribus, veram fidem amplexi fuerint. Ignatius autem sollicitus erat ut milites conversi in catholica religione perseverarent. Ad hoc iam constituta fuerat sodalitas in templo Sancti Nominis Iesu, quam ipse proprio aere sustentabat. Horis vespertinis adulti cuiusque status et conditionis in coetum coacti et catechismum a perseverantia nuncupatum audiebant et varia pietatis exercitia peragebant, dum in eorundem bonum sacerdotes confessionibus excipiendis praesto erant. In eo coetu Dei quoque auxilium ad anglorum dissidentium conversionem impetrandam speciatim invocabatur. Saepe saepius illuc conveniebant homines catholico nomini adversi qui tamen hisce operibus exemplisque praelucentibus, Deo iuvante, ab erroris tramite ad veritatis viam pertrahebantur. Dum hisce aliisque charitatis officiis assiduam dabat operam Servus Dei, in diuturnum gravemque cordis morbum incidit. Vertente anno 1875 postquam die festo Ss. Apost. Petri et Pauli in ecclesia ad sacram Synaxim accessisset, morbo ingravescente, sacramentali absolutione, fratris sui ministerio, roboratus die prima Iulii piissimam animam exhalavit. Postridie obitus, corpus Servi Dei ad ecclesiam S. Mariae a Iesu delatum est: ubi postero mane iusta funebria persoluta sunt, frequentissimo adstante populo. Interim fama sanctitatis vitae quam Ignatius adhuc vivens adeptus fuerat, post obitum in dies amplificata est.

Hinc super ea Inquisitiones Ordinariae in ecclesiastica curia melitensi, de more, institutae, Sacrorum Rituum Congregationi exhibitae sunt. Expetita vero atque obtenta Apostolica venia procedendi ante lapsum decennii et absque interventu et voto Consultorum, quum omnia in promptu essent ut de Causa beatificationis introducenda ageretur, instante Rmo P. D. Ambrosio Agius Congregationis Benedictinae Cassinensis a primaeva observantia Procuratore, atque huius Causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum sive ecclesiastica sive civili dignitate praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur i* Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis rescribere rati sunt : *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 12 Aprilis 1904.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per Emum et Rmum Dnum Cardinalem Aloisium Tripepi S.R.C. Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Ven. Servi Dei Ignatii Falzon clerici saecularis, die 13, eisdem mense et anno.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IAREN.

Quoad Episcoporum praecedentiam unice attendendum est tempus promotionis et confirmationis.

Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur pro opportuna declaratione proposita fuerunt; nimirum :

Revmus D. Dionysius Dongherty, Episcopus Neo-Segubiae in Insulis Philippinis, consecratus fuit Romae, in ecclesia Sanctorum Ioannis et Pauli, die 14 Iunii 1903 ; et caeremonia seu ritus incepit hora septima antemeridiana. Revmus D. Fridericus Rooker, Episcopus Iarensis in eisdem Insulis, consecratus fuit eadem die 14 Iunii 1903, Romae in Sacello Pont. Collegii Americae Septentrionalis; ritus vero consecrationis incepit hora octava antemeridiana. Ambo publicati fuerunt in eodem Consistorio, die 22 Iunii 1903; sed nomen Revmi Rooker fuit proclamatum prius.

Quaeritur : Quisnam ex hisce duobus praelatis alteri praecedere debet?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit : « Praecedat ille qui prius in Consistorio propositus et confirmatus fuit, iuxta decreta n. 270 *Segobricen.* 21 Martii 1609, et n. 1606 *Terulen.* 20 Novembris 1677(1) ».

Atque ita rescripsit. Die 15 Aprilis 1904.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., ***Secretarius.***

(1) Ea citata Decreta:

Segobricen. n. 270 ita se habet : « Circa praecedentiam inter Episcopos nullam aliam rationem esse habendam, nisi temporis electionis seu promotionis ad Episcopatum, ita ut qui prius electus seu promotus, et a Summo Pontifice in Consistorio propositus et confirmatus sit, debeat alteri cuiuscumque dignitatis vel qualitatis postea electo, proposito et ut supra confirmato, praecedere.... ».

Item in una *Terulen.* n. 1606 circa Episcoporum praeeminentiam S. RR. C. decernit : « Attendendum est tempus promotionis ».

ALERIEN. SEU PAPIEN.

Decretum Canonizationis B. Alexandri Sauli, e Congregatione CC. RR. S. Pauli Barnabitarum, Episcopi Aleriensis et postea Papiensis.

SUPER DUBIO

« An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur ».

Recens adhuc memoria viget honorum, quibus Apostolica Sedes adscitum inter sanctos Caelites prosequuta est Antonium Mariam Zaccaria, quo patre legifero gloriatur inclyta Congregatio, de religione deque omni humanitate optime merita, clericorum S. Pauli regularium, qui vulgo Barnabitae appellantur. Augent hodie illius decorem Familiae totiusque Ecclesiae laetitiam supremi honores decreti Filio, paternae sanctitatis haeredi dignissimo, Beato Alexandro Sauli.

Insignis hic Mediolanensis civis, divinae gratiae ubere copia praeventus, vias Domini vel a teneris annis sic arripuit eaque alacritate cucurrit, ut et domesticis virtutibus *perfectus homo Dei* iure sit habitus, et vehementi studio procurandae hominum salutis divinitus datus esse videatur. Sacri enim ministerii paene formam omnem expressit, sive magisterio ad optimam sacri ordinis alumnorum institutionem, sive scriptis editis doctrina et pietate refertis, sive coniuncta cum episcopis opera in christianae plebis regimine, sive in administrata naviter sancteque universa familia, cuius institutum primo in flore iuventutis fuerat amplexus. Quibus ex omnibus facile coniici poterat, qualis futurus esset episcopus, si quando ad id muneris, expugnata eius modestia, vocaretur. Res autem opinionem omnem, non comprobavit, sed vicit. Nam et Aleriensi sedi datus antistes eo ardore restinctam insulae pietatem excitavit, sic efferatos mollivit mores, ut insulae Cyrnaeae Apostolus meruerit appellari ; inter Papienses vero sic est versatus, ut haud facile iudicaveris, pastoralibusne magis industriis, an veri nominis prodigiis gregem suum confirmaverit. Quae signa, quum longe clarius et crebrius viri sancti tumulum illustrassent, Benedictum XIV permoverunt ut Beatorum Caelitum honores ipsi decerneret. Mox autem instantibus adhuc Sodalibus a S. Paulo, ut fastigium honoribus imponeretur, id est ut in sanctorum album Beati Alexandri nomen accenseretur, praesertim quod bina

vulgarentur eo suffragante patrata miracula, Sedis Apostolicae venia diligenter in illa inquisitum est tabulaeque a SS. Rituum Congregatione recognitae et probatae sunt.

Primum ordine propositionis miraculum contigit Modoetiae, anno MDCCXLI. Carolus Riva, annum et ultra diuturna paraplegia miserrime divexatus motuque omni destitutus, vehículo tradebatur a filiis per vias urbis quaeritans stipem. Solemnia forte habebantur Alexandro Sauli, beatorum caelitum honoribus recens aucto. Ad ea ductus aegrotus, triduo post inchoatam supplicationem, illico et penitus a morbo convaluit, quem aut omnino insanabilem iudicaverant medici, aut longi temporis curam postulantem.

Alterum accidit miraculum Bastiae in insula Cyrnaea anno MDCCCXGIX. Maria Canessa annos iam tredecim affectione strumo-tuberculari laborabat, quae, pluribus vulneribus membra depascentibus, ad usque textus osseos pervaserat. Ob contractionem vero sinistri cruris impotem standi, iamque a triennio lectulo iacere coactam, inspecta morbi gravitate ac pertinacia, medici ferme reliquerant. Fortunatus illuxit miserae dies XIX mensis Martii, quo die novendialium precum extremo, quas ad B. Alexandrum demerendum susceperat, temporis momento sanata est, fruiturque adhuc optima valetudine.

De utroque miraculo rite instituta actio est, primum in antepraeparatorio Conventu IV nonas Septembres a. MDCCCCII indicto penes Rmum Card. Lucidum Mariam Parocchi cl. mem. Causae Relatorem; iterum in praeparatorio coetu ad Vaticanum coacto decimo quarto Calendas Iunias an. MDCCCCIII; tertio denique in generalibus Comitiis coram SSmo Domino Nostro Pio Papa X habitis in aedibus Vaticanis octavo Idus Martias volventis anni; in quibus Rmus Cardinalis Hieronymus Maria Gotti suffectus in causae Ponentem et Relatorem dubium proposuit: « ***An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur*** **». Rmi Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi et PP. Consultores unanimi consensione de utroque miraculo constare censuerunt. Quorum exceptis omnium suffragiis, SSmus Dominus a suo aperiendo iudicio supersedit, quod aspirante Deo quamprimum Se prolaturum sperare dixit, Rmorum Cardinalium ac PP. Consultorum votis plane consonum.**

Hodierna autem die Dominica II post Pascha qua die ab Ecclesia proponitur Evangelium Boni Pastoris Sanctissimus Do-

minus Noster Eucharistica Hostia religiosissime litata, ad se arcessiri iussit Rmos Cardinales Seraphinum Cretoni S. RR. Congregationi Praefectum, eiusve vice et loco Aloisium Tripepi ipsius S. RR. Congregationi Pro-Praefectum, et Hieronymum Mariam Gotti Causae Relatorem una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto a secretis, hisque adstantibus solemniter edixit : « *Constore de duobus miraculis:* de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Caroli Bica a diuturna, et gravi paraplegia e mielite chronica transversa exorta;* de altero : *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Canessa a gravi et diuturna affeetione strumo-tuberculari ».*

Hoc autem Decretum evulgari et in SS. Rituum Congregationis acta referri iussit decimoquinto Cal. Maias an. MDCCCCIV.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

DIARIUM

Feria III, die 12 Aprilis 1904.

In Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum Ordinaria, in qua Emi et Rmi Patres Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi infrascriptas causas retulerunt; nimirum :

1. *Meliten.* - Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ignatii Falzon, clerici saecularis. - *Super introductione causae.*

2. *Spalateli, et Macarsken.* - Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Nicolai Biankovic, fundatoris Oratorii S. Philippi Neri in Urbe *Spalato,* et Episcopi Macarsken. - *Super dubio:* «An ex deductis obstaculum habeatur, quominus ad ulteriora procedi possit in casu et ad effectum de quo agitur ».

3. *Faventina.* - Concessionis seu declarationis Beatae Mariae Virginis vulgo *della Salute* in peculiarem Patronam loci *Solarolo* eiusque Communitatis universae, nec non approbationis Officii et Missae in festo eiusdem B. M. V.

4. *Tarentina.* - **Confirmationis seu declarationis S. Antonii de Padua Confessoris in Patronum praecipuum oppidi** ***Fragagnano.***

5. *Cremonen.* - **Concessionis et approbationis Missae atque Officii proprii in festo B. M. V. de** *Caravaggio,* **sub ritu Duplici I classis cum Octava.**

6. *Wladislavien. seu Ord. S. Pauli Primi Eremitae.* - **Concessionis et approbationis Officii et Missae propriae in honorem Beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae, vulgo Claramontanae.**

7. *Romana.* - **Concessionis et approbationis Officii et Missae propriae in honorem Primitiarum Martyrum Romanorum.**

8. *Ruremonden.* - **Concessionis et approbationis Benedictionum specialium in honorem S. Cornelii Papae et Mart., pro Dioecesi Ruremonden., in Hollandia.**

9. *Constantien.* - **Concessionis et approbationis Officii et Missae propriae in honorem Beati Augustini Chapdelaine, Martyris.**

10. *Brixinen.* - **Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Magdalenae Arciducissae Austriae, Reginae nuncupatae, fundatricis Regii Parthenonis Halensis.** - *Super revisione scriptorum.*

11. *Romana.* - **Dubiorum et privilegiorum.**

Feria III, die 26 mensis Aprilis anno 1904, in Aedibus Emi et Rmi Dñi Card. Vincentii Vannutelli Ponentis seu Relatoris, habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum Antepraeparatoria super miraculis, in Causa:

Motoricen. - **Canonizationis Beatae Catharinae Thomasiae, Canonissae Regularis professae Ordinis S. Augustini Palmae Balearium.** - *Super dubio:* **«An, et de quibus Miraculis constet, post indultam eidem Beatae venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur ».**

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt Rmi Patres Consultores Theologi, necnon Rimi et Revmi Dñi Consultores Praelati.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

SUMMARIUM

Indulgentiarum, privilegiorum ac indultorum Tertiariis saecularibus Ordinis Praemonstratensis tributorum.

I. INDULGENTIAE PLENARIAE.

A. Tertiariis ex utroque sexu vere poenitentibus, confessis ac S. Synaxi refectis:

1° Die ingressus in Tertium Ordinem;

2° **Die professionis;**

3° **Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint.**

B. Iisdem Tertiariis, si confessi ac S. Communione refecti, ecclesiam Ordinis Praemonstratensis vel Sodalitii visitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint, diebus festis sequentibus:

1° Paschatis Resurrectionis;

2° Annuntiationis B. Mariae Virg;

3° **Assumptionis » »**

4° **B. Godefridi Conf. Ordinis** (16 **Ianuarii);**

5° **B. Evermodi Ep. Conf. Ord.** (17 **Febr.);**

6° **B. Friderici Ab. Conf. Ord.** (3 **Mart.);**

T **B. Ludolphi Ep. Mart. Ord.** (29 **Mart.);**

8° **B. Herrnanni-Iosephi Conf. Ord.** (7 **Apr.);**

9° **B. Gerlaci Conf. Ord. (Fer.** II **infra oct. Ascens.);**

10° **Triumphi S. P. Norberti (Dom. III post Pentec);**

11° **Depositionis eiusdem S. P.** (6 **Iunii);**

12° **B. Isfridi Ep. Conf. Ord.** (15 **Iunii);**

13° **SS. Martyrum Gorcomiensium** (9 **Iulii);**

14° **S. P. Norberti** (11 **Iulii);**

15° **B. Hrosnatae Mart. Ord.** (19 **Iulii);**

16° **B. Gertrudis Virg. Ord.** (13 **Aug.);**

17° **S. Augustini Ep. Doct.** (28 **Aug.);**

18° **B. Bronislavae Virg. Ord.** (30 **Aug.);**

19° **B. Gilberti Ab. Conf. Ord.** (24 **Oct);**

20° **Omnium Sanctorum Ordinis** (13 **Nov.);**

21° **B. Siardi Ab. Conf. Ord.** (17 **Nov.);**

C. Iisdem Tertiariis in mortis articulo constitutis, si uti supra dispositi, vel saltem contriti, SSmum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

II. INDULGENTIAE PARTIALES.

A. ***Septem annorum totidemque quadragenarum*** **Tertiariis, qui corde saltem contriti ecclesiam Ordinis vel Sodalitii devote visitaverint, et aliquo temporis spatio ibidem oraverint sequentibus diebus festis:**

I° Nativitatis D. N. I. C.
2° Circumcisionis » »
3° Epiphaniae » »
4° Ascensionis » »
5° Corporis Christi;
6° Immaculatae Conceptionis B. M. V.
7° Nativitatis »
8* Purificationis »
9° S. Ioannis Baptistae;
10° Omnium Sanctorum.

B. ***Tereentum dierum,*** **quoties Tertiarii aliquod pium opus pietatis vel caritatis corde saltem contrito exercuerunt.**

III. INDULGENTIAE STATIONALES.

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitantes ibique ad mentem Summi Pontificis orantes, easdem indulgentias consequuntur, quas lucrarentur si ecclesias Urbis vel extra Urbem in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exerceant.

Omnes et singulae Indulgentiae superius memoratae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus in Purgatorio detentis.

IV. PRIVILEGIA.

1° Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet altare Missam celebrantes gaudent indulto altaris privilegiati tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint.

2" Missae omnes, quae in suffragium fidelium defunctorum celebrantur, sunt omnes et ubique privilegiatae.

V. INDULTA.

1° Tertiarii degentes in locis ubi nulla extet Ordinis Praemonstratensis vel Sodalitii ecclesia lucrari valent Indulgentias ipsius uti supra directe concessas, nec non illas, quae fidelibus universis dicti Ordinis ecclesias visitantibus sunt elargitae, ea conditione ut respectivam ecclesiam parochialem vel aliam quamcumque seu publicum Oratorium visitent, ceteris adimpletis conditionibus.

2° Tertiarii si sint infirmi vel convalescentes, nec commode possint e domo egredi, recitando quinquies *Pater* et *Ave* et orando ad intentionem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem indulgentias, ac si personaliter ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitarent, ceteris tamen iniunctis operibus rite positis.

DECRETUM

Quum per Decretum huius S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 Iulii 1902 (1), undequaque abrogatis omnibus Indulgentiis, quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis, ob communicationem cum primo et secundo Ordine respective perfruebantur, Supremis Moderatoribus religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit, ut novum Indulgentiarum Indicem pro suis Tertiariis saecularibus proponerent; Abbas Generalis Ordinis Praemonstratensis tali mandato obtemperans novum praedictum Indicem elaboravit, illumque huic S. C. humillime subiecit; quae adhibita etiam quorumdam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit. SSmus vero D. N. Pius PP. X, in Audientia diei 28 Augusti 1903 (2), audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito Elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt, benigne confirmavit, alias vero, loco earum, quibus vi communicationis gaudebant, clementer est impertitus, simulque mandavit ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum, iisque potiantur privilegiis et indultis, quae in praedicto Elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXVI, pag. 454.

(2) Cfr. Ibid., pag. 377.

voluit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 1 Martii 1904.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. « S.

Pro Secretario
I. M. Can. COSBLLI, *Substitutus.*

URBIS ET ORBIS

Plenaria indulgentia in articulo mortis conceditur emittentibus quemdam caritatis actum.

Christifideles iam prope morituros pia Mater Ecclesia nunquam praetermisit opportunis pro rei necessitate solari subsidiis. Saluberrimis autem hisce adiumentis recens aliud iamnunc accenseri potest. Nam plerique e clero, iique potissimum, qui curae animarum incumbunt, ut in dies spirituali hominum bono in supremo vitae discrimine provideatur, Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X preces admoverunt, quo Christifidelibus sequentem actum adhuc in vita emittentibus : « *Domine Dem meus, iam nunc quodcumque mortis genus prout Tibi placuerit, eum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu tua aequo ac libenti animo suscipio* », plenariam indulgentiam in articulo mortis consequendam elargiri dignaretur. Has vero preces, relatas in Audientia habita die 9 Martii 1904 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, Eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, benigne concessit, ut omnes Christifideles, qui, die ab eisdem eligendo, sacramentali confessione rite expiati sacraque Synaxi refecti, cum vero charitatis in Deum affectu, praedictum actum ediderint, plenariam indulgentiam in ipso mortis articulo lucrari valeant, Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 9 Martii 1904.

A. CARD. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. S.

Pro Secretario
I. M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

WRATISLAVIEN.

Oubia cfrca opera praestanda pro Iubilaeo Immaculatae B. M. V. Conceptionis lucrando.

Beatissime Pater,

Episcopi regni Borussici per infrascriptum Episcopum Wratislaviensiem quoad obligationes pro iubilaeo lucrando litteris encyclicis Sanctitatis Tuae d. d. 2 februarii a. currentis (1) impositas sequentia exponunt dubia, quorum solutionem humillime efflagitant:

1. Potestne ecclesia respectiva visitari ter uno eodemque die, an debet hoc fieri tribus diversis diebus?

2. Debetne Episcopus in iis locis, in quibus non est ecclesia cathedralis, sed plures sunt ecclesiae parochiales, designare unam ex istis, quae visitetur, an ab omnibus et singulis est visitanda propria ecclesia parochialis?

3. Ieiunium et abstinentia praescripta estne ieiunium dictum « *magro stretto* » an licet saltem apud nos usus ovorum, laçticiniorum, pinguedinis, vel *strutto, iuris* ex carnibus expressi, qui usus apud nos in diebus ieiunii sive cum sive absque abstinentia permissa est? — Et Deus etc.

Sacra Poenitentiaria, perpensis propositis dubiis, respondit:

Ad 1. Visitationes fieri posse pro lubitu fidelium, sive tantum uno sive diversis diebus.

Ad 2. In casu iuxta Litteras Apostolicas visitandam esse ecclesiam parochialem propriam uniuscuiusque fidelis.

Ad 3. Ieiunium pro iubilaeo consequendo praescriptum adimpleri non posse nisi adhibeantur cibi esuriales, vetito usu circa qualitatem ciborum cuiuscumque indulti seu privilegii. - In iis vero locis, ubi cibis esurialibus uti difficile sit, Ordinarios posse indulgere ut ova et lacticinia adhibeantur, servata in ceteris ieiunii ecclesiastici forma.

Romae 23 Martii 1904.

L. S S. B. POMPILI, S. P. *Datarius.*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXVI, pag. 449.

†

Summo affecti dolore nostrae Ephemeridis socios certiores facimus de obitu Revmi D. Victorii Piazzesi, egregii et dilecti nostri Directoris, qui ad caelestes advolavit idibus Aprilibus nuper elapsis, brevi morbo consumptus et magno exemplo Sacramentis refectus.

In dioecesano Seminario Aretii studiis perfectis, utriusque iuris lauream ad assequendam Romam petiit. Validis corroboratus studiis Directionem nostrae Ephemeridis « *Acta S. Sedis* » sibi sumpsit, et triginta fere annos omnibus plaudentibus eam retinuit. Pietatem in Deum et amorem in fratres venerandus Director scientiae perbelle adiunxit, cuius veritatis opera ab ipso confecta sunt certa indicia. Leo XIII sa. me. magni fecit, Praelatum Domesticum eum nominavit et multis oneribus honoris gratia ornavit.

Nostros amicos, qui nobiscum dilectum Directorem in magno pretio habuerunt, oramus ut eius animam ad meliora profectam precibus nobis una simul adiuvent.

Certiores insuper nostrae Ephemeridis socios facimus, Periodicum *«Acta S. Sedis»,* iuvante Deo, more solito esse editurum; Directio enim et Administratio inveniuntur apud Rectorem *pro tempore* Pontificii Seminarii SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ad exteras missiones.

Nec immerito; Seminarium enim hòc et ipsa Ephemeris, ut omnes norunt, fundata sunt munificentia et auctoritate Apostolica immortalis et angelici Pii PP. IX fel. rec. a Revmo D. Petro Avanzini memoria et veneratione dignissimo, sacerdote romano, qui ab intestato Periodicum in ipsius Seminarii favorem reliquit.

Lectores igitur, qui intrinsecam nostrae Ephemeridis utilitatem, imo et hodiernis praesertim temporibus omnimodam eiusdem noscentes necessitatem, necnon perutile optimumque obiectum, in cuius bonum annui reditus impenduntur - scilicet ut Romae alantur et edoceantur iuvenes qui, sacerdotali ordine potiti, in longinquas infidelium regiones Evangelium sunt allaturi - non solum propriam fiduciam a nobis non auferent, sed nostram Ephemeridem novis sociis locupletabunt. Quae cum ita sint, totis viribus ad Periodicum « *Acta S. Sedis* » edendum, in nomine Domini et sub optimis auspiciis Pii PP. X feliciter regnantis, operam damus.

Meminerint omnes Directionem et Administrationem sitam esse apud: *Rettore del Pont. Seminario dei SS. Apostoli Pietro e Paolo per le Missioni estere. — Via S. Niccolò da Tolentino 74 ; Roma.*

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE APOSTOLICAE

Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Leonis D. P. PP. XIII, quibus B. Antonio Mariae Zaccaria, Clericorum Regul. S. Pauli et Virginum Angelicarum Fundatori, Sanctorum honores decernuntur.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilectus Domini Nostri Iesu Christi Discipulus, cum divino mentis excessu vidit *Hierusalem novam descendentem de Caelo, sicut sponsam ornatam viro suo,* audivit *vocem magnam de Throno dicentem - Ego sum* A *et Q, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquae vivae gratis. Qui vicerit, possidebit haec, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius {Apoe. cap. XXI, 2, 6, 7).* Qui vicerunt bibentes de fonte aquae vivae gratis, sunt Sancti, *habentes claritatem Dei et lumen simile lapidi pretioso tanquam lapidi iaspidis, sicut crys talium (Ibid. 11): fons aquae vivae* est Christus, qui salvandos salvat gratis, et Sanctorum suorum ministerio uti solet, ut praedestinatos quot sunt, ad *novam Hierusalem* perducat, nempe ad Tabernaculum Dei cum hominibus, ubi *absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, et nova faciet omnia.*

Exultate igitur, Alii dilectissimi, et novensilium Sanctorum, quos vobis proponit, et quorum patrocinio vos commendat Ecclesia, exempla suspicite, et alacriter imitari nitimini: Exultate, vos Itali praesertim, et Antonium Mariam Zaccaria, civem vestrum intuemini, qui amantissime vos, familias vestras, et Italiam universam e Caelo prospicit, ut cuncti sustollamini *in spiritu in montem magnum et altum.*

Antonius Maria Cremonae natus est, nobili genere, anno exeunte MDII, patre Lázaro, matre Antonia Pescaroli, eximiae probitatis foemina. Haec, paulo post natum Antonium viro ornata, filioli dilectissimi institutioni totam se dedidit, ut talis ille

evaderet, qualem a Deo precatus erat. Nec maternae expectationi defuit Antonius, qui ab ineunte aetate futurae sanctitatis, quae solent esse indicia, cuncta praesetulit, et praesertim rerum terrenarum despectum, Christianae pietatis cultum, et singularem in proximos charitatem. Quamobrem ferunt illum non raro, vix adolescentium, ut pauperibus succurreret, suis se exuisse vestibus, ac cibis sibi paratis abstinuisse. Tanto autem Christianae paupertatis amore incensus est, ut vestes séricas, quas eius aetatis nobiliores ostentabant, nunquam induerit, et quae sibi e paterna haereditate obvenerant, matri libentissime dona verit, ut in pauperes illa largior esse posset. Ipse autem, ut novissimus e pauperibus, quae sibi necessaria erant, a genitrice demisse exorabat, magnopere cavens, ne quid peteret, aut sibi daretur, quod non solum non redundans, sed omnino non necessarium etiam severioribus videri posset.

Humanioribus Uteris domi imbutus, primum Ticinum, deinde Patavium missus est, ut Philosophos et Medicos audiret; quod postquam maxima cum ingenii ac profectus laude praestitisset, in facultate medica Laurea insignitus, Cremonam reversus est, ut medicinam exerceret. Verum satis erat Antonium intueri, ut ad sublimiora vocatum illum cuncti iudicarent, qui iam tum Cremonae tum Patavii Sancti nomen adeptus erat. Et revera nihil magis Antonius quam ecclesiasticam militiam optabat: sed, ut erat humillimus, ministerii gravitate atque altitudine terrebatur. Cunctationem abrupit frater ex Ordine Praedicatorum, doctrina et pietate insignis, Marcellus nomine, seque ipsum in Theologicis disciplinis magistrum fore pollicitatus est Antonio, qui sacra in studia vehementer incubuit, et tanto profectu, ut magistro ipsi admirationi fuerit. Divinam autem Scripturam in primis coluit, et Pauli Epistolis adeo delectatus est, ut illum tum doctrina tum vitae exemplis referre sibi proposuerit, et apud Dominum Nostrum Iesum Christum sibi intercessorem magnum exoraverit.

Nec Paulus clienti suo defuit. Nondum enim Antonius saeculares vestes exuerat, cum iam Cremonensibus in Sacri Apostolatus munere tantus apparuit, ut vehementer cuperent illum Sacerdotii ordine insigniri; tum ut eius beneficia latius manarent, tum ut sacerdotalem dignitatem, gliscente vitio, fere despectam, iterum suspicerent homines, ac pro merito vererentur. Nec opinionem fefellit eventus; imo ipse eam Deus prodigio

confirmare velle visus est. Etenim, cum primum litavit Antonius, mirabile quid accidit, quo Deus ostendere dignatus est, quantum hoc Propitiatore gauderet. Nam in Sanctissimae Hostiae elevatione, multo ille splendore circumfusus apparuit, et Angelorum cohors illum venerabunda circumcingere visa est, donec Sacras Species assumpsit. Quo prodigio non tam confirmata est apud homines Antonii existimatio, quam eius humilitas ac flagrans illud desiderium se pro cunctorum salute Christo omnium Redemptori vovendi.

Quod quanto charitatis ardore sit executus tum in spiritualibus, tum in temporalibus Cremonensium necessitatibus nihil est opus singillatim persequi. Nam celeberrimi Cremonae historici unanimiter affirmant, domum Beati Antonii factam esse *miseriarum perfugium,* quemadmodum pectus eius erat *miserationis diversorium.* Hinc illum Cremonenses *Angelum suum* nuncupare consueverunt, et ita appellabant, quoties Antonium vel ad conciones audiendas, vel ad conscientiam expiandam, vel consilii aut subsidii causa adibant. Quo factum est, ut etiam *Pater patriae* sit appellatus, utpote qui Religionis bonorum morum, publicae et privatae concordiae vindex statorque communi suffragio censeretur et esset.

Tunc ei in mentem venit tanta beneficia, quibus patriam ditaverat, in Italiam, imo in mundum universum propagare ; quod cum fieri non posset, nisi alios adsciseeret, de religiosa Sodalitate cogitare coepit, quae, auspice Ecclesia, in cleri populique reformationem totis viribus niteretur. Rem tantam, praesertim in illa temporum malignitate, exequi ac perficere difficillimum erat: at Paulus ob oculos Antonii versabatur; Paulum, patronum suum, in corde ille gerebat; Pauli nomine Christum Crucifixum precibus ac lacrymis urgebat, ut votis suis propitius adesset. Nec multum moratus est Redemptor hominum amantissimus. Nam cum Mediolanum venisset Antonius et electissimum illum virorum pietate ac scientia illustrium conventum adivisset, qui *a Divina Sapientia* nuncupabatur, a cunctis ita receptus est, quasi is esset, qui tandem statuere posset, quid facto opus esset, ut gravissimis malis occurreretur, quibus undique Ecclesia et Christiana Societas premebantur; cumque Antonius ipse de excogitata a se Sodalitate verba iecisset, plausere omnes, alacriterque statim se socios Antonio praebuerunt duo nobiles cives Mediolanenses, Bartholomaei^ Ferrari et la-

cobus Morigia, alter Sacerdotio iam auctus, alter dignissimus eo et cupidissimus.

His cum sociis Antonius a s. m. Clemente VII humillimis-precibus veniam postulavit novam constituendi religiosam familiam, quacum, spectatum finem, quem diximus, sub tutela S. Pauli et constanti eius imitatione consequeretur. Preces libentissime excepit Clemens, et litteris in forma Brevis datis-die XVIII Februarii anno MDXXXIII, petitam gratiam largitus est. Anno autem MDXXXV Paulus III Clementis Successor amplificatam iam Societatem iteratis Apostolicis litteris confirmavit, laudavit, multisque privilegiis auxit. Haec gloriosa illius Societatis initia sunt, quam S. Carolus Borromaeus et S. Franciscus Salesius admirati sunt, et de ea gratulati; quaeque prius in Insubriam et apud Allobrogos, deinde in Italiam aliasque nationes propagata, de Ecclesia optime merita est, et meretur, civilique etiam Societati maxime prodest christiana ac litteraria iuventutis institutione: multos denique viros extulit atque effert scientiarum laude insignes, praesertim naturalium quarum quanta sit, praesertim hac nostra aetate, necessitas, nedum utilitas, nemo non videt.

Haud multo post Antonius, ut Christianae puellarum educationi consuleret, hospitium illud, quod Mediolani instituerat piissima illa Guastallae Comitissa Ludovica Torelli in Monasterium con vertere sategit, idque generosa e Matronae adeo suasit, ut illa statim ab Apostolica Sede eius rei facultatem impetrandam curaverit. Summus Pontifex, Paulus III, datis litteris in forma *Brevis*, anno MDXXXV, preces excepit, atque ita orta sunt illa Sacrarum Virginum Monasteria, quibus *Angeliearum* nomen est. Nam cum Sacris illis Virginibus S. Antonius facultatem fecisset nomen eligendi, quo compellari vellent, quaedam ex iunioribus divino veluti instinctu exclamavit *Angeliearum* nomen illarum coetui Virginum convenire, quod cum universae magnopere probassent, cognomentum illud sumptum est lubentissime, pollicitatione addita vitam se nomini dignam praestituras.

Angeliearum Virginum recessus, eos sapientissimis legibus S. Antonio moderante, in tantam existimationem brevi venerunt, ut inde aliarum Sacrarum Virginum reformationis sumpta sint initia. Angélicas Sorores tanti faciebat S. Carolus Borromaeus, ut eas appellare consueverit « *il più prezioso gioiello**

della sua mitra»; praecepta autem, quibus regebantur Angelicae, totaque earum institutionis ratio multo usui fuerunt Sancto Francisco Salesio in mirabili illa fundatione Sororum, quibus a SS. Virginis Visitatione nomen est. Angeliearum Monasteria quidem, cum adhuc aetati nostrae profutura censeamus, ad Officium Nostrum pertinere visum est commendare. Quamobrem Laudensem Episcopum, illas ut in Dioecesi sua restitueret, vehementer hortati sumus.

Praeclarissimis hisce Institutionibus de Ecclesia optime meritus est Antonius, qui ut eas regeret, atque ab obtrectatoribus defenderet, qui non pauci iique potentes fuerunt, curas assiduas atque ingentes debuit impendere. Nihilominus, quasi vacaret, eodem tempore Cleri populique Mediolanensis reformationi ita consuluit, ut iure hac in re S. Caroli Borromaei Praecursor sit appellatus. Mediolani etiam, perinde ac Cremonae fecerat, non modo animabus, sed etiam corporibus consuluit, nec ullum excogitan potest aerumnae miseriaeque genus, quod arcere ille, aut saltem levare non cogitaverit. Nec solum Cremona et Mediolanum summa Antonii beneficia senserunt, sed -etiam tota Dioecesis Vicentina, ad quam recreandam et reformandam a Cardinali Ridolfi vocatus fuerat.

Tot tantaeque rerum gestarum laudes ab heroicis incliti viri virtutibus sunt repetendae, quas ex assidua Iesu Christi contemplatione ille hausit aluitque. Ut enim ait Scriptor eius vitae gravissimus, « *ex Passione Domini Nostri collectum sibi veluti myrrhae fasciculum inter animae ubera eum perpetuo deferret, submissum e caelo virtutum omnium perfectissimum exemplar inspiciebat, solum in eam rem obversus, ut fortia agendo et patiendo eiusmodi imagini conformis evaderet».*

Hinc assidua in B. Antonio rerum caelestium meditatio, hinc mirus ille, quo Sacrum celebrabat, fervor, immensumque Christi regni dilatandi studium, ex quo primus et divinae Hostiae adorationem in triduum solemnem, prout hactenus haud invalidis documentis, invexisse perhibetur ; hinc tenerrima erga Virginem pietas, per quam se Crucifixus amari voluit: hinc poenitentia fere incredibilis cum innocentia angelica coniuncta: hinc summa humilitas, qua se infra peccatorum misérrimos abiiciebat. Tantam virtutem etiam in terris Christus miris donis et charismatibus ornare atque extollere dignatus est.

At iam immortale praemium, florentem adhuc aetate ma-

nebat Antoni am ; qui, cum Guastallam vocatus esset, gravissimis discordiis vexatam, ut pacis auctor esset, gravi morbo corripitur. Mediolanum et suos cogitat, sed proxime moriturus maluit Cremonam, viciniorem urbem, deferri. Ibi in pientissimae genitricis complexu, quam propediem Caelum subituram praedixit, futuros Congregationis suae eventus aperiens inter effusas sodalium lacrymas, Sancti Pauli visu et adloquio, ut a gravissimis auctoribus traditum est, recreatus, cunctis Ecclesiae Sacramentis ferventissime atque humillime susceptis, placidissime et quasi caelestes delicias praelibans, mortuus est die V Iulii anno MDXXXIX, aetatis suae sexto post trigesimum.

Defunctum Antonium populus universus, summo Cleri consensu, inter Beatos Caelites statim veneratus est. Hinc reliquiarum eius cultus eximius; hinc imagines eius radiis aureolisque nitentes, super aras expositae; piinc constans Beati appellatio Antonio tributa, nec solum in Insubria et in Italia, sed etiam in nobilioribus Europae regionibus. At nonaginta quinque annos post eius obitum, quum promulgata essent celeberrima Urbani VIII Decreta, Clericorum S. Pauli Congregatio ab eo cultu abstinendum censuit, etsi illum, non uno ex capite, Urbaniana Decreta videri possent non respicere. Vicit tamen summa Sanctae Sedi Apostolicae observantia. Quod eo magis Barnabitarum laudi verti debet, quod aegre admodum Causa nobilissima, *per viam*, ut aiunt, *non cultus* expediri poterat. Verum cum inditae memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV salubriter statuisset, in Causis antiquis *subsidiarias* quoque *probationes* excipi posse; studia omnia sua Barnabitae contulerunt, ut magna istiusmodi probationum copia, Causam sui Ordinis principem instruerent. Sed temporum iniuria usque ad an. MDCCCVIII Ordinaria Inquisitio absolvi non potuit, qua perfecta tandem S. M. Pius VII, anno insequente, Causae Commissionem signavit. Tum feliciter cunctis expletis, quae iure peragenda erant,, de virtutibus quaesitum est, quas tandem heroicas declaravit f. m. Praedecessor Noster Pius IX, Caietae perduellium scelere •cum exularet, die secunda Februarii, anno MDCCCXLIX.

Interim, dum amantissimi B. Antonii filii proxime futuram super miraculis disceptationem instruebant, edita sunt quaedam S. Congregationis Decreta, quibus redintegrabatur cultus Beati Marinoni e Clericis Theatinis, necnon e Societ. Iesu Beatorum Martyrum Azevedo eiusque Sodalium, nuperrime vero illorum

Heroum, qui Ecclesiam Christi in Anglia fuso sanguine illustrarunt: hinc Clericis Regularibus S. Pauli ad se pertinere visum est, ut eadem ratione Fundatoris sui gloriae prospicerent. Hinc, summa cum animi laetitia consecuti sunt, ut de eius cultus redintegratione apud S. Rituum Congregationem ageretur. S. Congregatio favit, Nosque eius scitum libentissime probavimus Decreto MDCCCXC die III Ianuarii, interque Beatos coli Antonium Mariam decrevimus. Anno secuto, Clerici S. Pauli Causam pro Canonizatione resumere aggressi sunt, rogantes insuper ut miracula pro eius Beatificatione proponenda valere possent ad Canonizationis effectum. Utrumque a S. Congregatione probatum cum esset, Nos die XIII Maii anno MDCCCXCI Commissionem reassumptionis Causae B. Antonii Mariae Zaccaria propria manu signavimus, simulque indulsimus, ut miracula eiusdem Beati intercessione a Deo obtenta post an. MDCCCXLIX proponi possent pro ipsius Canonizatione.

Tria autem ad hunc effectum proposita sunt miracula. Primum ordine propositionis accidit in Archidioecesi Bononiensi anno MDCCCLXXVI, cuidam Vincentio Zanotti, agricolae. Hic, vigesimo aetatis anno varicibus laborare coepit in crure sinistro. Varicibus successit ulcus, aestivo praesertim tempore atrox, tamque dolens, ut nulli labori operam dare posset Vincentius. Post aliquot annos hic Medico crus videndum exhibuit, ut medicinam pararet. Medicinam, quae morbum vincerei, nullam parari posse asseveravit Medicus (ulcus enim ex mala diathesi pendebat); quamobrem quaedam tantum praescripsit ad illud vel continendum, vel mitigandum idonea. Reipsa, inter alternas vices, morbus fere semper recruduit, donec, cum iam ad senectutem pervenisset aegrotus, deterrimus factus est, et gangraena imminere videbatur. Tunc ad Beati intercessionem confugit Vincentius, eumque ut demereat, preces novendiales init, quibus peractis melius se habere sensit, ulcusque ad cicatricen! vergere perspexit. Triduanas preces addit, quibus expletis vires redeunt, et alacriter ad gravissimus agriculturae labores, suis et amicis gratulantibus, redit. Ulcus sanatum esse solida testabatur inducta cicatrix.

Alterum accidit Cremonae anno MDCCCLXXIII. Paula Aloni nihil de valetudine sua queri debuit usque ad decimum quintum aetatis annum, quo tempore morbo satis gravi difficilisque diagnosis aegrotare coepit, quem Medici *reuma nernomm* dixe-

runt. Symptomata praecipua, nervorum contractiones, acerbi per totum corpus dolores, et aliquoties febris. Deinceps tumor pessimae indolis, primum in gutture, postea sub axillis erupit; quo chirurgica arte sanato, prior morbus atrocior factus est, et Paula gradiendi impos decumbere coacta est. Febris ardentissima, dolor in cunctis artubus, in capite autem, in nuca, in renibus intolerabilis; vomitiones, deliquia, deliramenta, suffocationes. Spinitem dixere Medici, non modo insanabilem, sed leniri nesciam. Septennium solidum eo in statu transegerat miserrima foemina, summa macie confecta, ut pelle et ossibus constare videretur, cum R. D. Carolus Crotti, eius Confessarius, auditis miraculis Ven. Antonii Zaccaria, eius imaginem et quasdam reliquias Paulae dedit, eamque ad bonam spem ita induxit, ut mulier fiduciae plena novendiales preces inceperit. Cum exaudita non esset, nihil fiduciae amisit, et Antonium tandem exauditurum certa iugiter orabat. Iam extrema unctione munita fuerat, et Ecclesiae benedictionibus roborata proxime obitura videbatur, cum nescio quo impetu correpta, e lecto surgere conata est. Conatus felix! nam viribus statim receptis, non modo illico ambulare, sed multo fortique cibo vesci potuit; quae valetudo, qua numquam ante morbum usa erat, plurimos annos duravit.

Tertium miraculum Francisco Aloni, fratri Paulae accidit. Hic, ineunte aetate herpete laboraverat¡ puer cerebri inflammationibus, quae mentis aciem retuderunt, aliisque morbis pravum omnino corporis habitum significantibus. Quadraginta quinque annos natus, cum in crus dexterum incidisset, illud tractum est. Diuturna cura convaluit, at in eodem crure supervenit tumor, qui primum plaga, deinde ulcus factum est teterrimum. In nosocomium Cremonense receptus, ut chronicus et insanabilis bis dimissus est. Accessit osteoperiostites. Tum, a cunctis derelictos, a sorore Paula opem imploravit. Haec, Ven. Antonii recordata, qui sibi iam moriturae adfuerat, bono animo fratrem esse iubet, et Ven. Antonio per novendium cum fiducia supplicare. Paret Franciscus, cuius cruri Paula iam Reliquias Venerabilis admoverat, et novendialibus precibus expletis, omnino convaluit.

Quae miracula, nempe ***instantánea perfectaque sanatio Vincentio Zanotti ab inveterato et insanabili ulcere in laevo crure; Paulae Aloni a chronica et incurabili ajfeetione nervei***

centri spinalis ; denique Francisci Aloni Cremonensis ex chr onieo inveteratoque ulcere in dextero erure, cum de more ter expensa essent, primo in Congregatione antepraeparatoria habita die XVII Decembris anno MDCCCXCV, deinceps in Congregatione praeparatoria die I Septembris anno MDCCCXCVI, denique in Congregatione generali coram Nobis coacta die XIV ianuarii hoc vertente anno : Nos, auditis sententiis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Consultorum; post exoratum in spiritu humilitatis divinum lumen, die XIV Februarii, Dominica in Septuagésima solemniter ediximus de tribus supra dictis miraculis *Constare.*

Reliquum erat, ut in generalibus S. R. Congregationis Comitiis dubium proponeretur: *An tuto procedi possit ad solemnem Beati Antonii Mariae Zacearía Canonizationem.* Obstabat tamen Decretum diei XXIII Aprilis MDCCXLI, quo cautum est in causis, in quibus virtutes directis probationibus non nituntur, quatuor esse discutienda miracula. Nos autem, attenta Causae nobilitate, atque dignitate qua pollet Beatus, utpote incliti ac de Ecclesia optime meriti Ordinis conditor, a quarto miraculo proponendo Postulatores exemimus. Hinc die XXIII Februarii vertente anno, exceptis libentissime tum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, tum Consultorum Sententiis, iterum divino auxilio invocato, Dominica prima in Quadragesima solemniter decrevimus: *tuto procedi posse* ad Beati Antonii Mariae Canonizationem.

His peractis, morem libentissime gerentes tum Maiorum institutis, tum Praedecessorum Nostrorum exemplis, atque etiam ad augendam tanti eventus solemnitatem, in Consistorio secreto habito die XIX Aprilis vertente anno, universos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales convocavimus, eorumque sententiam rogavimus. Qui, postquam dilectus Filius Noster Cardinalis Caietanus Aloisi Masella S. Rituum Congregationi praefectus, brevi quidem sed accurata oratione de gestis, virtutibus ac miraculis Beati Antonii, necnon de serie actorum disseruisset, sibi mirifice placere responderunt, Sanctorum honores tanto Viro deferri. Tum eadem die, convocato publico Consistorio dilectus Filius Balthassar Capogrossi-Guarna Nostrae Consistorialis Aulae advocatus pro eiusdem Beati Canonizatione eleganter peroravit, Nosque, ut ad eam deveniremus, humiliter supplicava. Nos vero rei gravitatem, ac magnitudinem prae oculis

habentes orationibus et ieiunio adhuc instandum esse censuimus, quo benignissimus Deus lucem suae claritatis super mentem nostram effundere, et in voluntate sua dirigere dignare^ tur. Curavimus deinde litteris a Sacra Concilii Congregatione datis, ut non modo viciniores Ven. Fratres Episcopi, sed remotissimi quoque, servatis servandis, hac de re certiores fierent, seque ad Urbem conferrent, ut, Divino Spiritu invocato, et ipsi sententiam suam aperirent, super Canonizatione Beati Antonii Mariae, et Beati Petri Fourier, quem illi sociavimus. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, Causa plene cognita, tum ex iis quae gesta fuerant coram Nobis, tum ex documentis S. R. C, quorum exempla singulis tradi voluimus, in semipublicum Consistorium coram Nobis coactum die XX Maii, convenerunt. Non modo Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi unanimi sententia ad hanc Canonizationem absolvendam Nos cohortati sunt. Cuius rei instrumenta a dilectis Filiis Sedis Apostolicae Notariis publice confecta, in Tabularium S. R. C. relata sunt.

Pro solemni vero huius Canonizationis celebratione diem statuimus XXVII mensis Maii, qua recolitur Iesus, *Salutis humanae Sator, voluptas cordium, Orbis redempti Conditor, Victor triumpho nobili, ad dexteram Patris sedens.* Indictis interea ieiunio, statutisque Ecclesiis ad Sacras Indulgentias lucrandas, hortati sumus omnes Christifideles, ut, animis recte comparatis, ad tantam solemnitatem accedentes, largiorem caelestium beneficiorum copiam acciperent.

Illud etiam visum est tum ut Fidelium quamplurimorum desideriis satisfaceremus, tum etiam ad maiestatem Ritus augendam, illum in maximo totius orbis templo celebrari, iuxta antiquissimum morem, quem temporum tristitia, et lucrosissima Christi Vicarii captivitas compulerunt intermittere. Cum enim imperscrutabili Dei iudicio haec duret captivitas, non inopportunum iudicavimus, Fideles coram ipso Sanctorum Apostolorum Sepulcro ferventiores ingeminare preces, ut Deus tandem vel convertere Sanctae Ecclesiae inimicos, vel humiliare dignetur.

Statuta itaque faustissima dies cum advenit, omnes tum Saecularis tum Regularis Cleri Ordines, singuli Romanae Curiae Praesules, et Officiales, cuncti, Venerabiles Fratres Nostri

S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi ad numerum circiter tercentorum convenerunt, quibus praeeuntibus solemni Supplicatione Nos ingressi sumus Vaticanam Basilicam magnificentissime ornatam. Tunc dilectus Filius Noster Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella S. R. C. Praefectus, Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Balthassare Capogrossi-Guarna Nostrae consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis precesque detulit Sacrorum Antistitum, necnon universi Barnabitarum Ordinis et Sororum Angelicarum, ut Beatum Antonium Mariam Sanctorum honore decoraremus; cumque iterum, et tertio iisdem ferventer institissent et votis et precibus, Nos Divini Spiritus lumine humiliter invocato, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad Catholicae Fidei incrementum et decus, Auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, matura deliberatione et *voto* Venerabilium Fratrum Nostrorum S R. Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum Antonium Mariam Presbyterum, Clericorum regularium S. Pauli, atque Virginum Angelicarum Fundatorem, Sanctum Confessorem esse declaravimus.

Cui eodem Decreto sociavimus Petrum Fourier de Mataincouria, Sacerdotem Lotharingum, Generalem et Reformatorem Congregationis Salvatoris Nostri nuncupatae, Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, et Institutorem Monialium Congregationis titulo *Dominae Nostrae* et regula eiusdem S. Augustini, et ipsum virtutum et miraculorum gloria insignem.

Memoriam Sancti Antonii Mariae Zaccaria quotannis die V Iulii in Martyrologio referri mandavimus, et cunctis fidelibus qui Eius dicta die exuvias venerati fuerint, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo largiti sumus. Gratiis deinde Deo Optimo Maximo humiliter actis, coram Nobis Sacrum solemne operante Venerabili Fratre Nostro Cardinali Aloisio Oreglia, Episcopo Ostiensi et Veliterno, Sacri Collegii Decano'; Nos, post Evangelii lectionem, Clerum populumque universum allocuti sumus, hortantes vehementer, ut Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli intercessionem, et illam novensilium Sanctorum pieni fiducia implorarent, in iis praesertim Ecclesiae necessitatibus. Denique plenaria Indulgentia cunctis adstantibus effusissimo cordis affectu impertita, Apostolicas

hasce Litteras, manu Nostra et S. R. E. Cardinalium signa tas, sub Plumbo expediri mandavimus.

Audivistis, filii dilectissimi, ab Apostolo dilecto, quae quantaque sint gaudia novae Hierusalem, *victoribus* a Christo praeparata: iis scilicet, qui Christum ipsum induentes, de mundo, de carne, de tenebrarum potestatibus triumpharunt, exhibentes *corpora sua hostiam viventem, sanctam. Deo placentem, quique saeculo conformari noluerunt, et probaverunt, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta (ad Romanos cap. XII, 1, 2). Nam timi dis et ineredulis et execratis, et homicidis et fornicatoribus, et veneficis et idololatris et omnibus mendaeibus, pars illorum erit in stagno ardenti, igne et sulphure (Apoe. cap. XXI, 8).*

Animadvertite autem, filii dilectissimi, stagnum ardens igne et sulphure partem esse non solum incredulorum, execratorum, homicidarum, fornicatorum, mendacium, sed etiam timidorum. Ut ergo victoria nos ad adeptionem *montis magni et alti* perducat, non vanis cogitationibus et sterilibus desideriis, sed tota mente, toto corde, totis viribus contra saeculum certemus oportet; nihil dissimulantes, nihil formidantes, mortemque ipsam magni et suavis praemii loco ducentes, quando illam pro vera animae nostrae libertate et dignitate, pro Christo, pro Ecclesiae iuribus et legibus oppetere contingat.

Ubique contra sanctissima haec et augustissima nomina et res bellum geritur atrocissimum: in Italia, autem illud et tetrius et indignius; in Italia, inquam, ubi Christus Regni sui Sedem posuit principem, quam minuisse sacrilegi homines ita gloriantur, ut nefandum facinus solemni civili ritu, ceu maximos patriae, imo humani generis fastus, celebrare, et immani elato, prope eversam Crucem, monumento perennare non vereantur. Adsit Deus Optimus Maximus; et, intercedente Sancto Antonio Maria, Causae Nostrae faveat: faveat caeptis vestris, nobilissimi Italorum, qui pro Christo et Ecclesia strenuissime certatis, nec *insipientium errore traditeti, eœeidistis a propria firmitate (Pet. Epist. 2, cap. III, 17).*

Omnibus itaque, quae inspicienda erant, bene perpensis, certa ex scientia et Auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, universaeque Ecclesiae Catholicae denunciamus: mandantes, ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis

etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo Viri in ecclesiastica Dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris Litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel temerario ausu contraire, aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Nonagésimo Septimo, VI Kalend. Iunias, Pontificatus Nostri Anno XX.

>B EGO LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

•B Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius, S. C. Decanus.
•B Ego L. M. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Parocchi.
hB Ego S. Episcopus Tusculan. Card. Vannutelli.
j$i Ego M. Episcopus Sabinen. Card. Mocenni.
•B Ego I. Episcopus Albanen. Card. Verga Maior Poenitentiarius.
***$(Ego C. Soc. I. Episcopus Praenestin. Card. Mazzetta.**
i& Ego M. tit. S. Laurentii in Lucina Protopresbyt. Card. Ledochowski.
SB Ego C. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Aloisi-Masella.
>B Ego M. tit. S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla.
>B Ego V. tit. S. Silvestri in Capite Presbyt. Card. Vannutelli.
>B Ego A. tit. SS. Bonifacii et Alexii Presbyt. Card. Di Pietro.
SB Ego F. tit. S. Mariae in Aracoelis Presbyt. Card. Satolli.
S Ego Fr. H. M.ª O. Carm. excalc. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.
•B Ego D. M.ª tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Iacobini.
Ego A. tit. SS. Nerei et Achillei Presbyt. Card. Agliardi.
>B Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.
%j Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.
>B Ego Th. S. Laurentii in Damaso Prior Diac. Card. Mertel S. R. E. Vice-Cancellarius.
hB Ego A. S. Mariae in Via Lata Diac. Card. Macchi.

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus Pius PP. X gratulatur de nova editione operum S. Bonaventurae.

DILECTO FILIO DIONYSIO SCHÜLER
ORDINIS MINORUM MINISTRO GENERALI

PIUS PP. x

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Doctoris Seraphici sapientiam, Ecclesiae Catholicae non minus quam Franciscalis familiae immortale lumen, optimo sane consilio sodales Ordinis tui suscepere refovendam, cum abhinc non paucis annis opera eius, quae extarent, omnia rursus edere, congruenter eruditioni horum temporum, aggressi sunt. Cuius quidem magni laboriosique incoepti, uti Decessor Noster fel. re. Leo XIII primitias progressionesque admodum probavit, ita Nos felicem exitum, integra voluminum accepta dono serie, vehementer gratulamur. Id autem non vestra solum causa facimus, sed communi.

Etenim Bonaventuram, utpote non suo dumtaxat saeculo, sed omni posteritati, quemadmodum caeteros summos Ecclesiae Doctores, datum divinitus, egregie prodesse huic etiam aetati posse arbitramur, si, quod sperare post vestros labores licet, multo plures invenerit studiosos sui. Eo magis quod is princeps Scholasticorum alter extitit cum Aquinate, cuius in Philosophia ac Theologia disciplinam Nos, Decessorem secuti, magnopere commendandam, datis proxime ad Urbanam S. Thomae Academiam litteris, censuimus. Sed praecipuos ex hac editione fructus doctrinae, fore ut alumni tui scripta S. Bonaventurae pervolvendo percipiant, non modo confidimus, certum habemus. Novimus enim in tuo Ordine, una cum amore nobilium Magistrorum, qui Franciscanam Scholam medio maxime aevo illustrarunt, doctrinarum studia, ad rationem viamque exacta quam requirunt tempora, dudum reviviscere in spem dignitatis pristinae coepisse.

Quo in genere duo, honoris causa, collegia nominamus: Antonianum in Urbe, ubi delectorum ex universo Ordine alumnorum flos ad magisteria gravioraque munia rite educitur, et S. Bonaventurae Collegium ad Claras Aquas, unde ipsius

Seraphici Doctoris, typis impressa, prodiere nuper opera, itemque alios Minorum auctores de integro vulgatum iri intelligimus. — Omnino istum studiorum optimum cultum, in Minoritica familia incalescentem, Nos et ornandum laude, et hortatione acuendum etiam putamus. — Siquidem praeter artes exercitationesque virtutum, quae ad conformandos recte spiritus pertinent, nihil est quod ad sacra digne exequenda officia et munera magis opus sit, quam doctrina; cuius ipsa opinio reverentiam hominum sacerdoti concilians, perfunctionem sacri ministerii facit fructuosiorem.

Restat ut de oblatis voluminibus, in quibus, aeque ac Decessor Noster, criticae artis peritiam, animadversionum opportunam copiam, ipsam litterarum elegantem formam dilaudamus, non mediocres, uti par est, agamus gratias. Votum adiicimus, ut augescente, vel extra Ordinis Franciscalis fines, S. Bonaventurae amore et studio, nulla brevi sint vobis huius editionis exemplaria reliqua.

Auspicem coelestium bonorum, ac singularis Nostrae benevolentiae testem tibi, dilecte Fili, omnibus qui editionem accurarunt, Ignatio Jeiler imprimis, tum universae Minorum familiae, cui praees, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XI Aprilis an. MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

ad Emum Urbis Vicarium, quibus clerici et sacerdotes omnes studiorum causa Romam petentes Seminaria vel Collegia ecclesiastica ingredi praecipiuntur (1).

AL SIGNOR CARDINALE
PIETRO RESPIGHI
VICARIO GENERALE PER LA DIOCESI DI ROMA

La ristorazione d'ogni cosa in Cristo, che ci siamo proposti coll'aiuto del Cielo nel governo della Chiesa, esìge, come

(1) Huiusce documenti versionem latinam in exterorum commodum quamprimum dabimus.

più volte abbiamo già manifestato, la buona istituzione del clero ; la prova delle vocazioni, l'esame sull'integrità della vita degli aspiranti e la cautela per non aprir loro con troppa indulgenza le porte del santuario. Per far regnare Gesù Cristo nel mondo nessuna cosa è così necessaria come la santità del clero, perchè con l'esempio, con la parola e con la scienza esso sia guida ai fedeli, che, come dice un antico proverbio, saranno sempre quali sono i sacerdoti : *sicut sacerdos, sic populus.*

Leggiamo infatti nel S. Concilio di Trento : *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum cita et exemplum, qui se divino ministerio dedicaverant ; quum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniieiunt, ex iisque sumunt quod imitentur* (Sess. XXII, cap. I de Reform.). Da questo emerge chiara la necessità, che i chiamati nella sorte del Signore fin dai primi anni siano non solo informati a quella pietà e a quella dottrina, che li rendano sale della terra e luce del mondo, ma la santità della vita abbiano meditata e praticata sotto una vigilante osservanza ed una accurata disciplina nei Seminari. Nei Seminari infatti si educano le tenere piante, che fatte alberi daranno frutti copiosi; nei Seminari si preparano gli operai, che dovranno coltivare la vigna del Signore, e finalmente si esercitano i coraggiosi atleti, che dovranno sostenere con fortezza le divine battaglie.

Con molta ragione pertanto i Padri del S. Concilio di Trento dopo la Sessione (XXIIÍ, cap. 18 de Reform.) in cui fu decretata l'istituzione di questi noviziati ecclesiastici, pieni di santa allegrezza si congratularono a vicenda ripetendo che, se il Concilio di Trento non avesse stabilito che questo, non si sarebbe dovuto lamentare nè la sua lunga durata, nè le gravi difficoltà e pene, che si erano sostenute.

E qui Noi dobbiamo ringraziare la Provvidenza, che per la sollecitudine e generosità dei Nostri Venerati Predecessori la città nostra non solo è provveduta di ottimi Seminari pei bisogni della Diocesi, ma è ricca di Seminari e Collegi per quasi tutte le nazioni: il che apre il cuore non solo alla speranza, ma alla certezza che la pietà e la scienza di questi alunni che si spargono per tutto il mondo produrranno frutti di benedizione.

Convinti pertanto e persuasi della necessità che quanti aspirano al Sacerdozio siano educati nei Seminari per mantenere e coltivare la vocazione allo stato ecclesiastico, ed affinchè le vocazioni vere si possano meglio conoscere dai Superiori, che devono rendere il *bonum testimonium* prima che sugli aspiranti stessi vengano imposte le mani; persuasi che quanti hanno la vera vocazione niente maggiormente desiderano che di entrare in questi cenacoli, dove pei celesti carismi dello Spirito Santo si preparano alla missione, a cui sono divinamente chiamati (e chi sente altrimenti lascia molto a dubitare sulla verità e sincerità della sua vocazione); col voto, che quanti si credono chiamati al Sacerdozio fin dai primi anni, se fosse possibile, entrino in questi asili della pietà e dello studio; confermando pienamente quanto Ella Sig. Cardinale ha disposto in proposito con le lettere circolari dirette ai Revmi Ordinari d'Italia negli ultimi tre anni decorsi; siamo inoltre venuti nella determinazione di stabilire:

1°. Tutti i Chierici della Diocesi di Roma, come quelli che dalle diverse Diocesi d'Italia vengono mandati a Roma dai loro Revmi Ordinari per attendere agli studi, debbono essere convittori in un Seminario o Collegio ecclesiastico.

2°. Per provvedere, quanto è possibile, a quegli aspiranti della Diocesi di Roma che non potranno pagare la retta, vogliamo che i posti gratuiti nel Seminario Romano siano riservati agli studenti di Teologia che si trovino in detta condizione; e solo nel caso che non vi fossero aspiranti teologi, possano goderne studenti di Liceo. Vogliamo altresì che a tali posti possano essere nominati anche gli studenti non romani di nascita, purché appartengano per domicilio a questa Diocesi.

3°. I Sacerdoti che a domanda dei loro Vescovi verranno a Roma dalle Diocesi d'Italia, sia per un corso di perfezionamento nella Filosofia o Teologia, sia per frequentare le scuole di diritto canonico e civile negli istituti ecclesiastici, sia per gli studi universitari, od anche per la pratica nelle Sacre Congregazioni Romane, dovranno essi pure entrare come alunni in un Seminario o Collegio ecclesiastico.

4°. Gli studenti esteri, con le commendatizie dei loro Reverendissimi Ordinari, dovranno procurarsi il posto nei Collegi delle rispettive nazioni, e, qualora questi mancassero, in un altro Collegio ecclesiastico.

5°. In conseguenza di tali disposizioni non potranno essere accolti nei Collegi laici di Roma, quantunque retti da persone ecclesiastiche, i Chierici e Sacerdoti studenti per esercitare l'ufficio di prefetti dei convittori. È doloroso il dover privare siffatti Collegi dei giovani studenti che colPabito ecclesiastico vi esercitano tale officio; ma a questo bisogno, al quale potranno provvedere a tempo i Direttori dei singoli istituti, deve prevalere la necessità di informare quei giovani allo spirito ecclesiastico con la disciplina dei Seminari.

6°. In nessuno dei Seminari o Collegi ecclesiastici di Roma potrà essere accettato come alunno chi non presenti la domanda del suo Ordinario, il quale s'impegni di riceverlo in Diocesi a studi finiti o quando per altre ragioni i Superiori stimassero di doverlo licenziare. Le suddette domande dovranno essere riconosciute da cotesto Vicariato.

7°. Le Università Gregoriana e della Minerva, i Seminari Romano e Vaticano, e il Collegio di Propaganda non potranno ammettere alle lezioni, come uditore ordinario, nessun Chierico o Sacerdote, che non esibisca la prova scritta di essere convittore in un Collegio ecclesiastico o in un Seminano. Per i Sacerdoti romani non appartenenti a comunità ecclesiastiche si richieda il permesso scritto da cotesto Vicariato. Tali disposizioni valgono anche per gli ecclesiastici che desiderano far pratica nelle Congregazioni romane.

8°. Non potrà essere promosso al Sacerdozio chi non abbia compiuto il 4° anno di Teologia, e non ne abbia superata la prova, e non sia stato alunno per tre anni in un Seminario o Collegio ecclesiastico.

Le comunichiamo, Signor Cardinale, per tempo queste disposizioni, perchè nel suo zelo illuminato pel governo della Nostra Diocesi Ella ne intimi e ne sorvegli pel prossimo venturo anno scolastico la scrupolosa osservanza, derogando affatto a qualunque consuetudine o privilegio in contrario. E Le impartiamo con particolare affetto l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano nella festa di S. Pio V del 1904.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Archiepiscopo Coloniensi datur facultas iudicandi in tertio gradu causas iudicatas in primo a Curia Friburgensi et in secundo a Curia Rottemburgensi.

PIUS PP. X

Ad futuram rei memoriam.

Romani Pontifices ad quos, utpote supremum Ecclesiae regimen divinitus habentes, accipere appellationes pertinet in ecclesiasticis causis, quas iuxta canonicas sanctiones Catholicum per orbem Episcopi sive Metropolitae iudicaverint, quandoque consueverunt sacros eligere antistites qui sua vice ac nomine hanc ipsam iudicandi potestatem exercerent, ut nimirum Iudiciorum cursus expeditior esset eaque ratione fidelium commoditati prospiceretur. Nos porro huiusmodi insistentes exemplis, fidelium commoditati potissimum prospicientes, hodierno pro tempore existenti Archiepiscopo Coloniensi harum tenore litterarum facultatem facimus, duraturam ad septennium proximum inchoandum a die quo praesentes litterae datae sunt, ut in tertio gradu iurisdictionis veluti Noster ac S. huius Sedis Delegatus cognoscere usque ad definitivam sententiam inclusive possit ac valeat, tum matrimoniales, tum ecclesiasticas alias causas quas in prima instantia Ordinarius Friburgensis, dein in secunda instantia Episcopus Rottemburgensis ex delegata per Apostolicam Sedem potestate iudicaverit. Mandamus vero ut in causis matrimonialibus accurate servetur Constitutio Benedicti PP. XIV Praed. Nostri quae incipit « *Dei miseratione* », atque ad adhibendam in tanti momenti causis necessariam sedulitatem, maturitatem, consilium, prae oculis haberi volumus sapientes memorati Praedecessoris Nostri litteras quae ab Ipso datae sunt ad Poloniae Antistites die XI mensis Aprilis anno MDCCXLI et die VIII Maii MDCCXLIII. In ceteris vero ecclesiasticis causis omnia et singula observentur quae canonicae sanctiones praescribunt. Volumus autem ut Coloniensis idem Antistes in omnibus et singulis iudiciorum huiusmodi Actis Delegationis Apostolicae expressam et specificam mentionem faciat. Quod si qui fidelium

in huiusmodi appellationibus experiri directe velint S. huius Sedis iudicium, hoc ipsis integrum liberumque fore intelligimus atque edicimus. Haec Nos concedimus mandamus non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque omnibus etiam speciali ac individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Aprilis MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. * S.

A. CARD. MACCHI.

Episcopo Rottemburgensi conceditur facultas iudicandi in secundo gradu causas iudicatas in primo a Curia Friburgensi.

PIUS PP. X

Adfuturam rei memoriam.

Inter multiplices et gravissimas quibus assidue detinemur Apostolici ministerii curas, Praedecessorum Nostrorum exempla sequuti, opportunum ducimus sacros quandoque delegare antistites, ut in causis ecclesiasticis in quibus ad hanc Sanctam Sedem provocatio sit, Nostro et Sanctae eiusdem Sedis nomine causas ipsas de more cognoscant, ac sententiam ferant, quo fidelibus expeditiori ratione iustitia reddatur. Hoc Nos consilio spirituali potissimum fidelium bono prospicere volentes, hodierna ac pro tempore existenti Episcopo Rottemburgen. facultatem facimus ad proximum septennium, a die inchoandum quo praesentes datae fuere, duraturam, ut tamquam Apostolicae Sedis Delegatus in secunda provocatione sive instantia tam matrimoniales, quam ecclesiasticas alias causas de quibus" Archiepiscopus Friburgensis, sive, illa Sede Archiepiscopali vacante, Vicarius Capitularis legitime electus, in prima instantia iudicaverit, cognoscere deque illis sententiam dicere queat, servata tamen in causis matrimonialibus Constitutione felicis recordationis Benedicti XIV Praedecessoris Nostri quae incipit « *Dei miseratione* » habitisque etiam ob oculos providis Praedecessoris eiusdem Nostri litteris datis ad Poloniae Antistites die XI mensis Aprilis an. MDCCXLI ac die XVIII Maii an. MDCCXLIII,

«t in re tanti momenti necessaria maturitas adhibeatur. Volumus etiam ut dictus Rottemburgen. Antistes in singulis huiusmodi causarum actis delegatae a Sede Apostolica facultatis mentionem expresse faciat Ceterum si qui ex fidelibus in causis praefatis provocare ad Sanctam Sedem directe velint, hoc ipsis liberum integrumque fore declaramus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Aprilis MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. >B S.

A. Card. MACCHI.

ACTA ROMÄNÄRÜI CONGREGATIONUM

EX S. C. S. R. ET U. INQUISITIONIS

ARGENTINEN.

Conceditur indultum dispensandi super impedimento mixtae religionis, necnon alia impedimenta cumulandi, urgente mortis periculo.

Beatissime Pater,

Infrascriptus, Ordinarius Dioecesis Argentinensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humillime quae sequuntur exponit:

Per Decreta S. R. et U. Inquisitionis dierum 20 Februarii 1888 et 1 Martii 1889 (.1) Sanctitas Vestra benigne facultatem fecit Ordinariis, parochis communicabilem, etiam per habitualem

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. XX, pag. 543, et vói. XXI, pag. 696.

Subdelegationen!, qua, urgente mortis periculo, dispensare valeant cum iis qui iuxta leges civiles sunt coniuncti, aut alias in concubinatu vivunt, super impedimentis, excepto S. Presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Verum, cum non sit parvus numerus matrimoniorum mixtorum, quae, spretis Ecclesiae legibus, coram solo magistratu civili vel coram ministello quoque acatholico attentantur, neque raro eveniat ut pars catholica cum parte acatholica in concubinatu vivat, infrascriptus Ordinarius humillime rogat, ut facultas, parochis quoque, etiam per habitualem subdelegationem communicabilis, sibi benigne tribuatur, qua, urgente mortis periculo, super impedimento mixtae religionis dispensare valeat cum iis catholicis qui iuxta leges civiles vel coram ministello-quoque acatholico cum parte acatholica sunt coniuncti, aut alias cum parte acatholica in concubinatu vivunt.

Insuper idem Ordinarius humillime postulat facultatem, parochis quoque communicabilem, etiam per habitualem subdelegationem, qua, urgente mortis periculo, cumulare valeat indultum quod petitur, cum supramemorato indulto diei 20 Februarii 1888 et 1 Martii 1889, quando praeter impedimentum mixtae religionis alia adsunt impedimenta, de quibus supra, ut morituri in tanta temporis angustia in facie Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant. —Et Deus....

Feria V, loco IV, die 10 Decembris 1903.

SSmus D. N. Pius divina providentia Papa X in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, habita relatione suprascripti supplicis libelli necnon auditis Emorum Patrum suffragiis, benigne annuit pro gratia iuxta preces, exclusis tamen impedimentis de quibus in citatis decretis annorum 1888-1889, ac servatis servandis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. * S.

I. Can. MANCINI, **S.** ***R. et U. Inq. NoL***

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM prohibitionis librorum.

Feria VI die 3 Iunii 1904.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 3 Iunii 1904, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Ciro Alvi, S. Francesco d'Assisi. Romanzo. Milano-Palermo-Napoli 1903.

Albert Houtin, L'Américanisme. Paris 1904.

Anton Vogrinec, Nostra maxima culpa! Die bedrängte Lage der katholischen Kirche, deren Ursachen und Vorschläge zur Besserung. Wien und Leipzig 1904.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Carolus Denis et Michael Georgel, Decreto S. Congregationis, edito die 4 Decembris 1903, quo eorum quidam libri notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecerunt.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 3 Iunii 1904.

ANDREAS CARD. **STEINHUBER,** *Praefectus.*

L. & S.

Fr. THOMAS ESSER, **Ord. Praed.** ***a Secretis.***

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM

Dos sanctimonialis defunctae, nondum completo triennio votorum simplicium, cedit Monasterio.

Beatissime Pater,

P. Procurator generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ad pedes S. V. provolutus humiliter petit ut declarare dignetur :

An, quum quaedam sanctimonialis ex hac vita migret, nondum expleto triennio votorum simplicium, ad normam Decreti S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 3 Maii 1902 (1), dos in casu remanere debeat Monasterio, vel potius restituenda sit propinquis aut heredibus ab intestato eiusdem defunctae ?

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Emorum et Re vitiorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondendum censuit prout respondet:

« *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam».

Romae 26 Martii 1904.

D. CARD. FERRATA, ***Praefectus.***

L. & S.

PH. GIUSTINI, ***Secretarius.***

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXV, pag. 31. Per citatum Decretum, quod incipit *Perpensis temporum adiunctis* eliam ad moniales votorum solemnium, prout antea factum fuerat pro religiosis virorum familiis, extensa fuerunt vota simplicia triennalia solemnibus praemittenda. Praescriptiones autem quoad dotem continentur in capitibus X, XI et XIII, quae ita sonant : « Dos pro quolibet monasterio statuta tradenda est ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium. Professae votorum simplicium retinent *radicale* suorum bonorum dominium, de quo definitive disponere non poterunt, nisi intra duos menses proxime praecedentes professionem solemnem.... Omnino vero interdicta ipsis est eorumdem bonorum administratio, nec non quorumcumque reddituum erogatio atque usus.... Sorori professae votorum simplicium a monasterio discedenti sive ob votorum dispensationem a Sancta Sede Apostolica impetratane, sfve ob decretum dimissionis ut supra emissum, restituenda erit integra dos quoad sortem, «xclusis fructibus ».

TAURINEN.

IURISPATRONATUS

Species facti

Die 11 Decembris 1903.

Ioannes Baptista Gay testamento diei 25 maii tres quotidianas missarum cappellanias instituit, quae in ecclesia parochiali loci ***Volverá,*** dioecesis Taurinensis, celebrarentur. Quoad modum nominandi cappellanos haec statuit : « Electionem sacerdotum confert testator, cum desierit facultas nominandi in propria uxore, Francisco Amedeo Gay, filio sui consobrini defuncti Antonii, et in illius defectu nominatio transibit ad eius filios mares, servato tamen senioritatis ordine ; extincta autem masculina linea descendente a Francisco Gay, testator ius sacerdotes nominandi confert Priori ***pro tempore*** illius loci. Quod si post electiones, per mortem vel recessum alicuius nominati, ille, cui ius est nominandi, suo munere non fungatur, alium eligendo sacerdotem intra triginta dierum spatium, testator ei aufert ius in posterum nominandi, iubens illud ad alios devolvi, iuxta ordinem supra constitutum ; praefiniens illud ipso iure et facto ad Archiepiscopum Taurinensem ***pro tempore*** transire si ad Priorem ius nominandi iam devolutimi fuerit et electionis mora ab eodem dependeret, etc. ».

Electiones ad tres cappellanias regulariter semper a legitimis patronis, tempore quo in loco ***Volverá*** morabantur, peractae sunt. Sed cum illinc patroni abierint, cumque Iosephus Gay e vita migraverit, Parochus, nemine ex deseendentibus fundatoris comparente, ad cappellaniam iam diu vacantem, sacerdotem Peyron nominavit. De hac tamen electione, ut suo iuri prospiceret conquestus est Michael Gay, filius defuncti, sed postea eam confirmavit. Progressu vero temporis sacerdos Peyron cappellaniae renunciavit. Factum est igitur ut illam peteret sac. Stephanus Bonetto, qui cum non potuisset eam obtinere ab Archiepiscopo Taurinensi,

Ioannem Gay, Mediolani commorantem, quem seniorem inter patronos putabat, de eadem rogavit. Patronus eum ad cappellaniam nominavit, sed huius possessionem electus recipere nequit, Priore obsistente utpote qui electionem invalidam existimaret. Quapropter sacerdos Bonetto instantiam obtulit Curiae Taurinensi, quae die 22 maii 1902 hanc protulit sententiam : « ius nominandi ad cappellaniam Gay, loci ***Volverá,*** transiisse ad Archiepiscopum Taurinensem ***pro tempore*** iam a die 15 novembris 1896, ac proinde omnes electiones tum a patronis tum a Priore infra illud tempus peractas nullitati subiectas esse ». Huius sententiae praecipua ratio haec erat, quod nempe post triginta dies a vacatione cappellaniae ius nominandi, iuxta tabulas fundationis, ad Archiepiscopum transierat.

Sed Curiae Archiepiscopalis iudicio non acquievit sacerdos Bonetto, atque die 11 decembris 1903 apud S. Sedem interposuit appellationem, quae hodie proponitur sub duobus infrascriptis dubiis resolvenda.

Allegationes Actoris

Actoris advocatus contendit sententiam Curiae Taurinensis infirmandam esse in casu; quod pluribus argumentis demonstrat.

Et in primis animadvertit non unum tantum ex tabulis fundationis sed omnes filios et successores Francisci Gay ius habere nominandi sacerdotes ad cappellanias de quibus fit quaestio, et solummodo per extinctionem masculinae lineae hoc ius ad Priorem et in eius defectu et substitutione ad Archiepiscopum Taurinensem transire. Cum igitur cappellaniae, ad quam sacerdos Bonetto nominatus est, quinque patroni adhuc existant in diversis Italiae locis commorantes, deducit advocatus perperam Curiam Taurinensem asseruisse iuspatronatus ad Archiepiscopum devolutum esse.

Deinde gradum facit ad demonstrandum ex successoribus fundatoris Ioannem Gay, utpote seniorem, cappellaniae

controversae verum esse patronum, suumque ius non amisisse, eo quod sacerdotem Bonetto ad vacantem cappellaniam tempore utili non nominaverit. Tempus enim, ait orator, non a reali vacatione beneficii, sed a die qua patronus vacationem cognovit, decurrere incipit : « Semestre autem tempus non a tempore vacationis praebendarum, sed notitiae ipsius potius volumus computari » *(L. III Decr. tit. 8., De concess. praeb. cap. V quia divers.).* — Quae vacationis notitia vera, certa et concludens, non praesumptiva esse debet : « Tempus ad praesentandum non currit patronis nisi a die scientiae seu habitae notitiae vacationis. Et quidem dictum tempus currit solum a die scientiae verae, certae, nec sufficit dubia . . ita ut probatio scientiae debeat esse vera et concludens, nec praesumptiva sufficiat *(Ferraris, v. Iuspatronatus, art. 4,* **n.** *39 et 40) ».*

Quod affirmandum est, pergit advocatus, tum quoad tempus utile a iure concessum, tum etiam quoad tempus a fundatore statutum, et vacationem beneficii patronus exquirere non tenetur: « Similiter etiam *(Garcia de Benef. p. 10, c. II, n. 34)* patronis tempus datum ad praesentandum sive a iure sive a fundatore currit non a die vacationis, ut tenuit Rota *(Decis. 1, De iurepatr. in antiquis).* . . . sed a die notitiae vacationis; *(Rota decis. 7 praebend. in antiquis)* . . . . Rochus *de quaest. 27,* qui cum Abbate in cap. *Nos quidem de testant,* recte ait : hoc esse verum etiamsi testator mandas.set praesentationem esse faciendam infra quatuor menses a die mortis vel vacationis, quia debet intelligi et suppleri, et a die notitiae ; et Lapo supra, quod requiritur scientia vera non interpretativa. . . . et quod quamvis Ordinario, qui visitare debet et perquirere, imputetur negligentia si nesciat beneficium vacasse, cum de facto vacat, tamen patronus non debet censeri negligens, si ignorat vacationem, etiamsi notam in loco (a fortiori quando alibi moratur) vel Ecclesia beneficii eius iurisdictioni non subiectis, quia id investigare non tenebatur. Et quod praesentatio debet praesumi facta tempore debito, nisi ex adverso

scientia patroni probatur. Cuius scientiae tempus probandum est, cum sit de substantia ».

Hisce positis infert orator non amisisse patronum ius praesentandi ad cappellaniam vacantem. Nulla enim vacationis notitia eidem data est, nulla vacationis publicatio facta est a Curia Taurinensi, nullaque resignatio in manus patroni a cappellano Peyron, uti ex tabulis fundationis fieri debebat. Quapropter negligentia patroni, qui longe morabatur, in iudicium adduci nequit, iuxta illud 1. c. « investigare non tenebatur. . . . non debet censeri negligens. . . . quia praesumitur ignorantia ubi scientia non probatur ». Praesumptio vero stat pro patrono. Hinc est quod etiam iuxta De Angelis «. . . . ne allegetur ignorantia in dioecesibus receptum est, ut publico edicto Episcopus notificet vacationem beneficii et edoceat patronos, ut si velint procedant ad praesentationem intra tempus a iure statutum ».

Denique contendit advocatus tum Priorem loci ***Volverá*** tum Curiam Taurinensem nullum ius habere sacerdotes nominandi ad cappellanias de quibus agitur ; et exinde deducit nullam esse sententiam Curiae Archiepiscopalis. Etiamsi enim, per hypothesim, a iurepatronatus deciderit Ioannes Gay tamen hoc ius ad compatronos transire debuit et, his negligentibus, ad eorum filios. Sed nemo ex descendentibus Fundatoris in iudicium vocatus est. Praeterquamquod etsi omnes negligentes in praesentatione fuerint, illa tantum vice ius nominandi d evolutum habetur ad Priorem et in eius defectu vel substitutione ad Archiepiscopum, hac tamen ratione ut exinde ad patronum seniorem per novam vacationem redeat.

Quoad vero secundam partem tractationis, an nempe sacerdoti Bonetto competat actio contra Priorem, adnotat orator praesentem instantiam ipsum Bonetto in prima sede iurisdictionis praesentasse, cui nulla a Iudice super incompetentiam actoris exceptio facta est. Quinimmo praedictus sacerdos contra sententiam Curiae Archiepiscopalis Taurinensis apud hanc Sacram Congregationem appellationem inter-

posuit, quae statim absque ulla contraria difficultate a iudicibus recepta fuit. Cum igitur cappellanus iam a quatuor annis nominatus a patrono legitime fuerit, quoadusque contrarium non probetur, in legitima et iuridica cappellaniae possessione existit, sibique fundamentale principium invocare potest « melior est conditio possidentis ». Quamobrem inchoaerentia secundi dubii, quod contendentes inter se concordarunt, ex seipsa clarescit.

Allegationes Prioris

Ex adverso advocatus Prioris contendit sententiam Curiae Taurinensis confirmandam esse in casu. Et in primis se refert ad tabulas fundationis, ex quibus constat - per voluntatem ipsius testatoris - descendentes ex Amedeo Gay ita ad exercitium activum patronatus vocari iuxta ordinem senioritatis, ut in eorum defectu Parochus loci *Volverá* substituatur. Porro incontroversum habetur, ait orator, quod per clausulam testamentariam tempus utile nominandi intra spatium 30 dierum comprehenditur, quibus elapsis, ius nominandi perpetuo amittitur, ita tamen ut ad alios successores transeat usque ad Priorem, et illo negligente, ad Archiepiscopum Taurinensem. Cum igitur a. 1892 cappellata, de qua agitur, duobus annis vacaverit, patroni, ut'potè negligentes, ad sensum tabulae fundationis perpetuo amoveri debent a iure in posterum nominandi. Cumque a. 1896 per vacationem eiusdem cappellaniae Prior loci nominationem tempore utili non fecerit, ius nominandi censeri debet ad Archiepiscopum Taurinensem perpetuo devolutum.

Deinde asserit advocatus ignorantiam patroni simulationem esse, qua ipse conatur tabulas fundationis circumvenit. Qui enim ignorantiam adducit, illam probare tenetur quando agitur de factis publicis et notoriis « ignorantia non praesumitur ubi aliquid est publicum et notorium » *(Rota coram Cerro, 10 iunii 1641 p. IX, t. 1, d. 80, n. 14).*

At frustra ignorantiam vacationis cappellaniae probarent in casu patroni. Inverosimilis enim illa ignorantia clarissime apparet ex patronorum frequentia in locum *Volverá,* ubi semper patroni Priorem invisebant, a quo proinde publice et persaepe a iurepatronatus sese excussos audierunt, et nominationem cappellanorum iam esse peractam. Iamvero quando inverosimilis vacationis ignorantia ex pluribus circumstantiis probatur, non amplius licet illam in medium adducere ad tempus utile sibi semper faciendum, ut exinde patroni, quo velint tempore, cappellaniae vacanti sacerdotes designent. Docet enim S. Rota: « Conclusio quod tempus currit a die notitiae, non procedit quando ignorantia est inverosimilis. *(Coram Marquemantio, Lucana iurisp. 22 iunii 1611, p. HI, d. 377, n. 3J ».*

Recolit praeterea advocatus sacerdotem Bonetto amicum esse affinemque patroni Ioannis G-ay; qua affinitate et amicitia posita, intelligi nequit quomodo actor ab Archiepiscopo primum cappellaniam quaesiverit, cumque a Curia ei denegatum fuerit petitum beneficium, deinde ad patronum ipse confugerit. Ex hac agendi ratione, qua scilicet sacerdos Bonetto de facto in Archiepiscopum devolutum ius nominandi agnovit, Prioris advocatus deducit dubitandum non esse quin patronus a suo iure deciderit, cum non propter ignorantiam, quae nequit in casu praesumi, sed ob suam negligentiam ius nominandi non exercuerit.

Demum ad secundam quaestionem animadvertit orator nullimode posse sacerdoti Bonetto actionem concedi adversus Priorem Capello. Etiamsi enim admitteretur quod iuxta tabulas fundationis negligens patronus ius praesentandi amittat absque praeiudicio successorum, certum tamen remanet, in praesenti vacatione, patronos Gay, nunc existentes, ius non exercuisse intra spatium a lege statutum; ac proinde in praesenti vacatione, nullum amplius ius possidere nominandi sacerdotes. Igitur praesentatio sacerdotis Bonetto invalida est iuridice habenda, cumque officium cappellani ei nullimode tribui possit, nullam administrationis rationem ei

reddere tenetur Prior Capello, neque partem ullam in interpretatione testamenti habere debet sacerdos Bonetto.

Sint igitur

Dubia

I. *An sententia Curiae Archiepiscopalis Taurinensis sit confirmanda vel infirmanda in casui*

II. *Et quatenus affirmative ad secundum, an sacerdoti Bonetto competat actio adversus R num Priorem Capello in casu?*

Resolutio

Emi Patres haec dederunt responsa :

Ad I. *Infirmandum esse sententiam.*

Ad II. *Provisum in primo.*

EX S. G. DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

Erigitur Praefectura Apostolica de Schikoku, et Ordini Praedicatorum committitur.

Cum in comitiis generalibus die 18 huiusce vertentis mensis celebratis Eminentissimi ac Reverendissimi S. Congregationis Propagandae Fidei Patres examen instituissent super opportunitate cedendi RR. PP. Dominicanis insulam, Schikoku nuncupatam, nunc sub iurisdictione Reverendissimi Domini Episcopi Osakensis in Iaponia existentem; cumque de pleno consensu sive R. P. D. Iulii Chatron dictae Dioeceseos Antistitis, sive eorumdem Patrum Dominicanorum omnino constaret : praelaudati Eminentissimi Patres supremo animarum bono con sulere cupientes, memoratam Insulam de Schikoku a dioecesi Osakensi fore seiungendam, et in Apostolicam Praefecturam rite erectam, Reverendorum Patrum Dominicanorum curis committendam esse unanimiter decreverunt.

Quam quidem Eminentissimorum Patrum sententiam, Sanctissimo Domino nostro Pio divina provvidentia PP. X a Reverendissimo Domino Aloisio Veccia, huius S. Congregationis

Secretario, in audientia diei 19 vertentis mensis ianuarii relatam, Sanctitas Sua ratam in omnibus habere atque adprobare dignata est, ac praesens in re Decretum confici iussit.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 27 ianuarii anno 1904.

Fr. H. M. GOTTI, ***Praefectus.***

L. * S.

ALOISIUS VECCIA, ***Secretarius.***

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DECRETUM de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione.

Ut debita sollicitudine missarum manualium,celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum obliviones vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel maiores esse adhibendas, ut piae fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa Emi S. C. Patres semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quae SSmus D. N. Pius PP. X accurate perpendit, probavit^ vulgarique iussit, prout sequitur.

Declarat in primis Sacra Congregatio manuales missas praesenti decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat.

Pariter inter manuales missas accenseri illas, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla Ecclesia sunt constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et

ideo aut de iure aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat.

Iamvero de his omnibus S. G. decernit: I°. neminem posse plus missarum quaerere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano, aut Praelato regulari.

2°. Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum.

3°. Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut maiorem missarum numerum sponte sua tribuant.

4°. Cum in decreto *Vigilanti* diei 25 mensis Maii 1893 (1) statutum fuerit « ut in posterum omnes et singuli ubique lo-« eorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut « utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive eccle-« siastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae « reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum »; ad tollendas ambiguitates Emi Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis praefinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent: pro missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis praescriptionibus praecedentis articuli pro minori missarum numero, aut diversa voluntate offerentium.

Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum quae tum in hoc articulo, tum in praecedentibus statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5°. Qui exuberantem missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatorum vo-

ti) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. XXVI, pag. 36.

luntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevivis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus.

6°. Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia r eie vari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequuti; adeo ut si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur.

7°. Ordinarii dioecesani missas, quas ex praecedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet « missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi « subiectos, qui eis indigere noverint; alias deinde aut S. Sedi, « aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdoti- « bus extra-dioecesanis dummodo sibi noti sint omnique ex- « ceptione maiores », firma semper regula art. 6 de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint.

8\ Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit aut scienter tradendo missas ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrahit, in poenas infra statutas inCurret.

9°. Iuxta ea quae in superiore articulo constituta sunt decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, numquam separari posse a missae celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui,* sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10°. Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat.

11°. Item sine nova et speciali S. Sedis venia, (quae non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12°. Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspênsioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos ; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservata obstringetur.

13°. Et cum in const. *Apostolicae Sedis* (1) statutum sit excommunicationem latae sententiae Summo Pontifici reservatae subiacere « colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, « et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi « missarum stipendia minoris pretii esse solent » S. G. declarat, huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum.

14°. Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope missarum iam initae usque ad exitum anni a quo institu-

ti) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. V, pag. 287.

tae sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta reductionis-eleemosynae missarum, quae in beneficium Sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15°. Denique quod spectat missas beneficiis adnexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero in paroeciis aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quae tribuitur, non aliam esse debere quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 Iulii 1874 (1) et *Hildesien.* 21 Ianuarii 1898.

In *Monacen,* enim « attento quod eleemosynae missarum « quorumdam legatorum pro parte locum tenerent congruae « parochialis, Eiiii Patres censuerunt licitum esse parocho, si « per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti com- « mittere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis « lectis sive cantatis ». Et in *Hildesien,* declaratum est, « in le- « gatis missarum aliqua in ecclesia fundatis retineri posse fa- « vore ministrorum et ecclesiarum inserviendum eam redituum « portionem quae in limine fundationis, vel alio legitimo modo, « ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali praestando « pro legati adimplemento ».

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo manuales missae quae a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione praesentis decreti: quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari iubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex S. Congregatione Concilii die 11 Maii 1904.

f VINCENTIUS CARD. EP. PRAENESTINUS, ***Praefectus.***

C. DE LAI, ***Secretarius.***

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. VIII, pag. 65. - Super eleemosynis missarum.

FRIBURGEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Species facti

Die 23 Ianuarii 1904.

Guilelmus Molitor dioecesis Friburgensis, S. Theologiae studio vacans et cupiens ad sacros ordines promoveri, per suum Archiepiscopum petiit dispensationem ab irregularitatibus ex infamia iuris et ex defectu lenitatis. Orator enim « studiis iuris civilis in Universitate Heidelbergensi incumbens, mensuris seu duellis fortasse viginti quatuor adspectator et quadraginta testis et cooperans non solum aderat, sed etiam decem perpetravit. In quibus omnibus mensuris semper duellantes usque ad sanguinis effusionem vulnerabantur, et ipse orator semel adversarium gravi vulnere in capite affecit, et altera vice, cum orator cooperaretur, unus ex duellantibus grave vulnus unius oculi excepit. Vulnera ab oratore accepta quatuor cicatrices in ore adhuc reliquerunt, sed non tam graves ut deformitatem corporis efficiant vel populus iis scandalizetur ».

Archiepiscopus insuper significavit quod « iuvenis ille minime censendus est iracundiae habitualiter deditus, lenis immo et mitis potius dicendus est indolis, qui tamen insanae illi consuetudini in Universitatibus (Germaniae praesertim) vigenti morem gessit, qua corporationibus quibusdam academicis adscripti cum corporationum aliarum alumnis mensuras (quas vocant) honoris vel gloriationis causa inire coguntur; quinimo dictis unionibus nullo modo amplius adhaerens, errata sua agnoscens et vere poenitens pro dispensatione super irregularitate enixe commendatur ».

Rationes contrariae

Oratoris preces non esse excipiendas plura videntur suadere. In primis obstat specialis natura criminis, quod est

gravissimum : duellantes enim eorumque complices nedum sunt perpetuo infames iuxta Trid. Conc. *(Sess. 25, cap. 19, de Refor.)* sed etiam incurrunt excommunicationem R. P. reservatam, et sepultura ecclesiastica privantur. Neminem profecto latent Constitutiones Pontificiae ad haec crimina reprimenda editae, quales sunt Gregorii XIII *Ad tollendum,* Clementis VIII *Illius vices,* Benedicti XIV *Detestabilem,* necnon Leonis XIII *Pastoralis officii.*

Quin obiiciatur quod hae poenae applicari tantum debeant duellis stricte sumptis, in quibus nempe adhibentur arma lethalia, et adsit mortis periculum, non autem duellis quae geruntur in Germania inter Universitatum ephebos in quibus haec extrema exulant; siquidem haec aequiparata sunt quoad s. ordinationem, uti eruitur ex resolutione Sacrae C. C. in *Wratislavien. - Irregularitatis,* diei 9 aug. 1890,. in qua ad dubium : « *An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur quando duellum ea ratione committitur* qua his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu »,* responsum fuit: « *Affirmative a duellantibus eorumque patrinis ex infamia iuris».* (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXIII, ,p. 234).

Praeterea orator in ore adhuc retinet patratorum criminum signa, quae quamvis tam gravia non sint « ut deformitatem corporis efficiant vel populus iis scandalizetur »; tamen propter criminosam suam originem quandam admirationem in populo semper excitant.

Nec praetereundum est iuvenem Molitor pluries praefati criminis reum existere. Et quamvis auctores inter se non conveniant in statuendo utrum quis plures irregularitates eiusdem speciei incurrat ex iisdem repetitis criminibus (Lega *De iudic, eccl., tom. III, pag. 298),* tamen non videtur ambigendum, quod haec circumstantia difficiliorem gratiae concessionem reddat.

Rationes favorabiles

Ex altera vero parte subiiciendam est, quod quamvis mos vigens in Germania huiusmodi duella peragendi sit omnino reprobandus, tamen si quis huius criminis reus ad meliorem frugem postea reversus militiae ecclesiasticae dare nomen cupiat, ex benignitate ecclesiae iustis de causis ab hoc impedimento cum ipso dispensari solet, uti ex praxi H. S. Congregationis liquet. Causae autem iustae et congruae in themate ad gratiam Oratori elargiendam deesse non videntur. Et inprimis, uti Archiepiscopus testatur, duella commisit orator, non ex quadam animi feritate et perversitate, sed potius secutus morem quamvis damnandum aliorum condiscipulorum ; eoque magis quod eiusmodi duella in studiosorum opinione censentur tamquam palaestra ad vires ostendendas destinata.

Deinde Orator monitus de criminis gravitate, a studiosorum corporationibus in quibus praefata duella peragi solent penitus recessit, errata sua deflevit et indubia dedit poenitentiae signa.

Neque est timendum ex gratiae concessione scandalum et admirationem inter fideles exoriri ; siquidem, ut ait Episcopus ^Vratislaviensis in supracitata causa « duellum, uti hisce temporibus inter Universitatis studiosos committitur, ludus potius temerarius vitaeque perieulo carens quam res magni momenti existimatur ».

Demum Oratoris voto annuendum videtur nedum ob praeclaras ipsius qualitates sive quoad scientiam sive quoad mores, sed etiam ob defectum sacerdotum in dioecesi Friburgensi, et ob favorabile Archiepiscopi testimonium, qui una simul cum oratore dispensationem implorat « cum Archidioecesis Friburgensis adhuc penuria sacerdotum laboret et studiosus praenominatus quoad mores et scientiam laude dignus sit ».

Resolutio

Emi Patres, omnibus rationibus hinc inde perpensis, rescribendum duxerunt :

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia dispensationis, dummodo non adsit scandalum, super quo oneratur Archiepiscopi conscientia, praevia salutari poenitentia, facto verbo cum SSmo.

BAREN.

IURIUM

Species facti

Die 23 Ianuarii 1904.

In oppido *Palo del Colle* extat ecclesia paroecialis sub titulo S. Mariae *La Porta,* caracterem habens ecclesiae receptitiae numeratae quae, praeter Archipresbyterum cum annua congrua 240 ducatorum, iuxta statuta constai triginta participantibus annua congrua fruentibus due. 50 si maiores, et 40 si minores. Editis a. 1866 et 1867 legibus italicis assis ecclesiastici eversivis, etiam haec ecclesia gubernii direptioni obnoxia fuit; ex fundis ecclesiae collegialis tantummodo parte pro congrua parocho assignata, necnon statuta pensione, vita naturali durante, pro reliquis portionariis. Successu temporis a. 1886 novi participantes adscribi coeperunt ecclesiae , et defunctos substituendo quodammodo collegii vitam prorogarunt, inter se dividentes adventitia emolumenta associationum funebrium et aliorum functionum, non excluso Archipresbytero, qui in associationibus praesente cadavere habet duplam portionem sive per se interveniat sive per delegatum participantem.

Occasione perceptionis horum emolumentorum quaedam ortae sunt quaestiones inter Archipresbyterum et nonnullos participantes, quarum prima est an Archipresbyter sit

subiciendus legi punctaturae, quando actu non incumbit exercitio curae animarum ; secunda an in funeribus, cum Archipresbyter non intervenit personaliter, praeter duplam eidem debitam, solvenda sit portio etiam participanti, qui eumdem repraesentat; tertia an in aliis sacris functionibus non funerariis, Archipresbyter ius habeat ad duplicem portionem, sive praesens sit sive absens, etiamsi absentia non excusetur ex actuali exercitio curae animarum. Delatis hisce controversiis ad Archiepiscopum, hic decreto diei 3 Septembris 1900 primas duas ita resolvit, ut parochus non esset punctandus, etiamsi absens actu non incumberet rebus paroeciae, necnon eius delegato participanti, praeter duplam pro parocho, etiam propria portio rependeretur ; tertia vero quaestio insoluta mansit.

Adversus hoc decretum portionarii ad H. S. Congregationem appellarunt, quaerentes praeterea an Archipresbyter, dum alii participantes solis adventitiis fruuntur, gaudere valeat triplici maiori praebenda quam illa a lege organica seu a *Piano* statuta, vel potius largiri debeat quod superest ex 240 ducatis congruae a *Piano* taxatis.

Allegationes portlonarlorum

Participantium advocatus contendit Archiepiscopale decretum diei 3 Sept. 1900 esse infirmandum, sive quoad exemptionem parochi a lege punctaturae quando absens in exercitio curae animarum non est occupatus,s ive quoad distributionem a parochi delegato, praeter duplam pro parocho absente, percipiendam.

Et quoad primum observat patronus consuetudinem, etiam immemorialem, in materia distributionum a iure esse reprobatami hoc enim liquet ex decreto Bonifacii VIII, *(Cap. unie, de der. non resid. in 6):* « Consuetudinem quae in quibusdam partibus (circa distributiones) inolevit.... penitus improbantes.... ». Quod decretum fuit a Conc. Trid. in specie confirmatum *(Sess. 24, cap. 12, de reform.)'.* « Distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiant; reli-

qui quavis collusione aut remissione exclusa, his careant iuxta Bonif. VIII decretum, quod incipit *Consuetudinem,* quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibus^ cumque statutis et constitutionibus ». Exinde Doctores concludunt huiusmodi consuetudinem tamquam iuris corruptelam extirpandam esse, quia improbatio legislatoris non solum efficit ut existens consuetudo tollatur, sed etiam impediatur quominus in futurum exoriri valeat. Card. De Luca, *(De can. et dignit., disc. 3, n. 3; et in adnot. ad Conc. Trid., disc. 1, n. 14).* Pitonius *(Discept, eccl. 23, n. 16)* et signanter Reiffenstuel *(Lib. 3, t. 4, n. 173):* « Quia ubi ius resistit consuetudini eamque penitus improbat, nempe ut irrationalem et iniquam, censetur sublata consuetudo non tantum praeterita, verum et futura immo et immemorialis ». Imo Barbosa *(De can. et dign., cap. 22, n. 22)* tradit « nec totum capitulum per consuetudinem concedere posse ut absens lucretur distributiones quotidianas, etiamsi per momentum duraverit absentia ». Et Fagnanus *(Cap. licet, de praebendis, n. 80)* docet distributiones illegitime absentibus neque valere concedi a statutis Capituli etiamsi ab immemorabili observatis. Quod confirmatur a iurisprudentia H. S. C, uti in *Anagnina - Distrib., 27 Feb. 1744; Derthonen. - Constit. Capit., 12 Sept. 1829; Turritana-Distrib. 14 Dec. 1839,* etc. (Cfr. Pallottini, v. *Distributiones quotidianae).*

Cum itaque allegata consuetudo in iure sustineri nequeat, id fortius in themate tenendum esse contendit patronus, quia non agitur de distributionibus quotidianis sed inter praesentes, ad quas lucrandas non sufficit praesentia notitia. Card. De Luca *(De Can. et cap., disc. 16, n. 3)* habet : « Altera est species distributionum vere quotidianarum ac minutarum, quae in dies praestantur pro servitio ac labore mere personali, ut frequentius sunt illae, quae obtinentur pro exequiis, vel associatione cadaveris cum similibus iuxta locorum consuetudinem ; et tunc extra principium dubitandi est istas nullatenus per non interessentes iusteque impeditus praetendi posse ». Idem docet Scarfanto-

nius *(Lucub. can., vol. 1, lib. 2, tit. 10, animad, n. 1 ad 8),* qui insuper ait pro his lucrandis ab absentibus nullam admitti posse consuetudinem.

Sed et insuper invocata ab Archiepiscopo consuetudo in facto, iuxta advocatum, non existit. Sane iuxta art. 16 Instructionis Episcoporum diei 18 Nov. 1822 disponitur, quod in partitione mulctarum parochus non sit excludendum; ergo implicite videtur ipse inclusus etiam in earumdem solutione. Item in successivo ministeriali decreto diei 30 Apr. 1830 cavetur, parochos rigorose non esse muletandos sed id relinqui prudenti Ordinarii arbitrio: ergo parochi ex decreto Ordinarii punctaturae subiecti esse possunt. Et reapse Archiepiscopus Barensis an. 1889 hoc decrevit, quando ratam habuit Capitularem resolutionem, vi cuius parochus declarabatur punctaturae obnoxius, quando actu non incumberet curae animarum. Hinc in libris punctaturae habetur propria columna pro parocho et de facto quinquies a. 1892, septies a. 1893 et quinquies a. 1894 fallentes obnoxius fuit.

Quoad alteram quaestionem decreti Archiepiscopalis, advocatus defendit, praeter duplam Parochi, eiusdem delegato nullam portionem deberi, quia hic nequit etiam seipsum repraesentare ad suam portionem acquirendam. Ratio enim substituendi ea lege regitur ut qui alium in choro substituit, ipse eodem choro non adstringatur, uti eruitur ex resolutione H. S. C. in *Eugubina, diei 15 Dec. 1605.* Quare Benedictus XIV *(Inst. eccl. 108, n. 17)* ponit conditionem: « Ne substitutus ipse ad chorum venire teneatur illis diebus quibus in locum alterius sufficitur ». At in praesenti casu funerum sacerdotes participantes omnes et singuli invitati sunt ad interessendum, ideoque unus alium substituere nequit.

Praeterea orator sustinet privilegium Archipresbyteri dupla portione non extendi ad functiones non funerarias. Sive enim inspiciatur art. 19 Instructionis Episcoporum et successivum decretum ministeriale a. 1827, sive attendatur

resolutio Capitularis eiusdem anni, evidens est legem taxative tantum loqui de associationibus funerariis praesente cadavere. Inutile autem perfugium quaeritur in consuetudine, quae ex supra traditis in materia distributionum non attenditur; et dein obstat resolutio H. S. C. in causa *Amalphitana-Iurium Praebendalium, 27 Maii 1889.*

Demum circa applicationem H- S. C. decreti « *Ad dirimendas* », diei 22 Febr. 1876, praenotat advocatus inconcussum principium esse omnia patrata a legibus italicis eversivis in damnum proprietatis ecclesiasticae ceu irrita habenda esse; hinc in facie ecclesiae clerum receptitium Pali, utut bona massae communis a Fisco fuerint direpta, tamen adhuc eorum proprietatem retinere. Praefatum decretum ab H. S. C. sub dubiorum formulis editum ita se habet :

Dubium VI. « An et quomodo parochus de Capituli vel « Cleri gremio qui bona massae comunis accepit a Fisco « sub titulo congruae parochialis, teneatur eadem bona in « massam iterum immittere.

Responsum. « Generatim loquendo affirmative, in pra« etica tamen executione curet Episcopus rem componere, « secus recurrat ad S. C. ».

Dubium VII. « An parochus ius habeat omnes eorum« dem bonorum reditus percipiendi, seu potius an et quo« modo teneatur ipsos reditus dividere cum aliis capitulari« bus et participantibus ».

Responsum. « Negative ad 1 partem, ad 2 affirmative, « ita tamen ut ex comuni massa parocho persolvatur annua « portio haud minor ea quantitate, quam ante bonorum dire« ptionem percipiebat. Quod si ob decrescentem in dies ca« nonicorum numerum, reditus massae comunis Capitulari« bus distribuendi, post persolutam integram parochi quo« tam, excederint portionem quas singuli percipere ante « praedictam bonorum direptionem consueverunt, huiusmodi « excessus distribuendus iterum erit, servata debita propor« tione parochum inter et alios Capitulares ».

Dubium VIII. « An eadem norma, quoad bona parocho « tradita eorumque reditus, servanda sit tum pro eccle- « siis Cathedralibus, tum pro Collegiatis et Receptitiis ».

Responsum. « Affirmative ».

Iam vero ex una parte pacificum est dicta bona fuisse detracta a massa communi Cleri, ad quem antea spectabat eorum administratio et proprietas ; ex altera vero parte reditus ex hisce bonis Parocho a Fisco assignati longe exsuperant quotam eidem competentem. Nam Archipresbyter loco lib. 1020 plus minusve lib. 3000, dum e contra quisque pòrtionarius tantum lib. 300 annuatim percipit. Unde concludit advocatus aequum esse ut concordia iniretur, uti factum fuit in citata ***Amalphitana*** ad tramitem decreti ***Ad dirimendas*** « ita ut ex massa communi parocho assignetur portio haud inferior ea quam ante direptionem bonorum percipiebat; et quod superest inter canonicos dividatur excluso parocho, ita tamen ut singuli canonici percipere nequeant quotam annuam maiorem ea quam ante eamdem bonorum direptionem percipere consueverunt. Si vero facta hac distributione, adhuc aliquid supersit, hoc inter parochum et canonicos, debita servata proportione, est distribuendum ».

Allegationes Archipresbyteri

Ex adverso patrocinator parochi enucleat inprimis naturam ecclesiae receptitiae, quae iuxta Breve « ***Impensa*** » institutae sunt, atque a fidelium pietate dotatae, ut clerus adscriptus suppetias ferret parocho et ecclesiae. Hinc parochus non primus inter pares sed vere pastor et superior censendus est, dum participantes improprie canonici nuncupari debent. Hisce praehabitis, patronus quoad primam decreti Archiepiscopalis partem dicit parochum, ex quacumque causa curam animarum attingente absentem, reputari fictione iuris praesentem ad effectum lucrandi quotidianas distributiones. Conc. Trid. ***(Sess. 22, c. 3),*** Bened. XIV ***(Inst. eccl. 107, § 56),*** S. H. C. in ***Mediolanen., 9 Febr. 1609, Berthonen., 19 Sept. 1643,*** et praesertim in ***Pa-***

pien.-Distr ib., 28 Ian. 1882. Unde in casu absentiae ratione ministerii parochus est sui ipsius iudex et in eiusmodi indultis a S. O. apponi solet clausula « *onerata hac in re parochi conscientia* » uti constat ex citata *Papien.,* necnon in *F er entina* coram S. C. Episcop. et Regni., *diei 1 Martii 1861.* Atqui, arguit advocatus, si hoc valet pro parocho in Capitulo veri nominis, a fortiori valere debet pro parocho ecclesiae receptitiae, in qua parochus est superior; secus enim sequeretur quod inferior legem dicere posset suo superiori. Ergo praetensio nonnullorum ex participantibus Cleri loci Pali punctandi parochum, quando *actu* non est occupatus in cura animarum, est reiicienda.

Opposita autem decisio cleralis diei 19 Iunii 1889 ab Archiepiscopo Mazzella approbata taliter punctandi parochum, omisso quod parochus vere Cleri superior a decisione clerali astringi nequeat, intelligenda est de coadiutoribus parochi, qui sunt de gremio Cleri et qui sunt pares inter pares, quum ipsa edita fuerit, paroecia suo pastore viduata, ad compescendos abusus participantium curam animarum habentium. Quinimo quomodo praetensa punctatura parocho imponi poterat quando, ob beneficii vacationem, titularis paroeciae non aderat?

Deinde advocatus diluii obiectam attestationem Cancellarii Capitularis , in qua declaratur parochum aliquando fuisse punctaturae obnoxium, observando quod hoc verum est quoad proventus fixos, non autem quoad adventitiis, uti Missas votivas, processiones et adsociationes fúnebres.

Quoad alteram vero decreti partem patronus sustinet participant delegato Archipresbyteri propriam portionem spectare, ultra duplam parocho absenti debitam. In hypothesi enim adversariorum, etiam paulisper seposito consuetudinis argumento parocho faventis, admittendum foret vel quod parochus unam partem suae duplae repraesentant! cedat, vel quod delegatus participans nihil recipiat. At in primo casu in tenues resolvitur auras privilegium ab art. 18 Instructionis Episcoporum a. 1822 concessum parocho absenti

et legitime repraesentato in associatione funebri, ita ut parochus minus consequeretur quam simplex portionarius. In secundo autem casu haec repraesentatio evaderet impossibilis, quia nullus participans vellet parochi absentis vices gerere cum iactura propriae portionis.

Neque minus admitti posse, ait advocatus, parochum sive per se sive per alium ius non habere ad duplam in aliis functionibus adventitiis praeter associationes fúnebres; id enim verum esset inspecta lege, sed aliud obtinet ex iam introducta consuetudine. Sane si consuetudo a clero admittitur pro exclusione parochi a proventuum uxorum participatione, ex pari causa ea admitti debet, quando parocho compensative ius duplae tribuit in adventitiis functionibus.

Demum patrocinator sustinet applicationi decreti « *Ad dirimendas* » in themate locum fieri non posse. Ad hoc enim obtinendum tria essent demonstranda, nempe vel quod quota parocho assignata superaret quantitatem a statutis decretam, vel quod bona congruae nunc plus reddant naturaliter et non industrialiter, vel demum quod massa communis adhuc existat. At nullum ex his revinci potest : non primum quia in quotae parochialis designatione ea fundorum pars assignata fuit, quorum reditus aequarent summam ducatorum 240 ad normam antiquorum statutorum; non secundum, quia uti ex legalibus documentis liquet reditus nitidos paroeciae in praesens esse lib. 1198, non pinguiores vero si praesertim inspiciantur crescentes fidelium necessitates ; non tertium, quia ex confessione ipsorum adversariorum massa capitularis non amplius existit, quum praesentes reditus cleri receptitii sint adventitii et inter praesentes dividendi.

Modo sint sequentia

Dubia

I. *An confirmandum sit vel infirmandum Archiepiscopi decretum diei 3 Septembris, in casu?*

II. *An in sacris functionibus etiam non funerariis, Archi-*

presbytero ius competat ad duplam, sive praesens sit sive absens, etiam sine legitima causa, in casu?

III. *An Archipresbytero, titulo praebendae parochialis, ex bonis ei a Fisco assignatis, praeter summam ducatorum 240, alii reditus debeantur, in casu?*

Et quatenus: *Negative,*

IV. *An de reditibus, ultra summam debitam perceptis, ratio reddenda sit ab Archipresbytero, in casu?*

Resolutio

Emi Patres Cardinales, omnibus rite perpensis, respondendum mandarunt :

Ad 1. dubium, quoad exemptionem Archipresbyteri a punctatura confirmandum decretum cum declaratione, ut parochus praesens habeatur quoties curae animarum incumbit, onerata super hoc eius conscientia ; infirmandum quoad alteram partem.

Ad 2. serventur consuetudines legitimae praescriptae, ita tamen ut parochus praesens habeatur quoties curae animarum incumbit, onerata super hoc eius conscientia.

Ad 3. et 4. Ad mentem. Mens est ut conservato Archipresbytero in possessione et administratione bonorum, eidem imponatur pensio 100 libellarum favore participantium; salvo iure providendi pro aliqua aequa pensione in nova beneficii provisione.

Colliges

1. Parochis, praeter legitimas absentiae causas praebendatis communes, alia a iure conceditur nempe exercitium curae animarum; super quo tamen eorum conscientia oneratur.
2. In materia distributionum quaelibet contraria consuetudo, etiam immemorialis, a iure penitus reprobatur.
3. Hinc Doctores inferunt hac in re sublatam esse quam-

cumque contrariam consuetudinem non solum praeteritam, verum etiam futuram immemorialem.

4. Quod recte intelligendum est de distributionibus quotidianis, quae officium chorale respiciunt, non autem de distributionibus adventitiis, quae cum chori servitio nexum non habent.

5. Quapropter quoad distributiones ad venti tias admittuntur legitimae consuetudines ; Cfr. Vecchiotti, *Inst. Can., vol. 1, c. VIII,* necnon S. C. C. *Isernien. - Distributionum,* 13 Iunii 1885. In casu autem non satis probatur existere consuetudinem, quae parochum semper eximat a punctatura in distributionibus incertis.

6. Substitutiones a iure concessae generatim ab iis implendae sunt, qui ad eundem officium non tenentur; unde substitutus propriam pecuniam substituenti satisfacere debet, qui etiam extraneus clero participant! potest esse. In themate proinde portionarius delegatus, praeter personam parochi, nequit seipsum repraesentare ad suam portionem acquirendam.

7. Parochus legitime absens duplam portionem accipere potest tantum in functionibus funerari is praesente cadavere, non autem in aliis functionibus adventitiis, nisi extet contraria consuetudo, uti in casu.

8. Decretum « *Ad dirimendas* » valet tum pro ecclesiis Cathedralibus tum pro Collegiatis et Recepti ti is. Hinc parochus ad rigorem iuris teneretur bona a Fisco accepta pro congrua parochiali immittere in massam communem, quae datis sub normis inter alios quoque Capitulares est dividenda; in praxi tamen potius iuxta aequitatis leges proceditur, ut factum est in casu.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

CENETEN.

Dubia de ritu servando quoad exequias super Stratum, quoad epistolae cantum deficiente lectore et quoad Communionis distributionem.

R. D. Victorinus Costa, cui concredita est Paroecia loci *Victor* nuncupati, intra fines Dioeceseos Ceneten., de consensu sui Riiii Episcopi, sequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum:

I. In dicta Paroecia omnibus feriis sextis per annum impeditis de more, celebratur Missa cum cantu pro defunctis, et postea celebrans, deposita casula et manipulo, sine pluviali et absque incensatione, peragit exequias super Stratum; quaeritur: Rectene id fit? et quatenus negative, debet celebrans induere pluviale et incensare?

II. In Missis cum cantu absque ministris deficiente lectore, qui epistolam canat, potest vel debet celebrans eam canere?

III. Sacerdos celebraturus potest paratus cum casula distribuere Communionem fidelibus ante Missam, et postea ad aliud altare pergere ad Missam celebrandam ? et quatenus negative, potest indutus alba et stola Eucharistiam distribuere, et inde, assumpta casula, pergere ad celebrandum in alio altari?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam iuxta Rubricas Missalis *de Ritu Absolutionis* et Decretum N° 3108 *Sancti Marci,* 7 Septembris 1861 ad IV.

Ad II. Servetur Rubrica Missalis *(Ritus servandus* tit. VI N. 8) et Decretum N° 3350, *Lisbonen.,* 23 Aprilis 1875.

Ad III. Servetur Decretum N° 2740 *Tridentina,* 12 Martii 1836 ad XI.

Atque ita rescripsit, die 5 Martii 1904.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Dubia circa facultatem adhibendi Kalendarium Romanum Seraphicum.

Hodiernus Rmus Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, annuente supremo eiusdem Ordinis Moderatore, ut •omnis removeatur ambigendi causa, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. Utrum facultas adhibendi Kalendarium Romano-Seraphicum, a Summo Pontifice Pio VI per Bullam *Religiosos Ordines* sub die 6 Septembris anno 1785, facta « Monialibus.... Tertii Ordinis S. Francisci.... aliisque.... quae vel sint Instituti connexionem aliquam seu coniunctionem in sui origine aut progressu cum Ordine Minorum habentis... necnon personis Tertii Status », competat iam, non solum Tertiariis utriusque sexus divinum quotidie recitantibus Officium, sed etiam Tertiariis Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolventibus; atque in horum Ecclesiis et Oratoriis?

II. Utrum licentia adhibendi Kalendarium Romano-Seraphicum, concessa per memoratam superius Bullam ab eodem Pio VI « personis Tertii Status tertii Ordinis S. Francisci choro non obligatis » intelligenda sit dumtaxat de Sacerdotibus in privato Oratorio celebrantibus, vel nullius Ecclesiae servitio -canonice addictis; an etiam de Sacerdotibus Tertiariis alicui Ecclesiae sive simplici sive Parochiali canonice mancipatis?

III. Et quatenus *Affirmative* ad secundam praecedentis •dubii partem: num iidem Sacerdotes Tertiarii alicui Ecclesiae canonice adiuncti, in festis Patroni Principalis, Tituli ac Dedicationis Ecclesiae tam propriae quam cathedralis, necnon quibus diebus debent Missam applicare pro populo, teneantur in Officio ac Missa sequi Kalendarium Dioecesis, prouti Fratres Primi Ordinis: ac deinde recurrente iuxta Kalendarium Minoriticum aliquo Officio secundum Ordinem Dioecesanum iam recitato, utrum se conformare possint Kalendario Romano-Seraphico: an vero habita ratione huiusmodi Officiorum de praecepto, debeant, prouti fit in primo Ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque diligenter perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « *Affirmative* ».

Ad II. « *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam quoad sacras functiones in Ecclesia ».

Ad III. « Ad primam partem *Affirmative;* ad secundam partem : *Negative* quoad primam quaestionem, et *Affirmative* quoad secundam ».

Atque ita rescripsit. Die 15 Aprilis 1904.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. *B S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius**

BELLICEN.

Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Vianney,. Parochi Vici Ars.

SUPER DUBIO

« An, stante approbatione duorum miraculorum. Tuto *procedi possit ad solemnem eiusdem Ven. Servi Dei Beatificationem ».*

E sacerdotalis ordinis viris, quorum *laus in Ecclesia Dei est,* plures pastorali ministerio sanctissime functi ac saluberrime, tam insigni fama claruerunt, tam alta sui vestigia signarunt,. ut in memoria et in ore populi adhuc quasi vivi versentur. Quominus autem hi lucerent *quasi lucernae ardentes in caliginoso loco* non obfuit aut humilis ipsorum atque abdita vita, aut circumscriptus eorundem industriae et alacritati campus, aut studia partium furoresque civiles, aut invidia aemulorurm aut prava iudicia insectanctium quidquid religioni benevertat.

Talem scilicet pastorem admirata Gallia est superiore saeculo, Ioannem Baptistam Vianney, exigui quidem gregis ducem ac magistrum, sed aequantem animo magnitudinem Apostoli. Is, media in illa caligine, quam turbulentissimae tempestates induxerant, vere iubar extitit longe lateque diffusum, quo ducti lumine fideles turmatim ac per annorum seriem haud mediocrem, ad Vicum Ars vel ab remotissimis locis confluxerunt. Erat enim in Venerabili Dei Servo cum singulari vitae sanctimonia et gravitate coniuncta mira suavitas, qua paene

innumerabiles omnis ordinis et conditionis homines allecti, facile ipso usi sunt et indefesso poenitentiae ministro et magistro pietatis prudentissime. Concionator assiduus, fervidus, caelestium rerum contemplationi semper intentus, .castigato? sui corporis acerrimus, de se humillime sentiens, egenis, pupillis, afflictis perfugium atque solatium, curae suae concreditos filios *paoit in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos* (Ps. LXXVII, 72).

Harum fama virtutum post Ven. Servi Dei obitum confirmata, non modo diuturnis peregrinationibus ad sepulcrum eius gloriosum, sed variis etiam prodigiis, causa iterum agitata est riteque instituta actio super duobus miraculis, quo de utroque Sanctissimus D. N. Pius Papa X constare decrevit nono Cal. Martias hoc ineunte anno (1).

Unum supererai, iuxta sacri huius Fori statuta, ut inquireretur, utrum Beatorum Caelitum honores Venerabili Dei Servo ioanni Baptistae Vianney *Tuto* decerni possent. Itaque in coetu universo sacrae huius Congregationis, habito coram Sanctissimo Domino Nostro octavo Idus Martias huius anni Rmus Cardinalis Franciscus Desideratus Mathieu discutiendum dubium proposuit: « *An, stante approbatione duorum miraculorum,* Tuto *procedi possit ad solemnem huius Venerabilis Servi Dei Beatificationem* ». Omnes qui aderant, quum Rmi Cardinales, tum huius S. Rituum Congregationis Patres Consultores, latis suffragiis, unanimi consensu *Tuto* procedi posse affirmarunt; Sanctissimus vero Pater supremum iudicium suum distulit in alium diem, admonuitque ut in re tanti momenti supernum lumen implorarent.

Tandem hodierna die Dominica II post Pascha, qua Christus in evangelio exhibetur exemplar et forma boni Pastoris *qui animam suam dat pro ovibus suis,* Beatissimus Pater, sacro devotissime peracto, Vaticani nobiliorem aulam ingressus et pontificio solio assidens, ad Se accivit Rîîios Cardinales Seraphinum Cretoni S. R. Congregationi Praefectum, eiusve loco et vice Aloisium Tripepi ipsius S. R. C. Pro-Praefectum et Franciscum Desideratum Mathieu Causae Relatorem una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus rite pronunciavit: « Tuto *procedi*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXVI, p. 621.

posse ad solemnem Venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae Vianney Beatificationem ».

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, eWn acta SS.RR. Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus in patriarchali Basilica Vaticana ubi primum licuerit celebrandis expediri iussit decimoquinto- Cal. Maias an. MDCCCCIV.

S. CARD. **CRETONI,** ***Praefectus.***

L. © S.

f D, PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret***

ABYSSINEN.

Decretum Beatificationis seu declarationis Martyrii Ven. Servorum Dei Agathangelî Vendomensis et Cassiani Nannetensis, ex Ordine Franciscanum Capulatorum, in odium catholicae Religionis a schismaticis interfectorum.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur ».

Qui asperrimo vitae genere atque incruento quodam probati martyrio christianae perfectionis consilia in coenobio sectantur, dum inimicis Crucis Christi videri solent inutiles, iidem saepenumero in proximorum salutem sui sanguinis prodigi reperiuntur. Qui, si nihil aliud efficerent quam ut eloquentia, factorum suaeque exemplo fortitudinis communem socordiam moresque depravatos arguèrent, iam vel hoc ipso de causa religionis et humanitatis essent optime meriti. Hoc laudis genere Franciscales Capulati florent, quorum et sacrae expeditiones aequant historiae molem, et effusus late cruor iuge semen est christianorum. Ex ea Familia martyrum album habet etiam scripta nomina Agathangeli et Cassiani, qui, ob catholicae Fidei testimonium, in Aethiopia mortem crudelissimam oppetierunt

Ven. Dei Servus Agathangelus, in paterna domo Franciscus Nurry, Vendome in Urbe Galliae ortus est die XXXI mensis Iulii a. MDXCVIII. Eo nondum bilustri, Nanneti prodiit in lucem, die XV mensis Ianuarii an. MDGVII, futurus illi in apo-

stolam et in passione socius, Consallus Vas Lopez Netto, cui postea nomen Cassianus. Uterque claris piissimisque parentibus usi sunt, non ad rem sibi gloriamque ampliflcandam, sed ad maturanda consilia sanctitatis. Docti ab infantia timere Deum et ab omni culpa abstinere, late pervadentis corruptionis esse potuerunt expertes, Tobiaeque similes, *eum irent omnes ad vítulos áureos, ipsi pergebant soli in Hierusalem ad templum Domini* (Tob. I, 5). Quae morum innocentia utrumque disposuit ad perfectioris vitae institutum amplectendum in Familia Capulatorum Franciscalium, qui iam tunc in Gallia, ut novis erroribus sese opponerent, versabantur.

In eo domicilio virtutis, aucti sacerdotio ac doctrina, qua pares forent errantium saluti procurandae, sacrarum expeditionum atque martyrii desiderio flagrare coeperunt. Quem quidem gloriosum exitum parum abfuit ut praeoccuparet Cassianus, grassante pestis contagio in urbe Rhedonensi; sed non obiit martyr caritatis qui Fidei martyr erat moriturus. Itaque, ut convaluit, in Aegyptum missus est, deinde Cairum, ubi Agathangelum invenit, annum iam ibi commorantem sacrisque illis expeditionibus praepositum. Inde simul Aleppum profecti sunt, ubi et ad catholicos in fide retinendus et ad Coptos praesertim in unitatem revocandos ñervos omnes adhibuerunt.

Interim, quum rescivissent atrox in Aethiopia flagrare odium in catholicum nomen, eo se contulerunt, incommodis obiecti plurimis, maxime vero *periculis in falsis fratribus.* Nam, opera lutherani cuiusdam hominis va ferrimi in suspicionem adductus episcopus Abyssinus, quocum antea Venerabiles Dei Servi coniunctissime ' egerant, edictum provocavit, quo catholici viri religiosi comprehenderentur omnes, quicumque in Aethiopiam pedem inferrent. Qua comminatione ipsi nimirum petiti Agáthangèlus atque Cassianus, ignari perfidiae, vix ingressi Dibauriam, illico vinculis obstricti proiiciuntur in carcerem. Inde in urbem Goudar, ad quadrupedum caudas alligati, usque ad locum suppliai trahuntur. Ubi postquam flexis genibus Deo gratias egerunt exuti vestibus ad truncos appensi sunt, suismet iugulandi funibus; quorum crassitudine remorante mortem, ingenti lapidum iactu petiti eorumque obruti acervo, invictas animas Deo reddiderunt die VII mensis Augusti an. MDCXXXVIII.

Innocentem horum sanguinem multa signa sunt prosequuta, inter quae praesertim, ipso martyrii vespere distinctae visae

luces e lapidum rimis, quibus iacebant sepulta corpora, prodeuntes, seque in unum veluti ardentis columnae corpus attollentes. Neque corusca illa saxa muta fuerunt, quorum in conspectu plures illico sunt ad catholicam veritatem conversi, deprecantibus profecto etiam post obitum sanctis martyribus Eum, *qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae.* His de causis factum est, ut de utriusque religiosi viri martyrio institueretur actio, et canonicae inquisitiones auctoritate primum ordinaria, deinde Apostolica fierent. Quibus peractis habitisque legitimis, de Summi Pontificis Pii Papae X venia, peculiari Purpuratorum Patrum et S. R. Congregationis Praesulum Officialium coetui res est commissa, qui suam sententiam proferrent. Quo in coetu, habito die XXII Martii hoc labente a. MDCCCCIV Rmus Cardinalis Dominicus Ferrata causae Relator dubium ad discutiendum proposuit « *An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur* »; et quotquot aderant Reviîii Cardinales et PP. Consultores, latis suffragiis, constare censuerunt. Nihilominus SSmus Dnus, auditis omnibus, quae a Rmo Dno Cardinali Aloisio Tripepi S. R. C. Pro-Praefecto ad Ipsum relata sunt, a supremo iudicio abstinendum duxit, superni luminis opem in re tam gravi imploraturus.

Tandem hac die XVII Aprili eademque Dominica II post Pascha, titulo *Boni Pastoris,* idem SSmus Dominus, Sacris pientissime operatus ad se arcessivit Rmos Cardinales Seraphinum Cretoni S. R. Congregationi Praefectum eiusve loco et vice Aloisium Tripepi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata Causae Relatorem una cum S. Fidei Promotore Alexandro Verde meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter pronunciavit : *Ita constare de martyrio eiusque causa, itemque de signis, seu miraculis, martyrium ipsum illustrantibus (n casu et ad effectum de quo agitur ut procedi possit ad ulteriora ».*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta SS. RR. Congregationis referri iussit decimo quinto Cal. Maias a. MDCCCCIV.

S. CARD. CRETONI, ***Praefectus.***

L. © S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secret.***

RHEMEN.

De modo genufiectendi a canonicis, celebrante et ceroferariis in transitu ante altare post consecrationem SS. Specierum.

Hodiernus Canonicus caeremoniarum magister ecclesiae metropolitanae Rhemensis, de consensu sui Rrfri Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione, humillime proposuit, videlicet :

I. Utrum Canonici, ante altare in quo Missa celebratur transeuntes a consecratione usque ad communionem, genuflexionem duplicem nempe utroque genu efficere debeant, an genu dexterum tantum usque in terram flectere?

II. Utrum idem modus genufiectendi servari etiam debeat a quolibet sacerdote qui, sive ad altare procedit Missam celebraturus, sive redit celebrata Missa, transit ante aliud altare in quo tunc Missa celebratur et est inter consecrationem et communionem ?

III. Utrum eodem modo genuflectere debeant ceroferarii qui ab altari discedunt post consecrationem, cum intorticia in sacrestiam referunt et cum statim ad loca sua prope altare redeunt?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Negative* et serventur Rubricae *De ritu celebrandi,* tit. II, n. 1.

Ad III. Genuflectant unico genu.

Atque ita rescripsit, die 20 Maii 1904.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. # S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

DIARIUM

Feria IH, die 10 mensis Maii anno 1904, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Sacrorum Rituum Congregatio generalis coram Sanctissimo, in Causis:

1. *Alerien. seu Papien.* - **Canonizationis Beati Alexandri Sauli, e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, Episcopi Aleriensis et postea Papiensis. -** *Super dubio:* **« An stante approbatione duorum miraculorum** *Tuto* **procedi possit ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem ».**
2. *Abyssinen.* - **Beatificationis seu declarationis Martyrii V. Servorum Dei Agathangeli Vendomensis et Cassiani Nannetensis, ex Ordine Franciscanum Capulatorum a schismaticis in odium catholicae religionis interfectorum. -** *Super dubio:* **« An, stante approbatione Martyrii eiusque Causae, ita constet de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus, ut** *Tuto* **procedi possit ad ulteriora ».**
3. *Romana.* - **Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Gasparis Del Bufalo, Canonici Basilicae S. Marci de Urbe, Institutoris Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. -** *Super dubio :* **« An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur ».**

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt Reami Patres Consultores Theologi, et Mihi ac Revmi Domini Consultores Praelati, necnon Emi ac Rmi Dñi Cardinales S. R. C. Praepositi.

Feria III, die 17 Maii anno 1904, in Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Congregatio SS. Rituum Ordinaria Rotalis, in qua infrascriptae Causae discussae fuerunt, nimirum :

1. *Meliten.* - **Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Adeodatae Pisani, monialis professae Ordinis S. Benedicti in Monasterio S. Petri civitatis Melitensis. -** *Super dubio:* **« An constet de validitate et relevantia Processus, Apostolica Auctoritate constructi in Dioecesi Meliten., super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere**

praefatae Ven. Servae Dei, in casu et ad effectum de quo agitur? »

2. ***Bruxellen. seu Mechlinien.*** **- Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sororis Annae a Iesu, sanctimonialis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum et Fundatricis Monasteriorum dicti Ordinis in Belgio. -** ***Super dubio :*** **« An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum; testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata, in casu et ad effectum de quo agitur ? »**

3. ***Baiocen.*** **- Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Eudes, Missionarii Apostolici, Institutoris Congregationis Iesu et Mariae et Ord. B. M. V. de Charitate. -** ***Super dubio :*** **« An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate constructorum super assertis miraculis praefato Ven. Servo Dei tributis; testes sint rite ac recte examinati, ac iura producta legitime compulsata, in casu et ad effectum de quo agitur ? »**

4. ***Abyssinen.*** **- Beatificationis seu declarationis Martyrii VV. Servorum Dei Apollinaris de Almeida, Episcopi Nicaeni, Hyacintho Franceschi, Francisci Ruiz, Abrahami de Georgiis, Gasparis Paez, Ioannis Pereira, Ludovici Cardeira et Brunonis Bruni, sacerdotum Societatis Iesu in odium catholicae fidei interemptorum. -** ***Super dubio :*** **« An sententia lata ab Illino et Rmo D. Patriarcha Aethiopiae super Cultu VV. Servis Dei nunquam exhibito, seu super paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur ? »**

5. ***Romana.*** **- Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Iosephi M. Pignatelli, Sacerdotis professi Societatis Iesu. -** ***Super dubio:*** **« An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum; testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata, in casu et ad effectum de quo agitur ? »**

6. ***Vicen.*** **- Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Antonii Mariae Claret Archiep. S. Iacobi de Cuba deinde Traianopolitani, fundatoris Congreg. Miss. Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. -** ***Super dubio:*** **« An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate constructi, in Curia Vicen., super fama sanctitatis vitae, virtutum et mi-**

raculorum in genere praefati Ven. Servi Dei, in casu et ad effectum de quo agitur? »

Illmus ac Revmus S. Rituum Congregationis Secretarius nonnullis editoribus, qui sibi declarari postularunt quonam veritatis fundamento innitatur evulgata notitia de proxima Breviarii Romani immutatione, sequens dedit responsum:

«Ut quibusdam petitionibus de supposita Breviarii Romani emendatione fiat satis, subscriptus Sacrae Rituum Congregationis Secretarius, etiam scripto, declarare opportunum ducit, Summum Pontificem nihil hucusque hac de re statuisse; an et quando aliquid statuet, ab hac Sacra Congregatione ignoratur ».

Romae, 21 Aprilis 1904.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

URBIS ET ORBIS

Indulgentiae largiuntur explentibus pium exercitium *Nuvendialium a gratia* in honorem S. Francisci Xaverii.

Abhinc tribus fere saeculis Christifideles ad S. Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum praedicatione et miraculis insignem confidenter confugere consueverunt devoto praesertim exercitio, quod propter magnam in praesentibus vitae necessitatibus compertam efficaciam « *Novendiales a gratia* » appellare non dubitarunt. Ad quod pium exercitium magis fovendum Summi Pontifices indulgentias sive partiales sive plenarias iam pridem elargiti sunt, quae tamen ad quasdam regiones et praecipue ad ecclesias Societatis Iesu coarctabantur. Nunc vero, quo uberiores ex his novendialibus precibus pietatis fructus colligantur, SSiho Dno Nostro Pio PP. X preces

sunt exhibitae, ut easdem, ubivis peractas, sacris indulgentiis ditare dignaretur. Has vero preces idem SSmus, in Audientia habita die 23 Martii 1904 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, peramanter excipiens, universis Cristifldelibus memoratum exercitium quovis anni tempore sive publice sive privatim peragentibus, sequentes indulgentias, defunctis quoque applicabiles, bis tantum in anno acquirendas, concedere dignatus est; nempe: I° tercentum dierum quovis earundem novendialium die lucrandam ab iis, qui vel subsequentem orationem vel, si illam ad manum non habeant, quinquies *Pater, Ave* et *Gloria Patri* etc., corde saltem contrito ac devote recitaverint; 2° plenariam autem iis, qui post huiusmodi pium expletum exercitium infra octo dies confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.

ORATIO QUOLIBET NOVENDIALIUM DIE RECITANDA

« O valde amabilis et charitate plenus, Sancte Francisce « Xaveri, tecum Maiestatem Divinam reverenter adoro; et quo- « niam summopere gaudeo de singularibus gratiae donis, quae « Ipsa tibi contulit in hac vita, et gloriae post mortem, Ei ma- « ximas ago gratias, teque toto cordis affectu deprecor, ut effi- « caci tua intercessione praecipuam mihi gratiam velis obtinere « sanctam vitam agendi sancteque monendi. Insuper te rogo, « ut mihi impetres.... *(hic exprimatur gratia sive spiritualis sive « temporalis implorando).* Si vero id, quod a te suppliciter peto, « ad Dei gloriam et ad maius bonum animae meae minime con- « fert, tu, quaeso, mihi impetres quod utrique est utilius. Amen. « *Pater, Ave* et *Gloria Patri* etc. »

Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 23 Martii 1904.

A. CARD. **TRIPEPI, *Praefectus.***

L. * S.

Pro Secretario
I. M. Can. COSELLI, ***Substitutus.***

URBIS ET ORBIS

Indulgentiae conceduntur recitantibus invocationem *Tota pulchra* in honorem B. Mariae V. Immaculatae.

Ex quo Immaculati Beatae Mariae Virginis Conceptus a f. r. Pio IX dogmatica definitio solemniter proclamata fuit, ardens efferbuit in Christifidelibus studium prosequendi singularibus pietatis argumentis Beatissimam Virginem absque originali labe conceptam. Ad id vero studium hoc anno vertente, qui quinquagesimus advenit ab illa solemni definitione, impensius augendum, utque tam auspicatissimi Iubilaei perennis aliqua extet memoria, enixae plurium Sacrorum Antistitum, Religiosorum Ordinum Moderatorum, necnon Christifidelium postulationes SSmo Dno Nostro Pio PP. X delatae sunt, ut sacro indulgentiarum thesauro ditare dignaretur infrascriptas invocationes, quae apud christianum populum in honorem eiusdem Immaculatae Virginis iam frequentatissimae evaserunt, videlicet :

f. Tota pulchra es, Maria.
R). Tota pulchra es, Maria.
f. Et macula originalis non est in Te.
R). Et macula originalis non est in Te.
f. Tu gloria Ierusalem.
R). Tu laetitia Israel.
f. Tu honorificentia populi nostri.
R). Tu advocata peccatorum.
f. O Maria.
R). O Maria.
f. Virgo prudentissime.
R). Mater clementissima.
f. Ora pro nobis.
R). Intercede pro nobis ad Dominum Iesum Christum.

f. *In conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti,*
R). *Ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti.*

ORATIO

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus; ut qui ex morte

eiusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem etc.

Porro Sanctitas Sua, quae maxime in votis habet, ut erga Deiparam honor et pietas apud omnes succrescant, huiusmodi postulationibus libentissime annuens, in Audientia habita die 23 Martii 1904 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne concessit universis Christifidelibus : I. Indulgentiam tercentum dierum, semel in die acquirendam, supra relatas invocationes corde saltem contrito ac devote recitantibus: II. Plenariam ab iisdem lucrandam diebus festis Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis, et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, si memoratis diebus easdem preces devote recitaverint, simulque sacramentali confessione rite expiati sacraque Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel publicum sacellum adiverint, ibique ad eiusdem Sanctitatis Suae mentem pias ad Deum preces effuderint. Quas indulgentias idem Sanctissimus defunctis quoque applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 23 Martii 1904.

A. CARD. **TRIPEPI,** ***Praefectus.***

L. ^ S.

Pro Secretario

I. M. Can. COSELLI, ***Substitutus.***

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

NICASTREN.

De paupertatis determinatione pro dispensationibus matrimonialibus in Italia.

Episcopus Nicastrensis petit ut sibi certa norma indigitetur quae, inter tot Auctorum sententias, tenenda est in determinando statu paupertatis vel fere paupertatis Oratorum pro matrimonialibus dispensationibus.

Et Deus etc.

Sacra Poenitentiaria ad praemissa respondet: « Donec aliud a S. Sede non statuatur, standum decreto Benedicti XIV, dato per S. Congregationem S. Officii feria V die 25 Septembris 1754, iuxta quod, in ordine ad dispensationes matrimoniales pauperes in Italia censendi sunt tum qui ex labore et industria tantum vivunt, tum qui aliqua possident bona, sed non ultra summam scutatorum romanorum 300 in capitali (idest libellarum 1612, 50). Fere pauperes autem ibidem ii dicendi sunt, quorum bona non excedunt in capitali summam scutatorum mille (idest libellarum 5735), a quibus tamen fere pauperibus modicum taxae augmentum exigi solet ».

Datum in S. Poenitentiaria, die 20 Ianuarii 1904.

ALEXANDER **C** ARC ANI, ***Regens.***

L. & S.

I. PALICA, ***Secretarius.***

ACTA SANCTAE SEDIS

SSMUS D. N. PIUS PP. X

NOSTRAS EPHEMERIDES « *ACTA S. SEDIS* » AUTHENTICAS ET OFFICIALES APOSTOLICAE SEDIS ACTIS PUBLICE EVULGANDIS DECLARAVIT.

Beatissime Pater,

Romanae ephemerides, quibus titulus « *Acta Sanctae Sedis* », primo in lucem prodierunt anno MDCGCLXV cura et studio viri clarissimi Petri Avanzini presbyteri urbani qui eas utilitati cessit Pontificii Seminarii SS. Apostolorum Petri et Pauli pro Clericis praecipue italis ad sacras missiones inter infideles instituendis, cuius ipsemet, adprobante ac largiter auxiliante Summo Pontifice fel. rec. Pio IX, haud ita pridem fundamenta iecerat.

Quamvis autem laudatus presbyter in primordiis dictarum ephemeridum delarasset nulla publica auctoritate illas fulciri, actaque in illis relata nullam aliam sibi fidem auctoritatemque vindicare praeter eam quae tribui iisdem solet cum in privatis auctorum operibus reperiuntur; nihilominus ephemerides, de quibus est sermo, eo statim favore ubique fuerunt exceptae, ut brevi ab omnibus fere Europae aliarumque regionum dioecesibus ceu tutior Romanae Curiae Decisionum collectio habitae fuerint. Quod quidem tum Seminario supradicto, tum etiam sacris missionibus ipsi a Sacra Congregatione de Propaganda Fide concreditis, emolumento fuit.

Porro ut hae ephemerides, ceteris eiusdem generis antiquiores, latius etiam propagentur ac magis acceptae lectoribus, Seminario autem SS. Apostolorum s Petri et Pauli eiusque sacris missionibus utiliores fiant, Seminarii

eiusdem Moderatores ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti instanter petunt, ut Sanctitas Tua ephemerides ipsas pro Actis Sanctae Sedis publice evulgandis authenticas et officiales declarare benigne dignetur.

Quod etc.

Ex Audientia. SS.mi habita die 23 Maii 1904.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia Papa X, referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Cardinali Praefecto, precibus benigne annuens, memoratas ephemerides authenticas et officiales Apostolicae Sedis Actis publice evulgandis declaravit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno praedictis.

L. 28 S. F. H. M. Card. GOTTI, Praefectus.

Quamplurimas gratias Tibi agimus, Beatissime Pater, quod Ephemerides « *Acia Sanctae Sedis* » nostris curis concreditas authenticas et officiales declaraveris. Hoc tuum erga nos peculiaris benevolentiae pignus quanto nos honore quantaque laetitia affecerit haud facile potest imaginari, cum nobis compertum sit eo magis hac Pontificia declaratione Ephemerides in bonum totius christianae societatis ac nostri Seminarii eiusque Missionum incrementum et emolumentum redundare, quo maior necessitas urget Acta Apostolicae Sedis per universum orbem Apostolica quoque Auctoritate divulgentur. Laetissimi igitur de nostro opere perficiendo, quammaxime studebimus ut sapientia Tua, qua Romanae Sedis Oracula coruscant, magis magisque innotescat, nixi praesertim Apostolicae Tuae Benedictioni, quam pro nobis ac pro omnibus ipsarum Ephemeridum lectoribus instanter petimus.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE

ad Emum Urbis Vicarium, quibus clerici et sacerdotes omnes studiorum causa Romam petentes, Seminaria vel Collegia ecclesiastica ingredi praecipiuntur.

EMINENTISSIMO
PETRO CARD. RESPIGHI
VICARIO GENERALI DIOECESIS ROMANAE

(Versio)

(1)

Omnium instauratio in Christo, quam Deo favente in Ecclesiae regimine Nobis proposuimus, ut pluries iam indigitavimus, rectam Cleri institutionem requirit, vocationum nempe probationem, de integritate vitae aspirantium examen, necnon diligentiam ne Sanctuarii ostium nimia facilitate eis adaperiatur. Ad regnum Iesu Christi in mundo instaurandum nihil admodum necessarium est quam Cleri sanctitas, ut ipse exemplo, verbo atque scientia sit fidelibus norma, qui, iuxta antiquum adagium, semper erunt quales sunt sacerdotes : *sicut sacerdos, sic populus.*

Revera S. Concilium Tridentinum nos docet : *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum cita et exemplum, qui se divino ministerio dedicaverant ; quum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur* (Sess. XXII, cap. 1, de Reform.). Ex quo clara exurgit necessitas quod in sortem Domini vocati a primis usque annis non tantummodo ad illam pietatem ac doctrinam, qua sal terrae et lux mundi fiant, sint instructi, sed in Seminariis sub vigilanti observantia ac sedula disciplina sanctitatem vitae meditaverint eamque in praxim tradiderint. In Seminariis siquidem tenerae plantae aluntur quae, cum arbores effectae sint, uberes ferent fructus ; in Seminariis operarii, qui vineam Domini excolere debebunt, praeparantur, et demum

(i) Textus italicus prostat in praecedenti fasciculo, pag. **655.**

magnanimi milites exercentur ad divina praelia strenue dimicanda.

Iure meritoque igitur Tridentini Patres post Sessionem (XXIII, cap. 18, de Reform.) in qua huiusmodi ecclesiastica tyrocinia instituere decreverunt, sancta repleti laetitia sibi invicem gratulati sunt, dicentes quod, si Tridentinum Concilium nihil aliud praeter hoc statuisset, nec de eius diuturnitate nec de gravibus difficultatibus ac poenis toleratis conqueri debuissent.

Modo Nos Deo gratias agamus oportet, quum sollertia et magnanimitate Nostrorum Praedecessorum ven. mem. Urbs Nostra optimis floreat Seminariis et Collegiis non tantum pro Dioecesis necessitate sed et pro omnibus fere Nationibus; quapropter spes imo et certitudo affulget ut huiusmodi alumni per universum orbem diffusi pietate et scientia allaturi sint fructus benedictionis.

Interea convicti ac suasi eos, qui ad Sacerdotium tendunt^ in Seminariis necessario institui ut vocatio ecclesiastico statui conservetur atque excolatur, necnon ut verae vocationes a Superioribus, qui bonum testimonium, priusquam super ipsos aspirantes imponantur manus, reddere tenentur, melius dignosci queant; suasi omnes veram foventes vocationem nihil magis optare quam huiusmodi ingredi diversoria, ubi caelestibus Spiritus Sancti charismatibus, ad quam missionem divinitus sunt vocati, disponantur (et qui aliter sentit de suae vocationis veritate et sinceritate dubitari sinit); voto quod omnes, qui ad Sacerdotium vocatos se esse credunt, inde a primis annis, si possibile esset, haec pietatis studiique hospitia ingrediantur, plene confirmantes quae Tu, Eminentissime Domine, hisce tribus posterioribus annis, ad rem disposuisti per litteras circulares ad Rmos Italiae Ordinarios missas, haec insuper statuendi decrevimus L

I° Omnes Clerici Dioecesis Romanae, quemadmodum ex variis Italiae Dioecesibus studiorum causa a suis Revmis Ordinariis Romam missi, in aliquo Seminario aut Collegio ecclesiastico convictores sint oportet.

2r Ut, quo fieri potest, iis Dioecesis Romanae aspirantibus provideatur, qui mercedem solvere non poterunt, loca gratuita Seminarii Romani studentibus Theologiae in dicta conditione positis reservata volumus, ac tantummodo, aspirantibus Theologis deficientibus, studentes Lycei iisdem gau-

dere posse. Volumus praeterea ad huiusmodi loca studentes quoque origine non Romanos nominari posse, dummodo ratione domicilii ad hanc Dioecesim pertineant.

3° Sacerdotes, qui ad petitionem suorum Episcoporum ex Italiae Dioecesibus Romam venient, sive ut perficiantur in Philosophia et Theologia, sive ut scholis iuris canonici et civilis adscribantur in ecclesiasticis Institutis, sive pro studiis Universitatis, sive etiam pro praxi in Sacris Congregationibus Romanis, quoddam Seminarium aut Collegium ecclesiasticum veluti alumni ingredi debebunt.

4° Studentes exteri, una cum litteris suorum Revmorum Ordinariorum commendatitiis, in Collegiis respectivarum Nationum, quibus deficientibus, in alio Collegio ecclesiastico locum sibi parare tenebuntur.

5° Vi harum dispositionum in Collegiis Urbis saecularibus, quamvis sub ecclesiasticorum regimine, recipi nequeunt Clerici et Sacerdotes ad munus praefectorum exercendum. Dolorem parit quod dicta Collegia privari debeant iuvenibus studentibus, qui ecclesiastico habitu huiusmodi officio funguntur; at huic necessitati, cui tempore opportuno singulorum Institutorum Directores providere poterunt, quae in spiritu ecclesiastico illos iuvenes efformandi Seminariorum disciplina praeferenda est.

ß° In nullo Seminario vel Collegio ecclesiastico Urbis uti alumnus recipi poterit, nisi qui sui Ordinarii petitionem exhibeat, qui, studiis expletis, aut quum aliis de causis Superiores existimaren! eum dimittendum esse, in sua Dioecesi eumdem recipere sese obliget. Citatae petitiones a Nostro Vicariatu recognoscendae erunt.

7° Universitates Gregoriana et Minervae, Seminaria Romanum et Vaticanum et Collegium de Propaganda Fide veluti ordinarium auditorem ad lectiones admittere nequibunt Clericum aut Sacerdotem quin probationem in scriptis, quod sit alicuius Seminarii vel Collegii ecclesiastici convictor, praeferat. Pro Sacerdotibus Romanis licentia in scriptis huius Vicariatus requiratur. Hae dispositiones robur obtinent etiam pro ecclesiasticis praxim in Romanis Congregationibus exercere cupientibus.

S" Qui quartum Theologiae annum non expleverit, eiusque specimen non exhibuerit, et per tres annos in aliquo Seminario

vel Collegio ecclesiastico alumnus non fuerit, ad Presbyteratum non poterit promoveri.

Has dispositiones, Eminentissime Domine, congruo tempore Tibi communicamus, ut Tuo illuminato zelo pro Nostrae Dioeceseos regimine, anno scholastico proxime adventurp scrupulosam earum observantiam praecipias et invigiles, non obstante quacumque consuetudine aut privilegio in contrarium. Et Tibi Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Ex Aedibus Vaticanis in festo S. Pii V, anno 1904.

PIUS PP. X

LITTERAE

ad Revmum Wilpert ob praeclarum Opus editum « *Le Pitture delle Catacombe Romane* ».

PIUS PP. X

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Praeclarum et sane grande opus a te nuperrime editum, cui titulus *Le Pitture delle Catacombe Romane*, in quo pictae imagines imorum specuum sive Catacumbarum romanarum mira quadam arte et ventate descriptae sunt, et via ac ratione collectae, cuius exemplar Nobis donasti, non parvo, dilecte fili, Nos affecit solatio, quod non solum tuum testatur in hanc Petri Sedem singulare studium, verum etiam quod Nos in certam spem adducit uberrimos optimosque fructus Christianae Reipublicae fore redditurum. Enimvero quum hoc opere, quod tibi quidem eximia christianarum antiquitatum dogmatumque scienita ut efficeres suasit, prisci Ecclesiae ritus, sacra publica et arcana, Christianorum consuetudo et vita aliaque complura quae catholicam fidem et disciplinam spectant, usque adhuc quasi delitescentia, tandem aliquando Orbi universo commode pateant, immortalitati tradantur, non est dubitandum quin qui haec viderint intellecturi sint quantopere honestissima ars pingendi iam a primis Ecclesiae temporibus per ipsos Christi sectatores floruerit; quanta cura et diligentia in picturis tuendis et conservandis Ecclesia, ingenua-rum artium studiosissima elabora verit ;

quanta religione et pietate primi Christiani divina et ecclesiastica praecepta institutaque coluerint. Ea igitur materies in promptu est, ex qua veritas catholica magis magisque colluceat, et se per se ipsa defendat, sensa fidei sponte sua excitentur, earumdem rerum agendarum et credendarum perpetuitas confirmetur, Christifideles ad meliora charismata aemulanda incendantur etiam ii qui catholicae Religionis sunt expertes, armis erroris depositis, admiratione et veneratione Romanae Ecclesiae capiantur. Quae omnia profecto non minus praesidio et utilitati Ecclesiae quam honori et gloriae tibi sunt, quippe qui hoc' opere, cui omnem tuam industriam, sedulitatem, ingenium et doctrinam dedisti, ad rem catholicam adiuvandam optime valueris. Quam ob rem Nos tibi libentissime, dilecte fili, et gratulamur et meritas laudes tribuimus, atque in pignus Nostrae paternae probationis et dilectionis Apostolicam Benedictionem, omen omnium gratiarum, tibi peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 24 Maii 1904, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

LITTERAE

quibus Pius PP. X gratulatur Comitatu i internationali pro monumento operario Leonis XIII.

AL DILETTO FIGLIO NOSTRO
DOMENICO DEL TITOLO DI S. PRISCA
DELLA S. R. C PRETE CARD. FERRATA
PROTETTORE DEL COMITATO INTERNAZIONALE
PEL MONUMENTO OPERAIO A LEONE XIII

ROMA

PIO PP. X

Diletto Figlio Nostro, salute ed Apostolica Benedizione.

Non paghi di tributare per Noi stessi, siccome non omettemmo di fare in molteplici atti del supremo Nostro ministero, alto omaggio di ossequio al venerato e non perituro nome del

Nostro predecessore Leone XIII, godiamo onorare di pubblico encomio anche quegli illustri e solerti Sodalizii, nei quali vive tuttora e nobilmente si afferma verso sì grande Pontefice la riconoscente memoria. Mentre quindi lieta e gioconda risuona tuttavia in quest'alma Città l'eco del rito solenne, onde le Associazioni Operaie cattoliche dedicarono non ha guari un monumento allo stesso Sommo Gerarca, Ci torna vivamente grato manifestare a lei, Signor Cardinale, e pel suo degno mezzo al Comitato Internazionale, autore del progetto, la particolare Nostra soddisfazione. Insigne ed onorata impresa, ed essa non iscevra di difficili cose, condussero con felice successo i cattolici Sodalizii: il mondo intero, con plaudente consentimento, lo attesta. Piace però a Noi prenderne speciale conforto, non pure per la rimembranza di Colui, al quale tanto ossequio si rese, ma eziandio perchè l'operaio cristiano, non meno caro al cuor Nostro che a quello di Leone, ha ben dimostrato in questo incontro quanto confortevole corrispondenza egli serbi ai Pontificii insegnamenti. Laonde alle menzionate Associazioni mandiamo ben volentieri una lode, e mentre peculiare oggetto di elogio facciamo la nobile persona del benemerito Presidente Generale del Comitato Internazionale, il signor Principe Marcantonio Colonna, coadiuvato egregiamente dai membri del Comitato medesimo, impartiamo con tutto l'animo a lei, ai membri del Comitato ed ai soci degli anzidetti Sodalizii l'Apostolica Benedizione (1).

Dato a Roma presso S. Pietro il giorno 17 giugno 1904, del Nostro Pontificato l'anno primo.

PIUS PP. X

(1) Cupiens insuper Pius PP. X signum Suae benevolentiae dare Comitatui internationali pro monumento operario Leonis XIII, per litteras Emi Card. Secretarii Status quae sequuntur statuit:

Pregiatissimo Signor Principe,

« Per coronare nobilmente l'egregia opera del Gomitato Internazionale pel « Monumento Operaio alla sa. me. di Leone XIII è piaciuto al S. Padre di manifestare in proposito l'alta Sua soddisfazione con un Pontificio autografo diretto « ed inviato all'Emo Signor Cardinale Domenico Ferrala, Protettore del Comitato « anzidetto, e di destinare al medesimo Comitato un Sovrano dono, il quale cresca « importanza ed attrattiva alla lotteria, che si è progettata allo scopo di far fronte « alle spese dei rimanenti lavori accessorii. Sua Santità si è inoltre degnala di

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. C. S. R. ET U. INQUISITIONIS

Dispensatur ab interpellatione paulina facienda propter amentiam sponsae infidelis.

Episcopus Burlingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter haec exponit :

G. U. 50 annorum natus, degens intra limites dioecesis supradicti Episcopi, matrimonium contraxit cum Berta S., dum in statu infidelitatis ambo existebant; ex quo matrimonio habiti sunt quatuor infantes adhuc viventes.

Post annos octo a tempore huius contractus, Bertha insaniae multa dedit indicia, ita ut amplius impossibile fuerit cum ea vitam coniugalem ducere, ac proinde in aliquo valetudinario ad hanc infirmitatem curandam custodiri tradita est.

« conferire la Groee di cavaliere di S. Gregorio Magno al Signor Annibale Monti « di Cremona, e quella dell'Ordine Piano al Signor Architetto Luigi Rosi di Roma, « dei quali il primo ha ben meritato questo onorevole premio per avere prestata « la gratuita opera sua nella scultura della statua; e l'altro non se ne è reso men « degno per avere concorso, egualmente con liberale opera, alla erezione del mo- « numenlo da esso idealo. Nella certezza, che ove siffatti attestali della Pontificia « benevolenza vengano rimessi al loro destino dall'Eccellenza Vostra, la quale nel « Comitato suddetto ha ricoperto l'alto ufficio di Presidente Generale, saranno essi « per riuscire anche di maggior pregio, mi onoro di fargliene l'invio, e colgo con « piacere questo incontro per riaffermarmi con sensi della più distinta considera- « zione.

Roma, 20 Giugno 1904.

Di Lei
Pregmo Signor Principe

devmo
R. MERRY DFX VAX »

A Sua Eccellenza
Signor D. Marcantonio Colonna
Principe Assistente al Soglio
Roma.

Post sex adhuc annos, cum nulla spes affulgeret sanitatis mulieris, ipse vir obtinuit decretum civile, quo declaratum est matrimonium inter G. et B. fuisse invalidum ab initio ob dictam insaniam, quam medici plures tenuerunt Berthae causatami fuisse ex iniuria quam passa est quando aetatem decem annorum ipsa habebat.

Georgius iterum matrimonium contraxit cum acatholica baptizata, Carolina C P., ipso adhuc infideli. In hac secunda unione G. adhuc vivit, ex qua proles natae sunt, et unus infans adhuc supervivit. Dementia Berthae, prioris uxoris, ita progressa est, ut amplius non agnoscat suam filiam et credat se esse Reginam Elizabetham Anglicanam.

Nunc Georgius (viginti novem annos post primum matrimonium cum Bertha, et quindecim post secundum cum praedicta Carolina) una cum hac coniuge et tota eius familia, uno tantum excepto, baptismum susceperunt et Catholicam fidem amplexati sunt; et hanc propter rationem suppliciter exoptat ut Sanctitas Vestra dignetur solutionem prioris matrimonii in infidelitate contracti cum Bertha ei concedere ex summa potestate. Quod Georgius nunquam baptizatus erat' clare constat ex testimonio plurium testium omnino fide dignorum, qui sub iuramento deposuerunt se saepe saepius audivisse matrem eius dicere cum fratre suo Georgium non esse baptizatum et de hoc facto vehementer dolere. Insuper nihil omnino in actis scriptum haberi de baptismo Georgii, quamvis de aliis baptizatis eodem tempore acta omnia habeantur. Curia dioecesana Episcopi exponentis, eamdem sententiam fert, ut videbitur infra. De non baptismo Berthae, spectata qualitate probationum, non aequalis absoluta certitudo habetur, quamvis videatur adesse certitudo moralis quod et ipsa numquam baptismum suscepit. Augusta, soror Berthae, quae octodecim annos ante Bertham nata est, sub iuramento declaravit se omnimodam certitudinem habere, nempe sororem eius Bertham numquam fuisse baptizatam, quia in nullam religionem crediderunt neque fidem christianam sunt professae. Ideoque ad summum esset matrimonium naturale in infidelitate contractum inter Georgium et Bertham; aliter cum Georgius certe erat infidelis tempore huius contractus, Bertha baptizata, nullum esset matrimonium propter disparitatem cultus.

Haec sunt verba Curiae matrimonialis relate ad casum : Declaratum est a R. Moderatore Curiae Dioecesanae pro tractatione

rerum matrimonialium, quod haec Curia non habet iurisdictionem legitimam ad hanc causam (casum Georgii) determinandam, sed recurrendum est ad S. Sedem Apostolicam pro adiudicatione finali in hac re. Curia tamen haec vehementer inclinatur ad opinionem quod pondus probationum habetur pro valore prioris matrimonii in infidelitate contracti inter memoratas personas G. U. et B. S. propter absentiam baptismi in utroque contrahente.

Sed quia Georgius nunc baptizatus est in Ecclesia Catholica, ius habet interpellandi eius primam sponsam Bertham et quia propter Berthae conditionem insanam, nullius omnino utilitatis esset eam interpellare, ideo Curia haec intime persuasami se habet petitionem instantem faciendam esse ad S. Sedem ut Ipsa dignetur Suam supremam potestatem Apostolicam exercere ad dissolutionem huius matrimonii in infidelitate contracti inter Georgium et Bertham ipsi oratori concedendam, ita ut Georgius posset secundas nuptias, quas iam cum dicta Carolina C. P. contraxit, regulares et validas facere. Hinc Curia haec implorat in illorum favorem clementiam S. Sedis, eo quod in bona fide secundum hoc matrimonium contraxerunt et conversionem ad fidem Catholicam in qua a tempore baptismi, die 20 Augusti elapsi, sicuti frater et soror vixerunt sine cohabitatione, attendentes sententiam S. Sedis. G. copulam non habuit neque cum prima neque cum secunda foemina post suum baptisma. Ipse defensor vinculi matrimonialis hanc opinionem et petitionem approbat et secundat.

Hisce igitur positis, Episcopus exponens supplicat Sanctitatem Vestram pro dispensatione ab interpellatione facienda Berthae S. ut Georgius praedictus legitimum matrimonium contrahere possit cum Carolina, de qua in precibus.

Feria IV, die 9 Decembris 1903.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis proposito suprascripto supplici libello, omnibus rite perpensis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi DD. S. R. E. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores decreverunt : ***Supplicandum Sanctissimo pro dispensatione ab interpellatione facienda Berthae S., ut Georgius valide possit matrimonium contrahere cum Carolina.***

Feria V, loco IV, die 10 Decembris 1903, SS. D. N. Pius divina providentia Papa X, in audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita benigne annuit pro gratia, iuxta Emorum Patrum suffragia. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

I. Can. MANCINI, **5. *R. et U. I. Notarius.***

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM
ET

ORDINIS MINORUM

De Missionariis minoriticis in Collegia Americae read mittend i s.

Beatissime Pater,

Nonnulli Superiores, Collegiis Missionum in America Seraphico Fratrum Minorum Ordini commissarum praefecti, ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provoluti, sequentia exponunt:

Apostolicae Litterae in forma Brevis, quibus Summus Pontifex Pius IX, sub die 12 Iunii anno 1877 Missiones minoriticas in America exsistentes voluit esse regendas, sub titulo *De Missionariis in Collegio admittendis et dimittendis,* num. LXI permittunt Religiosis, qui in aliquo Collegio professionem religiosam tamquam eiusdem filii emiserunt, ut post decennium ab eorum solemni professione vel ordinatione sacerdotali transactum, prouti respective de laicis vel clericis sermo habeatur, possint, servata Constitutionum Generalium forma, ad aliud Missionum Collegium vel ad aliam Instituti Seraphici Provinciam transmeare. In numero autem LXIV ipsius Apostolicae Bullae edicitur, ut nemo qui Collegium Missionum quacumque ex causa et quandocumque dereliquerit, valeat ad Collegium redire, nisi perrogata Patrum Discretorum Collegii sententia, duas saltem ex tribus suffragiorum partibus orator sibi favorabiles reportant.

Nihilominus, quum novissimae (antiquioribus hac in re consonae) Constitutiones Generales Fratrum Minorum, ab Apostolica Sede iam die 15 Maii anno 1897 approbatae, sub cap. II paragr. XII num. 83, inhibeat Religiosis agendam in aliena Provincia incorporationem, nisi vel expressa Ministri Generalis fa -

cuítate muniantur, vel biennium saltem in nova eiusmodi Provincia transegerint; hinc graviores a multis difficultates excitantur super filiis Collegiorum, qui etsi alibi moram trahant, nihilominus ante biennium expletum sive ante definitivam in alieno Collegio seu Provincia incorporationem, reverti ad Collegium, cuius adhuc secundum generales Ordinis leges sunt filii, aliquando postularent. Itaque humillimi Oratores enixe Sanctitatem Tuam rogant, ut, omnium concordiae efficacius hac in re obtinendae, sequentia eisdem resolvere dubia dignetur:

I. Utrum suffragia a Patribus Discretis Collegii unice sint ferenda pro eiusdem filiis, qui iam *definitive* in alio Missionum Collegio sive in alia Provincia incorporati, ad suum Collegium reverti petant; an etiam pro filiis ad suum redire Collegium exoptantibus, qui licet in alieno Collegio seu Provincia moram traxerint, nondum tamen *definitivam* illic adscriptionem impetrarunt ?

II. Et quatenus affirmativa detur ad utramque prioris dubii partem responsio : Si Religiosus, reditum implorans, duas favorabiles ex tribus suffragiorum partibus non retulerit, cuinam Collegio vel Provinciae tunc adscriptus esse censeatur ?

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Emorum et Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, super praemissis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad I. *Affirmative ad primam partem : negative ad secundam.*

Ad II. *Provisum in I.*

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, hac die 1 Martii 1904.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. * S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius.*

SANCTI HIPPOLYTI

Episcopus in Visitatione canonica nequit sibi vindicare inspectionem librorum Missarum manualium in ecclesiis Fratrum Minorum.

Beatisime Pater,

Guardianus fratrum Minorum in Dioecesi Sancti Hippolyti commorantium atque pertinentium ad regularem provinciam Sancti Bernardini in Austria, praevio Sacrorum Pedum Tuorum osculo, humillime exponit:

Ordinariatus praefatae Dioeceseos, secus atque in Vindobonensi ecclesiastica provincia ad quam Episcopatus Sancti Hippolyti spectat, immo et contra morem in illa Dioecesi hucusque pacifice retentum, a Religiosis minoritis in Conventu ipsius civitatis degentibus exigit, ut exhibeantur sibi libri Missas manuales Coenobii continentes, atque subsecutam earumdem applicationem, hocque ratione paroeciae quam illic fratres Ordinis Minorum Monasterio adnexam habent. Attamen, cum de re agatur paroeciam et iurisdictionem Episcopi nullimode respicienti, neque sermo fuerit de applicanda Missa pro populo aliisve oneribus parochialibus explendis; ipse Guardianus, non Ordinario Dioecesano, sed Regularibus Praelatis, rationem de Missis manualibus debet, ad normam Apostolicarum Constitutionum atque generalium Ordinis legum, suo tempore exhibere.

Hoc autem loco Constitutionibus Apostolicae Sedis et Seraphici Instituti omissis, quae vigilantiam super Missarum monialium celebratione Regularium Praelatis committunt, ideoque hanc sollicitudinem ab Ordinario locorum avocasse probantur, sufficiat hic auctoritatem clarissimi viri Angeli Lucidi (1), qui cum aliis auctoribus et canonistis in opere *De Visitatione Sacrorum Liminum,* Romae anno 1866, ita ad rem loquitur in Vol. II, Cap. IV, Append. III, num. 95, xi, agens de iis in quibus Regulares exempti nullatenus Episcopis subduntur: « Non possunt (Episcopi) eos (Regulares) compellere ad exhibendos libros sacristiae, in quibus adnotantur celebrationes Missarum, ut inde constare possit de integra satisfactione obligationis debitae ex

(1) Vel melius Giraldi *(Ius Pont, part. I, lib. i Decret, til. 31, De officio Iudicis ordinarii, sect. ¡91, Appendix III, n. XI)* a quo ipse Lucidi haec de verbo ad verbum deprompsil *(N. R.).*

legato pio, ex decreto laudatae Congregationis (Concilii) in *Urbinaten.* 10 Martii 1663, ad cap. 18 Trident, sess. 21 (lib. 23 decr. pag. 456) ».

Itaque humillimus orator, pacem cum omnibus maximeque cum Ordinariatu loci integram servare cupiens, neque Ordinis iuribus quae Apostolicae Sedis sunt iura volens aut potens afferre nocumentum, enixe Sanctitatem Tuam rogat, ut significet Episcopo nullam sibi vindicare posse inspectionem super Missarum manualium implemento, cum Apostolica Sedes ordinavit hanc vigilantiam Praesulibus Regularium exemptorum unice competere.

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, quoad dubium praepositum a P. Superiore Conventus Fratrum Minorum in civitate S. Hippolyti existentis, responderi mandavit prout sequitur :

« Scribatur Ordinario ad mentem. Mens est, quod exemptio a iurisdictione episcopali fratribus Minoribus S. Francisci competens extenditur etiam ad Missas manuales : ideoque Episcopus in visitatione canonica nullam sibi vindicare potest inspectionem librorum Missarum manualium in paroecia fratrum Minorum in casu (1) ».

Die 11 Maii 1904.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. & S.

Ph. GIUSTINI, *Secretarius.*

(1) Haec decisio, licei per se respiciat ecclesias parochiales Ordinis Fratrum Minorum, tamen ob rationis identitatem valet pro omnibus ecclesiis parochialibus Regularium aliorumque, qui ab Ordinariorum iurisdictione privilegio exemptionis fruuntur *(N. R).*

FLORENTINA

EXPULSIONIS

Species facti

Die 11 Decembris 1903.

Sacerdos N. N., extraneae Dioecesis, litteris excardinationis, ut ipse asserit, a proprio Episcopo acceptis, a. 1894 Florentiam se contulit, ubi muneri Coadiutoris parochialis praepositus fuit, et incardinationem ab Archiepiscopo Florentino nunc defuncto petiit, quamque iuxta ipsum obtinuit. Sed anno 1902 Curia Florentina praefato Presbytero iussit ut intra mensem derelinqueret Archidioecesim et ad patriam suam rediret, minitans praeterea maiores poenas in transgressionis casu. Cuius ordinationis causam Curia in eo reponit quod dictus Sacerdos non sit Archidioecesi incardinatus nec non graves contra eum militent rationes. At Sacerdos N. N. recursum habuit ad H. S. Congregationem, seque praedicans Florentinae Archidioecesi incardinatum, ab eaque proinde affirmat absque canonico processu expelli non posse.

Deductiones Curiae

Advocatus Curiae ostendere nititur Presbyterum N. N. nunquam Archidioecesi Florentinae incardinatum fuisse. Et inprimis adnotat dictum Sacerdotem nullimode probare propriam Archidioecesi incardinationem; quinimo nullum de praesumpta incardinatione documentum in Curia extare. Quapropter ut ipsa sustineatur necessario recurrendum est vel ad decreti amissionem vel ad oralem incardinationem. Iamvero orator priorem hypothesim, quae negligentia et inordinatione Curiam temerarie et iniuste argueret, mordicus refellit, quum ne principium quidem probationis circa decreti incardinationis existentiam habeatur, imo contrarium omnino

constet. Alteram vero inefficacem ostendit, quippe de Archiepiscopi incardinantis intentione nullum adsit vestigium, praeter adsertionem unius testis, quem lamen suspicionem redolere contendit. Dum e contra Decretum S. Congregationis Concilii diei 20 Iulii 1898 (1), quod praecepit incardinationem ***in scriptis*** faciendam esse, licet vi retroactiva non gaudeat, tamen praeexistens principium ostendit, quod nempe ut probata dici possit incardinatio, de incardinantis intentione certo constare debet.

Nec favore incardinationis, iuxta patronum, indicia valent quod nempe Presbyter N. N. per plures annos Florentiae moram traxerit, sacerdotalia munera exercuerit, officium Vice-parochi obiverit ; nam et alii Sacerdotes Floren tiae morantur quin sint Archidioecesi incardinati, facultas insuper exercendi munia sacerdotalia e. g. praedicandi, confessiones audiendi etc., etiam extraneis, dummodo dignis, conceditur; officium demum Vice-parochi est natura sua amovibile ac proinde revocabile ad nutum. At indicia maioris ponderis adsunt incardinationem adversantia. Ceteris omissis, paulo post praetensam incardinationem, cum ad periculum subeundum pro sacramentali confessione excipienda Sacerdos N. N. vocatus esset, in Curiae actis ipse signatus est ***uti Sacerdos extraneae dioeceseos,*** quaeque denominatio in posterum semper retenta fuit.

Deinde progreditur advocatus animadvertens ad praefati Presbyteri remotionem, quum non habeatur incardinatio, causam canonicam regulari processu cognitam non requiri, secus enim conditio Cleri extranei aequalis imo melior esset quam Cleri dioecesani. Sane dioecesani neque a Dioecesi dimitti, neque absque Curiae licentia discedere possunt; e contra extranei, dum a Dioecesi expelli nequeunt, ab eadem tamen sine Curiae licentia exire libere possent.

Nec obiiciatur, ait patrocinator, Decretum ab H. S. C. ad Episcopos missum die 17 Decembris a. 1839 (2), quum

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXI, pag. 49.

(2) Hoc Decretum *super Clericis extraneis* ita relatum est a Bizzarri in *Collectanea*

hoc non modo processus canonici necessitatem non includat, sed potius aperte excludat. Dicitur enim non esse in potestate Episcopi non admittere vel dimittere pro lubitu Clericos extraneos ea praecise de causa quod sint ***extranei,*** quod nempe ad suam dioecesim non pertineant, ***nisi aliae rationabiles causae horum remotionem suadeant.*** Sufficit igitur ***rationabilis causa*** ad Clericum extraneum expellendum, quae in casu, prout ex pluribus et gravibus accusationibus luculentissime constat, non dumtaxat rationalis, sed stricte quoque canonica formis iudicialibus statuta habetur.

Neque obstat, prosequitur advocatus, decisio H. S. C. in una ***Spoletana**** diei 6 Martii 1846 **(1),** quum haec ad

S. C. EE. et RR., pag. 89, ed. 1885: « È giunto a notizia della Santità di N. S. che « in alcune Diocesi..... vi sia pericolo che s'introduca la massima, essere in facoltà « dei Vescovi di escludere e non ricevere nella loro Diocesi i Chierici estranei pel « solo motivo che a quelle Diocesi non appartengono.

« Il S. Padre penetrato dalle conseguenze, che ne potrebbero derivare e vo« lendo, che in un oggetto tanto delicato non s'introducano novità, ha fatto richia« mare ad esame la suddetta opinione e previo il consiglio di alcuni di questi Emi « Padri non ha potuto non ravvisare mancante di fondamento la massima sullegala, « mentre lungi di essere sostenuta dal diritto, è anzi contrariata dal medesimo, quando « altre ragionevoli cause non consiglino la remozione dei Chierici foras t ieri. Ha ordi« nato pertanto a questa S. C. dei VV. e RR. di partecipare a V. S. tale pontifìcia « dichiarazione, acciocché nella qualifica di Metropolitano la faccia per mezzo di ap« posita circolare conoscere a tutti i suoi Suffraganei, onde loro sia di norma da « seguirsi in simili casi.

« Roma, 17 Dicembre 1839 ».

(1) Bizzarri in sua *Collectanea S. C. EE. et RR.* pag. 532, ed. 1885 ita refert citatam causam: *Spoletana - De confirmando vel revocando decreto expulsionis.*

« Sacerdos N. N. anno 1822 ab Urbe discedere coactus ob quasdam processuales conclusiones, se contulit ad oppidum Montisfalchi, ubi moratus est annis circiter decem. Ex illo se transtulit ad contiguum oppidum Cannajolae, ubi jugiter degit usque ad mensem septembris anno 1843.

« Archiepiscopus Spoletanus, cujus jurisdictioni illa oppida subiciuntur, die 12 augusti 1843 formali decreto mandavit praefato Sacerdoti, ut *ab illa Archidioecesi discederet non '**Serius** die 15 septembris eiusdem anni sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda in transgressionis casu.*

« Presbyter, hoc accepto decreto, secum reputans se domicilium ea in dioecesi pacificum habuisse viginti circiter annorum spatio, in urbe Cannajolae proprietates ac etiam domum acquisivisse, nulloque suam conscientiam pulsari crimine, licet praecepto obtemperavit petens Fulginatensem dioecesim; tamen eodem tempore petiit, ut ad suam defensionem admitteretur, ei hoc tum apud Curiam Spoletanam, tum apud S. G. EE. et RR.

rem non faciat. Agitur enim ibidem de quodam Presbytero, qui in Dioecesi Spoletana domicilium habuit viginti circiter -annorum spatio, proprietatesque ac etiam domum acquisivit, quique praeterea « documenta exhibuit quibus demonstrabat ipsum in dicta Dioecesi domicilium revera habere, nec tam in iure quam in facto sustineri, quae contra dictum Sacerdotem ab Archiepiscopo obiiciebantur ». At in casu nostro non modo rationabiles, sed etiam urgentes adsunt causae ut Presbyter N. N. ab Archidioecesi Florentina repellatur.

Deductiones contrariae

Ex adverso patronus Sacerdotis N.N. observat ante a.i898, in quo prodiit citatum decretum S. O. C. « *A primis Ecclesiae saeculis* », nec lex canonica nec Doctores loquuntur de incardinatione et excardinatione, et multo minus de re-

« Super petitione Sacerdotis N. N. requisitus Archiep. Spoletanus, respondit, hunc qui jam ab alma Urbe ejectus fuerat, frustra conqueri de lato contra eum praecepto « cum non sit dioecesanus, non habeat in Spoletana diocesi domicilium, et sit scandalosus ».

« S. C. bis monuit Archiepiscopum ut praefatum Sacerdotem in sua Dioecesi tolerare!., cum ex transmissis actis de ejus scandalosa vitae ratione non constaret. Quod si ipse graviores causas ad expulsionem haberet, suae Curiae mandaret ut processum conficeret, ei prout de jure procederet. Verum neutrum Archiepiscopo placuit; ideoque S. G. per rescriptum indulsit sacerdoti N. N. ut absque incursu in suspensionem, in Dioecesim Spoletanam redire, et in eadem per duos menses remanere possit: addiditque clausulam. « Interim vero sua jura quoad meritum causae deducat penes S. C. ».

« Archiepiscopus vero altum servavit silentium non obstantibus S. C. admonitiones.

« At Presbyter N. N. sua jura deduxit penes S. C, et documenta exhibuit quibus demonstrabat ipsum in dicta Dioecesi domicilium revera habere ; nec tam in jure, quam in facto sustineri, quae contra dictum Sacerdotem ab Archiepiscopo obiiciebantur; et a jure absonum esse civem privari suo domicilio sine gravibus rationibus prout de jure comprobandis.

« Quibus omnibus cum documentis atque partium rationibus Emorum Patrum judicio perpendendis exhibitis, in Congregatione generali habita die 6 martii 1846 propositum fuit hoc dubium:

« Se si debba confermare, o piuttosto revocare il decreto di espulsione, che si legge in sommario num. 1 contro il Sacerdote *N. N.* nel caso?

« Emi Patres, referente Emo Acton, inscripserunt:

« Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam partem, *et amplius, a* 6 martii 1846 ».

quisitis ad eamdem constituendam; (Cfr. *Gasparri, De Sacr. Ordin. v. 2, n. 810),* quemadmodum in iure veteri et novo non concipitur Clericus acephalus, uti docent Benedictus XIV *(De Syn. Dioec. lib. XI, c. 2, n. 4 et 7)* et Conc. Tridentinum *(Sess. XXIII, c. 16),* quodque concludit Clericum post obtentam a proprio Ordinario excardinationem censendum esse ad illam Dioecesim pertinere, in qua a benevolo Episcopo receptus fuit. Ideoque et praedictus Sacerdos qui a suo Ordinario excardinationis litteras obtinuit, Archidioecesi Florentinae adiudicandus est, ubi per octo circiter annos munera obiit sacerdotalia.

Supra citatum Decretum S. C. C. *«A primis Ecclesiae saeculis»,* diei 20 Iulii 1898 ad rem non facit, sive quia incardinationem et excardinationem respicit relate ad Ordines sacros recipiendos, novum ordinationis titulum aliis quatuor praeexistentibus adiungendo, sive quia illud non est simplex declaratio vel extensio iuris extantis, sed novam legem constituit, uti ex textu et contextu liquet : « Verum nostris temporibus novae contentioni frequens se praebuit occasio», et uti expresse docet Lega in tractatu *De Iudiciis,* ubi loquendo de SS. Congregationum decretis, quae *novae legis vim habent,* huiusmodi affert Decretum, quod praecise *complura statuit quae hactenus iure communi non continebantur.* Leges autem vim retroactivam per se habere nequeunt, ac proinde Decretum S. C. C. non respicit Sacerdotem N. N., qui incardinationem obtinuit a. 1895.

Sed, addit patronus, etiam admisso conceptu incardinationis a Decreto S. C. C. exhibito, quae nempe sit *perpetua dimissio Clerici e propria dioecesi et eius in aliam receptio per auctoritatem Ordinarii,* excardinatio suum non sortitur effectum nisi prius antecesserit incardinatio ; in casu autem Episcopus proprius Sacerdotis N. N. eidem concessit excardinationem et Archiepiscopus Florentinus scienter et. volenter eumdem in propria excepit et retinuit. Concludendum igitur est Presbyterum N. N. huic Archidioecesi fuisse incardinatum, nisi Clericum acephalum admittere velimus.

Quinimo sive explicite sive implicite apparet voluntas defuncti Archiepiscopi Florentini dictum Sacerdotem incardinandi. Parochus enim, apud quem Presbyter N. N. munere -Coadiutoris fungitur, quique omni exceptione maior ab omnibus merito reputatur, deposuit Archiepiscopum defunctum propriae Archidioecesi eum incardinatum declarasse; quod -confirmatur a quadam epistola olim Vicarii Generalis eiusdem Archidioeceseos.

Praeterea voluntas laudati Praesulis implicite patefit ex plena et inconditionata, quam in dictum Presbyterum exercuit, iurisdictione. Eidem enim cappellaniam contulit, quae veri ac proprii beneficii naturam induit, et est apta ad titulum S. Ordinationis constituendum, uti liquet ex legibus Leopoldinis ipsam fundantibus, necnon ex ipsa Curia Florentina, quae coram Gubernio Italico eam curatam esse declaravit. Quod apprime congruit methodo eiusdem Archiepiscopi, extraneos nempe non incardinandi, nisi per collationem beneficii residentialis. Alia ratio ad implicitam voluntatem defuncti Archiepiscopi ostendendam invenitur in -approbatione, quam ipse Sacerdoti N.N. dedit ad sacras «conciones habendas tum in Dioecesi tum extra ipsam, necnon in concessione ***discessu ad duos vel tres menses*** eodem modo ac forma quam ceteris Clericis dioecesanis. Nec diversimode «e gessit quoad ***discessu*** actualis Curia usque ad hodiernam controversiam; quapropter et ipsa saltem implicite dictum Presbyterum proprio Clero adscriptum agnovisse dicendum est.

Nec officit, animadvertit advocatus, nullum in Curia Florentina reperiri incardinationis documentum; in translatione siquidem Archivii in novam domum illud forsitan amissum fuit una simul cum aliis documentis, quae tunc certo perierunt; eo vel magis quod ne decretum quidem excardinationis in Curia amplius inveniatur.

Dato etiam et non concesso, addit secundo loco patronus, incardinationem Sacerdotis N. N. non sustineri, eum "tamen nunquam licere Archiepiscopo pro lubito expeliere a propria dioecesi absque regulari processu. Citatum enim De-

cretum H. S. C. ad Episcopos, diei 17 Decembris 1839, statuit principium quod sit in potestate Episcoporum dimittendi aut non admittendi in propriis dioecesibus Clericos extraneos sola de causa quod ipsi ad eamdem dioecesim non pertineant, non modo conforme non esse iuri sed imo ab eodem reprobatum, nisi aliae rationabiles causae remotionem Clericorum extraneorum suadeant. Quod Decretum certe non fuit abrogatum a subsequenti S. C. C. diei 22 Decembris a. 189-1 (1), sive quia hoc est particulare pro Roma tantum, sive quia etiam hoc permittit ut Romae remaneant Clerici alienae dioecesis, qui retinent beneficium aut officium, aut qui ibidem iam diuturno tempore morantur cum tacita aut expressa proprii Ordinarii licentia.

Quinimo in casu locum habet decisio H. S. C. in supra relata *Spoletana* diei 6 Martii 1843, in qua revocatum est *et amplius* decretum expulsionis Episcopi Spoletani, quum constaret de domicilio Sacerdotis in casu, sed de eius scandalosa vitae ratione non constaret. Nec H. S. C, arguit advocatus, aliter decidere potuit in relato casu, nec aliter in praesenti, quum (uti habetur in citata *Spoletana)* « a iure absonum est civem privari suo domicilio, sine gravibus rationibus prout de iure comprobandis ». In casu autem Sacerdos N. N. domicilium habet in Archidioecesi Florentina, quum in eadem commoretur octo abhinc annis et animo ibidem perpetuo manendi. Iamvero « censetur constitutum domicilium simul ac quis re et facto declaravit se velle in loco aliquo in perpetuum permanere, hinc magis respicitur intentio perpetuam figendi habitationem quam diuturna ipsa habitatio » (Santi, *Praelectiones, vol.* ***II,*** *lib.* ***II,*** *'tit.* ***II,*** *de for. com* pet. n. 9).,* Accedit quod Sacerdos N. N. habet beneficium residentiale.

Ulterius, addit advocatus, accusationes contra eum pro* latae non probantur *prout de iure sunt comprobandae,* quia Curia Florentina canonicum processum conficere recusavit

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXVII, pag. 373.

hanc ob causam quod ipse non esset dioecesanus. E contra saltem certum est in causis criminalibus forum competens sortiri ubi patratum est delictum; « ratione criminis, ait Santi *loc. cit.*, qui aliquod crimen admiserit, sortitur forum in loco criminis, etsi alibi domicilium habeat ».

Ut necessitatem formalis processus ad iuris tramitem magis ostendat patronus, nonnisi calumnias contra praefatum Presbyterum accusatores et testes , quorum nomina iniuria abscondita sunt, detulisse asserit atque contrarias depositiones opponit, quae bonam famam eiusdem Sacerdotis atque eius honestatem satis superque evincunt. Concludit igitur dispositionem Ordinarii Florentini sustineri non posse.

Sint dubia:

I°. *An Sacerdos N. N. sit incardinatus Archidioecesi Florentinae in casu.*

Et quatenus Negative ;

2°. *An sustineatur dispositio Ordinarii Florentini quoad remotionem Sacerdotis N. N. in casu.*

Emi Patres, omnibus accurate perpensis, haec dederunt responsa :

Ad 1um. *Negative.*

Ad 2um. *Affirmative et ad mentem.*

Colliges

I°. S. C. Concilii, ut institutum incardinationis et excardinationis pluribus in locis usu receptum et saepe controversiis et abusibus viam sternens intra certos limites coarctaret, Decreto diei 20 Iulii 1898 (1) statuit: « Incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus sed in scriptis, absolute et in perpetuum... et ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum____excardinationem nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata ».

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXI, pag. 49.

2°. In casu autem, quum agatur de incardinatione Decretum ipsum antecedente, et quum lex per se vim retroactivam non habeat, ad normam veteris iuris, quod praesertim in Concilio Tridentino continetur, res omnino diiudicanda est.

3°. Synodus enim Tridentina *(Sess. 23, cap. 16 de Reform.)* instaurare cupiens disciplinam ecclesiasticam a canone sexti Concilii Chalcedonensis probatam et temporum iniuria penitus collapsam, eiusdem vestigiis inhaerendo decrevit: « ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus ».

4°. Et Clerici censentur certae ecclesiae aut pio loco adscripti sive per sacram ordinationem sive per canonicam beneficii institutionem sive etiam per oralem incardinationem, quae certo constare debet.

5°. Sed in themate nec ipsa oralis incardinatio probatur, nec officium Coadiutoris parochialis est vere ac proprie dictum beneficium sed provisorium, et ad nutum revocabile (1).

6°. Insuper praesertim ex relata calesa *Spoletana,* diei 6 Martii 1843 constat Clericos extraneos, in aliena dioecesi diutius commorantes, ab eadem expelli non posse nisi gravibus de causis, quas Episcopus ad' S. Sedis petitionem deducere tenetur.

7°. Et in casu Archiepiscopus Florentinus iustas causas expulsionis Sacerdotis N. N. in medium protulisse videtur.

(1) S. C. Concilii in nuperrima epistola ad Archiepiscopum Parisien, die 9 Iunii 1903 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXVI, p. 233) ita dicit Coadiutores parochiales natura sua amovibiles ut « nedum ex culpa et ex causis disciplinaribus, sed etiam pro opportunitate et maiori ecclesiae bono, iudicio Ordinarii sui, de uno in alium locum transferri possint, quin querelam de iniuria aut de damnis movere queant». Ad rem confer eliam causam *Rottemburgen.,* die 26 Martii 1886 relata in *Acta S. Sedis,* vol XIX, p. 87, in qua decernitur quemdam Sacerdotem non fuisse adscriptum clero Rottemburgensi, tum quia defuit consensus expressus Episcopi incardinante, tum quia curae animarum provisorio modo praepositus fuerat.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

OAIACEN.

INDULTI

Species facti

Die 27 Februarii 1904.

In dioecesi Caiacen. mos immemorabilis viget, vi cuius Episcopus tenetur servitio chorali suae ecclesiae Cathedralis interesse, utpote ceteri canonici ; quapropter ad instar aliorum participat de capitularibus proventibus, et punctaturae quoque in omnibus suis a choro absentiis subiicitur. Ratio, ob quam ex antiquo ipse ad capitularia proventa admissus est, invenitur in maxima tenuitate episcopalis praebendae. Insuper omnes omnino redditus, non sola tertia eorum pars, chorali punctaturae subduntur. Cum autem actualis Praesul, ob' graviora et innumera pastoralia officia, debita assiduitate choro intervenire nequeat, et aliunde impar sit omnibus Dioeceseos necessitatibus consulere, die 5 Iunii 1903 petiit ut, vita durante, eximatur a punctatura chorali aut eidem concedatur indultum ad instar canonici iubilati, onerata tamen sua conscientia quoad onus interessendi choro, quoties aliis pastoralibus curis non impediatur. Etiam Capitulum, ad hoc rogatum, refert Ordinarium Caiacen. ex antiqua consuetudine punctaturis subiici etiam durante Visitatione canonica dioecesis , quia ipse proventibus canonicis gaudet cum choro est presens ; hocque adeo verum esse ut duo postremi Episcopi a S. Sede gratiam exemptionis a punctaturis obtinuerint.

Rationes contrariae

Notae sunt in subiecta materia canonici iuris sanctiones, praesertim vero celeberrimum Bonifacii VIII decretum *(Cap.* ***un.*** *de Cler.* ***non*** *resid.* ***in VI):*** « Consuetudinem

quae inoievit, qua canonici, seu clerici cathedralium... distributiones quotidianas (quae alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur et tantum residentibus tribuuntur) qualitercumque in civitatibus seu aliis locis sint praesentes licet divinis officiis non intersint, ex integro percipiunt, ac si continue ipsis ecclesiis in eisdem officiis deservirent, penitus improbantes, statuimus, ut distributiones ipsae quotidianae in quibuscumque rebus consistant, canonicis... ipsarum ecclesiarum, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adierint tribuantur. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; imo ad omnium restitutionem, quae contra huiusmodi Nostram Constitutionem receperit, teneatur ». Quod decretum Conc. Tridentinum *(Sess. 24, cap. 12, de Reform.)* observari mandavit, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus; imo *(Sess. 21, cap. 3, de Reform.)* praecepit ut in ecclesiis, in quibus distributiones non essent constitutae, aut essent adeo tenues ut despicerentur, ex omnibus proventibus et fructibus canonicatuum et beneficiorum secerneretur tertia pars impendenda in quotidianas distributiones, data Episcopis potestate procedendi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatis. Et ipsa S. C. Concilii pluries declaravit *(uti in Farfensi, 20 Dec. 1738)* doctrinam circa distributiones aptandam quoque esse punctaturis.

Quoad exemptionem vero a choro et a residentia propter evidentem utilitatem ecclesiae, iuvat heic referre quod scribit Ferraris *(v. Distributiones, art. 2, n. 7):* « Evidens ecclesiae utilitas intelligitur de utilitate ecclesiae particularis, de cuius distributionibus agitur, non autem de alterius ecclesiae particularis, vel ecclesiae generalis ». Idem docet Fagnanus *(lib. III Decr.,cap. Licet, n. 160).* Hinc Ferraris *(loc. cit.)* habet : « Episcopus Canonicus dum abest ex causa Visitationis suae dioecesis distributiones quotidianas non lucratur ». Ita

etiam non lucratur distributiones quotidianas Vicarius Generalis quando a choro abest ratione sui officii ; et idem Ferraris, *(loc. cit. n. 24)* plures refert resolutiones H. S. Congregationis. Ad rem facit etiam causa *Tranen. - distr.,* 20 Decembris 1862. B contra distributiones quotidianas lucratur Canonicus a choro absens occasione servitii curae eius canonicatui annexae, tamquam si esset praesens, uti constat ex Conc. Trid. *(Sess. 22, cap. 3, de Reform.).* Igitur ut Episcopus haberetur tamquam praesens choro dum abest, necesse foret ut abesset ratione muneris sui canonicatus tantum et non muneris episcopalis, vel ut incumberet negotiis cathedralis vel capituli.

Neque valet ratio paritatis ab Episcopo allata quoad parochum curae animarum incumbentem. Siquidem parochus abest in utilitatem propriae ecclesiae, cui inservit tamquam canonicus; sed non ita Episcopus, qui abest in utilitatem propriae dioecesis. Hinc Benedictus XIV *(Instit. Eccl. 107, n. 56)* tradit « qui canonicatum ipsique coniunctam obtinet parochiam, sed extra civitatem sedem in parochia tenere debet, et pro tempore quo resederit in parochia ac ministraverit tamquam in choro praesens habetur, ita ut praebendae quidem fructus, non vero distributiones consequatur. Id sanxit S. Pius V, idemque Fagnanus et Gonzalez sapienter advertunt ». Proinde sicuti canonicus parochus habens paroeciam non adnexam suae praebendae punctaturis subiicitur, quando abest ratione muneris parochialis, ita mulctari debet amissione distributionum Episcopus canonicus, quando a choro abest ratione muneris episcopalis.

Insuper expendendum est quod Episcopus petit se haberi tamquam personaliter choro praesentem tempore, quo pastorali suae dioecesis perlustrationi incumbit, sed etiam ad instar canonici iubilati toties quoties officio episcopali operam impendit. Iam vero haec petitio videtur nimis ampla, et in nimium grave detrimentum chori et etiam canonicorum, quibus absentium punctaturae devolvuntur.

Neque dicatur quod consuetudo vigens in Capitulo Ca-

iacensi erogandi omnes reditus canonicales in distributiones quotidianas nulla reservata fructuum praebendalium portione pro legitime absentibus sit contra ius; nam Conc. Trid. *(Sess. 22, cap. 3, de Reform.)* praecipiens tertiam partem impendendam distributionibus quotidianis, non reprobavit statuta Capitulorum in quibus reditus omnes beneficiorum in distributionibus comprehendantur. Ratio est, quia distributiones, quibus aequivalent punctaturae, invectae sunt et a iure statutae ut chorali servitio addicti de negligentibus diligentes, de tardis assidui fierent, et iuxta Conc. Trid. *(Sess. 21, cap. 3, de Reform.)* « ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur ».

Rationes favorabiles

Ex adverso vero expendi potest quod licet Episcopus canonicus, quando pastorali muneri incumbit, ex iure censeri non possit privilegiatis in ordine ad consequendas distributiones quotidianas, sicuti sunt canonicus theologus, poenitentiarius et parochus qui curam gerit propriae ecclesiae, quando suum officium explent, tamen videtur quod graves adsint rationes ut Episcopo id ex Apostolica benignitate concedatur. Et quod huiusmodi indulta exemptionis a punctaturis ab H. S. Congregatione concedantur praeter quotidianam praxim docetur etiam a causa *Dubia - Indultorum, 6 Maii 1820.* Haec vero indulta aliquando concedi solent cum clausula *amissis distributionibus quotidianis,* et tunc si omnes reditus distributionibus quotidianis constent, indultarius tantum tertiam partem amittit ; si vero addatur rescripto clausula *amissis tantum distributionibus inter praesentes* tunc indultarius omnes distributiones quotidianas lucratur.

Haec secundae speciei indulta haud infrequentia sunt apud H. S. Congregationem ; ita gratia concessa est Episcopo Caiacensi die *4 Martii 1899* pro suis canonicis convisitatoribus in perlustratone dioecesis, in quorum indulto appo-

sita est clausula ***amissis distributionibus inter praesentes tantum.***

Iam vero quod adsint in casu speciales circumstantiae pro gratiae concessione liquet praesertim ex eo quod distributiones canonicatus Episcopo sunt destinatae tamquam in supplementum congruae suae mensae, cuius reditus sunt valde tenues. Igitur quemadmodum parochus canonicus ex iure distributiones quotidianas lucratur quando incumbit animarum curae suae ecclesiae in qua est canonicus, ita valde congruum videtur ex benigna concessione ut Episcopus orator quotidianos reditus sui canonicatus lucretur intentus curae pastorali suae dioecesis. Neque timendum quod Episcopus hoc indulto sit abusurus; nam hoc praecaveri potest addendo clausulam : ***onerata Episcopi conscientia super praecisa necessitate abessendi ob expositam causam.*** Sicuti etiam circumscribi posset tempus concessionis, quamvis Episcopus petat ut gratia sibi concedatur durante munere.

Denique Episcopus expostulat ut sibi indultum concedatur ad instar canonici iubilati. Haec porro petitio videtur eo sensu facta, ut ipse in choro consideretur ceu personaliter praesens tantum in ordine ad lucrum distributionum, non autem quoad alia privilegia competentia canonicis iubilatis, quum statim addat: « sua onerata conscientia quoad onus choro interessendi, quoties a pastoralibus curis non impediatur ». Scitum autem est canonicos iubilatos a chori servitio esse prorsus immunes.

Quare etc.

Et S. C. Concilii, dicta petitione mature ponderata, die 27 februarii 1904 benigniter rescripsit:

Pro gratia iuxta petita, amissis distributionibus inter praesentes tantum, onerata Episcopi conscientia super necessitate absentiae, durante munere.

Colliges

I°. Distributiones chorales ab iis tantum canonicis seu clericis percipiuntur, qui divinis officiis intersint, non

obstante qualibet contraria consuetudine ; excipiuntur tamen qui ab infirmitate, vel iusta corporis necessitate vel evidenti ecclesiae utilitate excusentur.

2°. Evidens autem ecclesiae utilitas non extenditur ad quamlibet ecclesiam particularem ant ipsam Ecclesiam universalem , sed coarctatur tantummodo ad peculiarem ecclesiam, cui debetur servitium chorale.

3°. Quapropter canonicus tum theologus, tum poenitentiarius, tum etiam parochus, qui tamen animarum curam canonicatui adnexam habet, in actuali exercitio proprii muneris distributiones lucrantur.

4°. E contra Vicarius generalis et parochus, cuius cura a canonicatu est separata, distributiones amittunt; quasque proinde amittere debet Episcopus canonicus, cuius cura pastoralis non est certe canonicatui adnexa.

5°. Sed in casu, attenta maxima praebendae episcopalis exiguitate nec non exemptione a punctaturis concessa .duobus Episcopis praedecessoribus, actuali Episcopo Caiacensi indulta est gratia lucrandi distributiones quotidianas quoties Sacrae Visitationi et pastorali officio actualiter incumbit, onerata super hoc eius conscientia, atque amissis distributionibus inter praesentes.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

TUNQUINEN.

Decretum Beatificationis seu declarationis Martyrii Ven. Servorum Dei Francisci Gil De Federich, Matthaei Alonso Leziniana, Hyacinthi Castañeda, Vincentii Liem a Pace, Sacerdotum Ordinis Praedicatorum, ab idolorum cultoribus in odium catholicae religionis interfectorum.

SUPER DUBIO

« An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis, seu miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur?»

Catholicae Fidei nostrae, penes multos nutanti propter diuturnas ei structas insidias congestasque criminationes, magnum

profecto robur accedit ex martyrum invicta constantia usque ad cruentam vitae iacturam pro Christi causa tuenda. *Armantur enim filiorum animi dum patrum recensentur triumphi* (Eucher. Lugdun., *Horn, de SS. Petro et Paulo).* Utque habet Cyprianus : *Virtus est tanta martyrii, ut per eam credere etiam ille cogatur, qui voluit occidere (Lib. V, ep.i).* Haec exempla fortitudinis eademque incitamenta virtutis pluries profecta sunt a strenuis Dominicianae Familiae alumnis, qui sacris expeditionibus cum fructu exaequante labores tamdiu operam navant. Eorum hodie Institutum novae martyrum acies illustrat ad Beatorum Caelitum honores propositorum. Hi sunt Ven. Dei Servi Franciscus Gil De Federich, Matthaeus Alonso Leziniana, Hyacinthus Castañeda et Vincentius Liem a Pace.

Horum priores duo, Franciscus Gil De Federich et Matthaeus Alfonso Leziniana, Hispani ambo et in ipsa patria Fratrum Praedicatorum Ordinem adhuc adolescentes professi, at vehementi desiderio accensi longinquas easque barbaras terras peragendi, ut erroris caligine obcaecatis Evangelii lucem afferrent, votique tandem compotes effecti ad religiosam Provinciam SSmi Rosarii in Insulas Philippinas transiere. Tunquinense dein iter aggressi in tot pericula se coniecerunfc, tot adversa tulere, ut sententiam conflrmarent, *vix martyres effici nisi eos, qui a Deo multis prius aerumnis sunt exerciti et quasi praeparati ad martyrium* (Corn. A Lap., *in ep. ad Hebr. XII, 2).* Christiana religione iampridem in Tunquino proscripta, prior ethnicam crudelitatem expertus est Franciscus, diutius tolerato squalore carceris, vinculorum pondere, militum contumeliis diuturnisque vexationibus. Eum brevi Matthaeus est consequutus, cuius in appetenda poena capitis singularis extitit aemulatio. Damnatus enim perpetuo carcere firmissime obtestatus est velle se adiungi Francisco cum eoque obtruncari. Cuius voti ubi compos factus est, ambo Crucem manu gestantes ad supplici i locum fracti sunt. Ibi, Christi fidem iterato professi ceterosque adhortan' ut eidem sincere adhaererent, unico ensis ictu decollati ceciderunt XI Cal. Februar, an. MDCCXLV.

Sex lustris ab hoc triumpho nondum exactis, aliud nobile par Dominicianae Familiae Fratrum, Hyacinthus Castañeda, Hispanus, et Vincentius Liem a Pace, Tunquinensis, novis coronis Ordinem suum Ecclesiamque decorarunt. Horum alter, Hyacinthus, quum annos quinque Apostolicum munus in Tunquino

impigre sancteque obivisset, tandem comprehensus ac biduo cibi potusque expers, huc illuc pertractus ad magistratum adducitur. Inde in arundineam caveam tam arctam depressamque detruditur, ut neque standi locus esset neque cubandi. Haud ita multo post captus etiam laborum eius passionisque socius Vincentius, non dissimili immanitate in similem foveam coniectus est. Mox ad regem deducti, in eiusque conspectu catholicam Fidem invicto animo professi capitali poena plectuntur. Ac Hyacinthus quidem elevata Cruce, fusis precibus et recitato Apostolorum symbolo, capite truncatus est VII Id. Novembr, an. MDCCLXXIII. Vincentius autem, cui in eadem causa constituto oblata evadendi opportunitas fuit, quod capitalis illa lex indígenas non afficeret, sociae mortis aemulatione incensus, pari exitus genere eodemque die Apostolatus cui cursum felicissime consummavit. De quibus Pius PP. VI paulo post, in allocutione habita Idibus Nov. MDCCLXXV, palam professus est, *ex aequali causa, ex aequali supplicio aequalem consummati Martyrii palmam esse ab utroque reportatam.*

Quatuor horum sacerdotum sanctitatis gloriosique intentus fama cito pervulgata, quum prodigiorum etiam iubar accessisset, super eorumdem martyrio instituta est actio et canonicae inquisitiones, quum ordinaria, tum Apostolica auctoritate confectae. Quibus absolutis habitisque legitimis et validis, Summi Pontificis venia peculiari PP. Cardinalium coetui commissa est Causa, cum voto etiam Consultorum Officialium ut suam in re sententiam aperirent. Quo in conventu, habito undecimo Cal. Apriles volv. anni a Rmo Cardinali Raphaele Pierotti proposito Dubio : « *An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis, seu miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur ?* », omnes qui aderant Rmi Cardinales et PP. Consultores, suo quisque suffragio constare censuerunt. Beatissimus Pater, audita a Rmo Cardinali Aloisio Tripepi S. R. Congregationi Pro-Prae fecto de omnibus relatione, decretoriam sententiam suam aperire distulit, divini luminis praesidium a Patre luminum impensius deprecaturus.

Tandem hodierna die Dominica secunda post Pascha, quae nomen habet a recurrente Evangelio: *Ego sum Pastor bonus,* idem SSihus Pater, sacro pienissime litato, nobiliorem aulam Vaticanam ingressus ac pontificio solio assidens, ad se accersivit Rmos Cardinales Séraphin um Cretoni S. R. Congregationi

Praefectum eiusve vice et loco Aloisium Tripepi ipsius S. R. C. Pro-Praefectum et Raphaelem Pierotti Causae Relatorem, una cum Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque coram solemniter edixit: « *Constare de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis Ven. Dei Servorum* Francisci Gil De Federich, Matthaei Alonso Leziniana, Hyacinthi Castañeda *et* Vincentii Liem a Pace *in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta SS. RR. Congregationis referri iussit die decimo quinto Cal. Maias anno MDCCCCIV.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ALERIEN. SEU PAPIEN.

Decretum Canonizationis Beati Alexandri Sauli, e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, Episcopi Aleriensis et postea Papiensis.

SUPER DUBIO

« *An stante approbatione duorum miraculorum* Tuto *procedi possit ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem* ».

Optimo certe christianae reipublicae solamine, ex Dei providentis consilio, factum est ut sexti decimi saeculi splendida illa quidem, sed multis periculis obnoxia tempora insignes vitae sanctitate viros, quasi vigiles excubias religioni atque Immanità ti tuendae, nanciscerentur. Fulget horum in serie gloria illa Congregationis Clericorum Regularium a S. Paulo, Alexander Sauli.

Is omni praeditus ornamento virtutis ac doctrinae, non suae tantum saluti mira demissione animi, obedientia, puritate, patientia consuluit, sed inexplebili caritate, praesertim in episcopi munere, maximo quamplurimis adiumento et solatio fuit. Hoc pietatis magistro usus est, praeter innumerabiles alios, Carolus ille Borromaeus; hunc magni fecerunt sanciissimi viri Pius V et Philippus Nerius; hunc Gregorius XIV Angelum appellabat. Episcopus Aleriensis primum, deinde Papiensis Apostolorum

sollicitudinem eorumque charismata sic est aemulatus, ut ipsi convenire Pauli verba optime possint: « Signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus » (II Cor. xa, 12). Quae quidem signa et prodigia, quum, eo demortuo praesertim, ad confirmandam famam sanctitatis accessissent eaque fuissent rite probata, Benedictus XIV P. M. Venerabili Viro Beatorum Caelitum honores asseruit. Mox causa agitata et actione super duobus miraculis instituta, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X de utroque constare decrevit.

Unum supererai, iuxta sacri huius fori statuta, ut inquireretur, utrum Caelitum Sanctorum honores B. Alexandro Sauli *Tuto* decerni possent. Itaque in Coetu universo SS. Rituum Congregationis coram SSmo Domino Nostro habito sexto idus huius mensis maii Rmus Cardinalis Hieronymus Maria Gotti causae Relator dubium proposuit : « *An, stante approbatione duorum miraculorum,* Tuto *procedi possit ad solemnem Beati Alexandri Sauli Canonizationem* ». Quamvis vero Rmi Cardinales et Patres Consultores unanimi suffragio *Tuto* fieri posse respondissent, nihilominus Beatissimus Pater a supremo iudicio suo proferendo abstinuit rem differens in alium diem, monuitque praesentes ut fervidis precibus in tam gravi negotio caeleste lumen implorarent.

Hac autem die Dominica I post Pentecosten, sacra Uni Trinoque Deo, Sacris pientissime litatis, ad se accivit Rmum Cardinalem Aloisium Tripepi eiusdem Congregationis Pro-Praefectum, et Rmum Cardinalem Hieronymum Mariam Gotti causae Relatorem itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem meque infrascriptum a secretis, iisque adstantibus rite pronuntiavit : « Tuto *procedi posse ad solemnem Beati Alexandri Sauli Canonizationem* ».

Praesens autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta SS. Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas sub plumbo de Canonizationis solemnibus in patriarchali Basilica Vaticana, ubi primum licuerit, celebrandis, expediri iussit quarto calendas iunias an. MDCCCCIV.

S. CARD. **CRETONI,** ***Praefectus.***

L. * S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secretarius.***

AB YSSINEN.

Decretum Beatificationis seu declarationis Martyrii Ven. Servorum Dei Agathangeli Vendomensis et Cassiani Nannetensis, ex Ordine Franciscanum Capulatorum, a schismaticis in odium Catholicae Religionis interfectorum.

SUPER DUBIO

« *An, stante approbatione Martyrii eiusque Causae, ita constet de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus, ut* Tuto *procedi possit ad ulteriora* ».

Quid possint divina gratia roboratae humanae vires, quum Sanctorum omnium exempla declarant, tum potissimum eorum, qui suorum temporum spretis insidiis, posthabitis familiae commodis locique natalis deliciis, aetatis robore ac flore pollentes, maluerunt per immanes cruciatus vitam fundere, quani a Christi Fide et ab Ecclesiae unitate tuenda recedere. Horum sane multi, quorum purpuréis palmis gloriatur Ecclesia, ex inclyto Franciscanum Capulatorum Ordine prodierunt, in iisque sunt Venerabiles Dei Servi Agathangelus atque Cassianus.

Uterque initio saeculi XVII ad martyrum gloriam anhelantes, eam sibi incorruptae adolescentiae laude vitaeque reliquae sanctitate compararunt. Ad sacras expeditiones destinati, Syriam, Aegyptum, aliasque Orientis regiones uberrimo cum fructu peragerunt, proposito sibi maxime Coptorum dissidentium reditu ad catholicae Fidei unitatem. Post varia eaque asperrima itinera, post ingentes exantlatos pro Christi causa labores, tandem Aethiopiam ingressi conflatae in se invidiae poenam suaeque praemium virtutis i n venerunt, atrocissimam necem. Ac primum comprehensi et catenis onusti in carcerem coniecti sunt, ubi per solidum mensem acerbissima quaeque pertulerunt. Inde funibus constricti hisque ad quadrupedum caudas alligati, queis insidebant satellites, longo viae spatio sunt ad locum supplicii raptati. Ante vero quam ibi plecterentur, in ius vocati et coram Aethiopiae rege constituti, catholicam fidem suam publice strenueque professi sunt. Quam liberam confessionem illico poena suffocationis excepit, addito opprobrio nuditatis in conspectu confertissimae turbae, clamoribus ac sibilis prosequeris ferum spectaculum. Truncis appensi, tortoribus quaeritantibus funes, invicto' Christi athletae suas, quibus erant cingi soliti, indicarunt.

At his, quippe crassioribus quum cito confici non possent, plebs eos, le vitae Stephani beatos aemulos, crepitantium saxorum turbine oppressit VII Idus sextiles anno MDCXXXVIII.

Gloriosi huius triumphi fama late diffusa pluriumque signorum illustrata fulgore Pius X P. M., expensis iuridicis probationibus, decimo quinto cal. maias volventis anni de utriusque Ven. Servi Dei martyrio eiusque causa constare edixit (1). Dubium supererai de solemnibus Beatorum Caelitum honoribus eisdem Venerabilibus *Tuto* decernendis. Quod cum propositum fuerit a Rmo Cardinali Dominico Ferrata causae Relatore in generalibus Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis sexta idus maias labentis anni ad Vaticanas aedes habitis coram eodem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, Rmi Cardinales et PP. Consultores suam ordine protulere sententiam, qua *Tuto* procedi posse affirmarunt. Attamen Beatissimus Pater in re tanti momenti mentem suam aperire distulit, maiorem caelestis luminis gratiam interim imploraturus.

Hodierna vero Dominica I post Pentecosten, Ecclesia festum diem Trinitati augustae sacrante, idem SSmus Pater, Sacro rite peracto, nobiliorem aulam Vaticanam subiens ac pontificio solio assidens, ad se advocari voluit Rmum Cardinalem Aloisium Tripepi S. R. C. Pro-Praefectum, et Rmum Cardinalem Dominicum Ferrata causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus, solemni Decreto sanxit : « Tuto *procedi posse ad ulteriora, hoc est ad solemnem Ven. Seroorum Dei Agathangeli Vendomensis et Cassiani Nannetensis Beatificationem».*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in SS. Rituum Congregationis Acta referri litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri mandavit quarto calendas iunias anno MDCCCCIV.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Cfr. *Acta S. Sidis,* vol. XXXVI, pag. 694.

ROMANA

decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Gasparis Del Bufalo, Canonici Basilicae S. Marci de Urbe, Institutoris Congreg. Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.

SUPER DUBIO

•« An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur ».

Almae huius Urbis, pietatis omnis et religionis altricis, insigne decus est virum dedisse, qui, turbulentissima illa tempestate exeuntis XVIII saeculi « paciflcans per sanguinem Crucis Eius», ultricem Dei manum deprecaretur a populo, implens illud Apostoli: « Iustificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per Ipsum ».

Eo tamquam vexillo munitus Ven. Dei Servus Gaspar Del Bufalo Apostolatum gessit, multiplicem illum quidem et varium, sed uni quasi fundamento subnixum, perpetuo studio provehendi cultus pretiosissimi Sanguinis. Haec ille arma et erroribus obiecit et vitiis, eo potentiora, quo iuncta erant arctius exemplis vitae integerrimae. Inde vim omnem suae caritatis exeruit, animum adiiciens omni prope vitae conditioni ad sanctitatem revocandae. Nam et ad pauperum levamen piae Societatis a S. Galla incrementa curavit, et pietatis palestra m ad S. Mariae in Vincis nocturnum coetum esse voluit. Idem Clero instituendo multum operae impendit, sive per piam Societatem S. Pauli Apostoli, sive constitutis domiciliis cum suis magisteriis quo sacri ordinis alumnis expeditior pateret via sacris missionibus obeundis, sive piis exercitationibus quotannis propositis; quas praeterea et athenei romani ephebis et militaris ordinis viris comparavit. Nec incredibilis eius ardor se in Urbe continuit; quippe sacras expeditiones pene innumerabiles obiit spatio annorum duorum supra viginti, quum intra pontificiam ditionem, tum etiam per Neapolitanum regnum, per Aprutium, per Apuliam.

Eius in fide et obsequio erga Apostolicam Sedem constantia maxime probata est quo tempore Pio VII P. M. a sua Sede deturbato, saepe carcerem perpessus, Italiae varias urbes exul peragravit de aliorum aeterna salute magis quam de praesenti sua incolumitate sollicitus.

Tandem sui Apostolatus nunquam intermissis laboribus fractus, die XXVIII mensis decembris an. MDCCCXXXVII, aetatis suae anno LII nondum expleto, pretiosa morte sanctorum quievit, relictis quam condiderat Congregationis domibus tredecim, una cum sui fama undique diffusa et legiferi Patris, et sacerdotis sanctissimi.

Qua fama sanctitatis post obitum aucta variisque confirmata prodigiis, factum est ut Gasparis Del Bufalo causa ad SS. Rituum Congregationem deferretur. Edito inde Decreto approbationis virtutum a Summo Pontifice Leone XIII fel. rec. decimo quarto cal. apriles anno MDCCC&CI (1), de duobus miraculis, quae eius intercessione patrata ferebantur, diligens est instituta inquisitio.

Primum accidit miraculum anno MDCCCXXXVIII in oppido *Lenula* Archidioecesis Caietanae. Octavius Lo Stocco, conditione custos gregis, ex phtisi pulmonari in eam fuerat conditionem adductus, ut, unanimi iudicio medicorum, nihil iam opis aut in naturae viribus aut in salutaris artis praesidiis ad recuperandam valetudinem inveniret. Sic intercisa omni spe, ipsisque medicis divinantibus paucos misero superfuturos dies, admota illi est Ven. Dei Servi Gasparis Del Bufalo reliquia quaedam; qua ex contactu Octavius tranquillo somno potitus est, sensimque plane convaluit.

Alterum miraculum contigit anno MDCCCLXI die XXI mensis ianuarii in civitate Albanensi. Clementina Masini, quatuor et supra iam annos insanabili morbo afflicta iacebat, peritonite chronica cum perforatione parietum abdominalium et intestini subiacentis. Quae, quum hortatu viri sui Ven. Dei Servo Gaspari se commendasset, eiusque mdusii frustulum deglutisset, id gratiae retulit, ut invocatas Patronus ei'se in conspectum daret; quo visu recreata post placidissimum somnum, a teterrimo illo morbo sanata surrexit.

De utroque miraculo instituta quaestione, instaurata est •actio primum in antepraeparatorio conventu, in aedibus Rmi Cardinalis Dominici Ferrata habito sexto calendas décembres, anno MDCCCCII, iterum in praeparatorio ad Apostolicum Palatium Vaticanum coacto pridie calendas sextiles insequentis anni; tertio denique coetu universo coram SSrîio D. N. Pio

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXIV, pag. 6.

Papa X congregato die decima huius mensis; quo in coetu a Rmo Cardinali Dominico Ferrata causae Relatore propositum est dubium: « *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* ». Sanctissimus Pater suffragia PP. Consultorum et Cardinalium excepit, distulitque supremum iudicium in alium diem, ut in re tanti momenti sibi et aliis copia esset divini luminis flagitandi.

Hodierna autem die, solemnibus in honorem Triadis Augustissimae consecrata, Eucharistica hostia litata, Vaticanam hanc nobiliorem aulam ingressus ac pontificio solio assidens, ad se accersivit Rmum Cardinalem Aloisium Tripepi S. R. C. Pro-Praefectum et Rmum Cardinalem Dominicum Ferrata causae Relatorem una cum R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter edixit: « *Constare de duobus miraculis;* de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Octaoii Lo Stocco a pulmonum phtisi ad ultimum stadium deducta;* de altero : *Instantaneae perfectaeque sanationis Clementinae Masini a peritonite chronica et a fistula stercoraria* ».

Hoc autem Decretum vulgari et in SS. Rituum Congregationis Acta referri iussit quarto calendas iunias an. MDCCCCÍV.

S. CARD. CRETONI, *Praefectus.*

L. © S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

URBIS ET ORBIS

Missa votiva de Immaculata B. M. V. Conceptione extenditur ad singulos dies triduanae vel novenariae eiusdem festivitatis instituendae.

Qui munus sibi demandatum, ad quinquagenaria a dogmatica definitione de Immaculato B. Mariae Virginis Conceptu solemnia provehenda, Emi Patres Cardinales naviter et in exemplum exercent, recentia quaedam eaque communia quoque pluribus Sacrorum Antistitibus atque Christifidelibus vota Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X humillime depromere e re esse existimarunt. Summus vero Pontifex qui nihil magis in optatis habet quam novis sedulo argumentis Suum in Deipa-

ram Sanctam primaevae labis nesciam amorem et obsequium testari, enixas preces referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto, nuper exhibitas perlibenter excepit. Et proinde Missam votivam de ipsamet Immaculata Conceptione qualibet die octavae uniuscuiusque mensis vel dominica sequenti una cum Eiusdem commemoratione, indultam per Decretum S. R. C. *Urbis et Orbis* die 14 Augusti 1903 (1), extendere dignatus est ad singulos dies triduanae vel novenariae festivitatis quae in quibusvis ecclesiis seu oratoriis, approbante loci Ordinario, in honorem Virginis Immaculatae intra hunc vel proximum annum instituetur, servatis tamen ceteris clausulis et conditionibus quae in memorato decreto praescriptae sunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Iunii 1904.

A. CARD. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

UTINEN.

Reprobatur mos canendi lingua vulgari Passionem Domini et Litanias Lauretanas coram SS.mo exposito, necnon in eadem lingua administrandi Communionem.

Hodiernus Revmus Archiepiscopus Utinensis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna declaratione humillime exposuit:

I. In duobus Paroeciis Archidioeceseos Utinensis extat consuetudo immemorialis, qua, in Dominica Palmarum, peractis Benedictione Palmarum et Processione, canitur Passio D. N. I. C. lingua slavica vulgari: quaeritur utrum huiusmodi cantus Dominicae Passionis tolerari possit in casu, aut saltem permitti ante Benedictionem Palmarum, vel immediate post Missam lectam ?

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XXXVI, pag. 58; necnon pag. 441 eiusdem voluminis, ubi habetur Commentariolum tradens tutas normas in Missa votiva de Immaculata tenendas, quum et ipsi contrarium sentientes manus victas dederint. Praeterea est in potestate Ordinariorum, durante currenli vel proximo adfuturo anno, aliquod triduum vel novenam in honorem B. M. V. Immaculatae instituere, ita extendendo privilegium Missae votivae de Immaculata ad omnes ecclesias vel oratoria *(N. R.).*

II. In aliis duabus Paroeciis consuetudo etiam immemorialis viget, qua in Communione administranda extra Missam verba « *Domine non sum dignus* » recitantur lingua vulgari; et coram SSmo Sacramento exposito eadem vulgari lingua canuntur Litaniae Lauretanae; quaeritur, attenta vigente consuetudine, utrumque liceat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. Quoad primam partem *Negative,* et servetur Rubrica Missalis, quae talem interruptionem non concedit et post Benedictionem Palmarum praescribit: *deinde celebratur Missa,* et quoad secundam partem *affirmative,* accedente consensu Ordinarii (1).

Ad II. *Negative* et serventur Rubricae et decreta (2).

Atque ita rescripsit. Die 1 Iulii 19Ö4.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. © S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen., *Secretarius.***

(1) In relato dubio ac in ipsius resolutione tria expenduntur. In primis reprobatur usus, licet immemorialis, canendi Passionem Domini lingua vulgari in solemni functione Dominicae Palmarum. Et hoc, anterioribus Decretis omissis, iuxta *Motu Proprio* SSmi D. JN. Pii X super Musica sacra diei 22 Novembris 1903 et Decretum S. R. G. *Urbis et Orbis* diei 8 Ianuarii 1904, necnon *Plocen.* diei 29 Ianuarii 1904, praesertim vero altera *Utinen,* diei 5 Martii' 1904. (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 329, 387,426,496, et 568). Altera quaestio respicit tempus canendi Domini Passionem; et S. G. R. respondet, iuxta Rubricas Missalis, primo peragendam esse Palmarum benedictionem, deinde Processionem, demum Missam solemnem, in qua canitur Passio Domini in lingua latina. Tertiam quaestionem S. R. G. resolvit permitiendo, cum Ordinarii consensu, ut Passio D. N. I. C. canatur lingua slavica vulgari post Missam privatam *(N. R.).*

(2) Etiam heic consuetudo immemorialis permittere nequit ut Communio administretur extra Missam in lingua vulgari, neque eadem lingua cananlur Litaniae Lauretanae coram SSmo exposito. Confer hac de re *Utinen.,* diei 5 Martii 1904 ; *(Acta S. Sedis,* vol. 36, p. 568) *(N. R.).*

DUBIUM

Consuetudo non adhibendi conopeum ante Tabernaculum SS.mi Sacramenti servari nequit.

Ab hodierno caeremoniarum magistro cuiusdam ecclesiae cathedralis expostulatum fuit: An servari possit consuetudo non adhibendi conopeum quo tegi debet tabernaculum ubi asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit : *Negative et serventur Rituale Romanum et Decreta* (1).

Atque ita rescripsit. Die 1 Iulii 1904.

A. CARD. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. * S.

f D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

HIERACEN.

De occurrentia festorum et de omissione octavae S. Anastasiae.

Hodiernus Redactor Kalendarii Dioeceseos Hieracensis, de consensu sui Reviïh Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime efflagitavit, videlicet:

(1) Rituale Romanum, Tit. IV, cap. 1, *De SSmo Eucharistiae Sacramento,* n. 6 habet : « Hoc autem tabernaculum (SSmi Sacramenti) conopeo decenter operlum... sit collocatum ». Decreta autem S. R. C, quae maxime ad rem faciunt, sunt *Briocen.* diei 21 Iulii 1855, n. 3035 ad 10: « *a)* Num Tabernaculum, in quo reconditur SSmum Sacramentum conopeo cooperiri debeat, ut fert Rituale » responsum prodiit « *Affirmative* » ; necnon *Sancti Iacobi de Cile,* diei 28 Aprilis 1866, n. 3150 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 4, p. 54), quo omnino reprobatur usus ab antiquo tempore vigens non cooperiendi conopeo Tabernaculum, in quo asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum. Ex Decreto *Vicariatus Apostolici utriusque Guineae,* diei 27 Iulii 1878 n. 3456 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 21, p. 584) tantummodo regionibus Guinearum, quoad sciamus, permittitur sub prudenti arbitrio Ordinarii Tabernaculum Sacramenti absque conopeo, quia hoc insectis varii generis indecenter pollutum saepe saepius reperitur.

I. An festum duplex maius affixum certae mensis diei occurrens cum festo Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, vel cum alio festo duplici primae classis diei Dominicae afflxo, nec habens deinde usque ad 30 Decembris diem liberam, in quam reponatur, sit penitus eo anno omittendum; an vero de eo, uti de simplici per accidens, facienda sit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa festi duplicis primae classis?

II. An infra Octavam S. Anastasiae Martyris Titularis Ecclesiae, assignatae, iuxta S. R. C. decretum 13 Decembris 1895 (1), diei 30 Decembris, fieri debeat commemoratio, ex eodem Decreto, diebus tantum 2, 3, 4 et 5 Ianuarii, an vero etiam in Laudibus et Missa diei 31 Decembris?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribere rata est:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad II. Nihil fiat de Octava iuxta Rubricas et Decretum 3876 *Quebecen.*, d. d. 13 Decembris 1895 ad I. (2).

Atque ita rescripsit die 8 Iulii 1904.

A. CARD. **TRIPEPI, *Pro-Praefectus.***

L. © S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen., *Secretarius.***

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 28, p. 440, *Quebecen,* ad II: « Utrum dies 50 Decembris assignari possit S. Anastasiae Mart. in ecclesia propria?» responsum fuit: *« Affirmative,* non omissa commemoratione S. Anastasiae in secunda Missa Nativitatis, ratione Stationis » *{N. R.).*

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 28, p. 440, *Quebecen,* ad I: « An titulare Festum alicuius Ecclesiae a 31 Decembris ad quintam Ianuarii occurrens habeat octavam? » responsum prodiit *«Negative».* Responsio autem affirmativa, nempe *«Affirmative iuxta Rubricas* » huic dubio tunc temporis inserta in *Acta S. Sedis,* corrigi debet per responsum negativum. Quod imprimis conforme est Rubricis Generalibus Breviarii, quae tit. VII de Oclavis statuunt de quacumque Octava, licet nondum absoluta, nihil amplius fieri nec eiusdem commemorationem, quando supervenit dies 17 Decembris, usque ad festum Epiphaniae inclusive, uti docet *Van Der Stappen,* tom. I, q. 143. Insuper huiusmodi lectio ita invenitur in ipsa Collectione authentica Decretorum S. C. Rituum, atque hodierna decisione confirmatur *(N. R.).*

DIARIUM

Feria III, die 14 mensis Iunii anno 1904, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Sacrorum Rituum Congregatio generalis coram Sanctissimo, in Causis:

1. *Romana.* - **Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Gasparis Del Bufalo, Canonici Basilicae S. Marci de Urbe, Institutoris Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. -** *Super dubio :* **« An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum** *Tuto* **procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei Beatificationem ».**
2. *Romana seu Tridentina et Praenestina.* - **Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Stephani Bellesini, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Parochi in oppido Genestano. -** *Super dubio :* **« An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur ».**

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt Revmi Patres Consultores Theologi, et Illmi ac Revmi Domini Consultores Praelati, necnon Emi ac Rmi Dñi Cardinales S. R. C. Praepositi.

Feria III, die 28 mensis Iunii a. 1904, in Palatio Apostolico Vaticano habita fuit SS. Rituum Congregatio Praeparatoria, in Causa:

Pinnen. - **Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Gabrielis a Virgine Dolorosa, clerici Professi e Congregatione Clericorum Regularium Excalceatorum SSmae Crucis et Passionis D. N. I. C. -** *Super dubio :* **« An constet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ».**

Interfuerunt autem et suffragium tulerunt Rmi Patres Consultores Theologi, Illñii et Rmi Dñi Consultores Praelati, nec non Emi ac Rmi Dñi Cardinales S. R. C. praepositi.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM
ET SS. RELIQUIARUM
ET SS. RELIQUIARUM

Corrigitur Rescriptum quo indulgentiae concedebantur recitantibus quasdam orationes in honorem S. Stephani Protomartyris.

Beatissimo Padre,

Nicola Giuseppe Camilli, Arcivescovo di Tomi, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente espone quanto segue :

Nell'udienza del 3 gennaio del corrente anno la S. V. degnavasi accordare per la recita dell'Antifona coi Versetti e l'Orazione in onore di S. Stefano Protomartire un'indulgenza parziale per ogni giorno e la plenaria nelle due feste del Santo, 3 agosto e 26 dicembre. Ora, nel Rescritto della S. Congregazione delle Indulgenze e S.S. Reliquie in data del 23 dello stesso gennaio (1), tra le condizioni per lucrare quelle indulgenze plenarie v'è che si debba recitare la suddetta Antifona ecc. ogni giorno per un anno intero. A rendere però più facile ai fedeli l'acquisto delle indulgenze plenarie suddette il supplicante prega la S. V. a voler benignamente modificare quel Rescritto di modo che tali Indulgenze possano lucrarsi nelle due feste accennate, o in uno dei giorni delle loro ottave, da coloro che avranno recitato l'Antifona ecc. nei nove giorni che precedono ciascuna delle feste medesime. Che della grazia ecc. (2).

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag. 436.

(2) *Beatissime Pater* — Nicolaus Iosephus Camilli, Archiepiscopus Tomitanus, ad osculum S. Pedis provolutus, quae sequuntur humiliter exponit :

In audientia diei 3 ianuarii anni currentis Sanctitas Vestra antiphonam cum versiculis et oratione in honorem S. Stefani Protomartyris recitantibus partialem indulgentiam quotidianam ac plenariam in duobus festis eiusdem Sancti, die 3 augusti et 26 decembris, concedere dignata est. In Rescripto autem S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro iisdem plenariis indulgentiis lucrandis et conditio habetur, recitandi nempe quotidie per integrum annum dictam antiphonam etc. Ut igitur fideles facilius memoratas plenarias indulgentias acquirere possint orator benignam Rescripti correctionem a Sanctitate Vestra postulat, ita ut huiusmodi indulgentiae duobus supradictis festis vel die infra ipsas octavas ab omnibus, qui antiphonam etc. in novendialibus unumquodque festum praecedentibus recitaverint, lucrari valeant. Et Deus etc.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X in audientia habita die 8 iunii 1904 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia iuxta preces, firmo manente in ceteris tenore Rescripti in supplici libello memorati. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die 8 iunii 1904.

A. CARD. **TRIPEPI,** ***Praefectus.***

L. * S.

Pro Secretario
los. M. Can. COSELLI, ***Substitutus.***

URBIS ET ORBIS

Decretum quo indulgentia elargitur ter recitantibus cum Sacerdote, post indictas Missae privatae preces, invocationem *Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis-*

Quo ferventius Christifideles, hac praesertim temporum acerbitate, ad Sacratissimum Cor Iesu confugiant Eique laudis et placationis obsequia indesinenter depromere, divinamque miserationem implorare contendant, SSmo Dno N. Pio PP. X supplicia vota haud semel sunt delata, ut precibus, quae iussu s. m. Leonis XIII post privatam missae celebrationem persolvi solent ter addi possit sequens invocatio ***Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis,*** **aliqua tributa Indulgentia Sacerdoti ceterisque una cum eo illam devote recitantibus.**

Porro Sanctitas Sua, cui, ob excultam vel a primis annis pietatem singularem, nihil potius est atque optatius, quam ut gentium religio magis magisque iri dies augeatur erga sanctissimum Cor Iesu, in quo omnium gratiarum thesauri sunt reconditi, postulationibus perlibenter annuere duxit; ac proinde universis e .christiano populo, qui una cum ipso Sacerdote, post privatam Missae celebrationem, precibus iam indictis praefatam invocationem addiderint Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, defunctis quoque applicabilem, benigne elargiri dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque (1).

(i) Recitatio huius invocationis, uti patet, non praecipitur, sed est quam maxime in votis Sanctitatis Suae. Recitare insuper debet immediate post preces **a** Leone XIII praescriptas, non vero post invocationes, quae alicubi dici solent, v. g. *Dio sia benedetto* etc

Datum Romae ex Secretaria S. Congñis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 17 Iunii 1904.

À. CARD. **TRIPEPI,** ***Praefectus.***

L. S.

f D. PANICI, **Archiep. Laodicen.,** ***Secretarius.***

SUMMARIUM

Indulgentiarum, Privilegiorum atque Indultorum tributorum Tertiariis Saecularibus Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis captivorum.

I. INDULGENTIAE PLENARIAE

A. **Tertiariis ex utroque sexu vere poenitentibus, confessis ac S. Synaxi refectis :**

I° Die ingressus in Tertium Ordinem ;

2° Die professionis;

3° **Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint;**

4° Semel quolibet mense, die quo fit processio S. Scapularis.

B. **Iisdem Tertiariis si, uti supra dispositi ad mentem Summi Pontificis oraverint:**

a) **Diebus sequentibus, quibus absolutionem generalem acceperint :**

1" In festo S. Antonii Abbatis (17 ian.) ;

2° S. P. N. Petri Nolasco Conf. Fundat. Ord. (31 ian.);

3' Feria IV Cinerum;

4° Feria V Maioris hebdomadae;

5° In festo B. Mariae Annae a Iesu Virg. Ord. (17 apr.);

6' S. Laurentii Mart. (10 aug.);

T **S. Raymundi Nonnati Conf. Ord. (31 aug.);**

8° Descensionis B. M. V. de Mercede (24 sept.) ;

9° S. Serapionis Mart. Ord. (24 nov.) ;

10° Immaculatae Conceptionis B. M. V. (8 dec).

b) **I° Die quo fit prima processio tempore publicationis Missionis Religiosorum Ordinis ad redemptionem captivorum, si eidem intervenerint;**

2° Die quo fit processio in gratiarum actionem post captivorum redemptionem, si eidem intervenerint;

3° Die ad libitum, quando ad partes infidelium, captivos redimendi gratia, se transtulerint;

4° Die ad libitum, cum de partibus infidelium post captivorum redemptionem re versi fuerint.

C. Iisdem Tertiariis si, uti supra dispositi, aliquam ecclesiam vel publicum sacellum devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint :

I° Quo die ad concionem menstruam seu *conferentiam* conveniunt;

2° Semel singulis mensibus die ad libitum.

***D.* Iisdem Tertiariis qui, uti supra dispositi, ecclesiam Ordinis, vel illam ubi Sodalitium sedem habet, aut, si huiusmodi ecclesiae desint, respectivam parochialem devote visitaverint, et pro captivorum redemptione necnon ad mentem Summi Pontificis oraverint sequentibus diebus:**

I° In festo Circumcisionis, \
2° Epiphaniae, /
3° Paschatis Resurrectionis, \ **D. N. I. C. ;**
4° Ascensionis, i
5° Nativitatis,]
6° SSihae Trinitatis;
7° Pentecostes;
8° SSmi Nominis Iesu (Dom. III post Epiph.) ;
9° Immaculatae Conceptionis, \
10° Nativitatis, f
11° Purificationis, **B. M. V.**
12° Annuntiationis, i
13° Assumptionis, |

14" De Ascensionis B. M. V. de Mercede, aut una die infra novenarium praecedens vel octavam ;

15° Apparitionis S. Michaelis Archangeli (8 maii) ;

16° Dedicationis eiusdem Sancti Archangeli (29 sept.) ;

17° S. Ioannis Baptistae (24 iun.) ;

18° S. Ioseph Sp. B. M. V. (19 mart.) ;

19° Patrocinii eiusdem Sancti (Dom. III post Pascha);

20° SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 iun.) ;

21° S. Raymundi de Pennafort Conf. Ord. (23 ian.) ;

22° S. P. Nostri Petri Nolasco Conf., aut una die infra octavam ;

23° B. Mariae Annae a Iesu Virg. Tert. Ord. (17 apr.) ;

24° S. Petri Amangaudii Mart. Ord. (27 apr.) ;
25° S. Mariae Socos Virg. Ord. (21 maii) ;
26° SSmi Redemptoris;
27° S. Raymundi Nonnati Conf. Ord., aut una die novenarii ;
28° S. Petri Paschasii Ep. et Mart. Ord. (23 oct.);
29° S. Serapionis Mart. Ord. (Ii nov.);
30° Omnium Sanctorum Ordinis (13 nov.) ;
3r Sancti Titularis ecclesiae, in qua sedes Sodalitii est instituta.

E. In mortis articulo, si iidem Tertiarii, uti supra dispositi, vel saltem contriti, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde invocaverint.

II. INDULGENTIAE STATIONALES

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii si ecclesiam Sodalitii vel Ordinis visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis et pro captivorum redemptione oraverint, easdem indulgentias consequuntur, quas lucrarentur si ecclesias Urbis vel extra Urbem in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo cetera opera iniuncta praestiterint.

III. INDULGENTIAE PARTIALES

A. Septem annorum totidemque quadragenarum :

T Semel in die, quo Tertiarii ter Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam vel Symbolum Apostolorum devote recitaverint ad impetrandam captivis patientiam, fortitudinem in fide ac liberationem.
2° Item semel in die Tertiariis septies *Pater* et *Ave* in honorem B. M. V. recitantibus.
3° Iisdem comitantibus SS. Eucharistiam quum ad infirmos defertur, vel si id facere nequiverint, ad signum campanae recitantibus flexis genibus septies *Pater* et *Ave.*
4° Iisdem suscipientibus pauperes redemptus hospitio.
5° Iisdem comitantibus captivos redemptos ad ecclesiam Ordinis vel Sodalitii.

B. Trium annorum totidemque quadragenarum, quoties Tertiarii aliquod pium opus pietatis vel charitatis corde saltem contriti exercuerint.

Omnes et singulae indulgentiae hucusque recensitae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in Purgatorio degentium.

IV. PRIVILEGIA

1° Sacerdotes Tertiarii gaudent indulto Altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo tamen simile indultum pro alia die non obtinuerint,

2° Altare B. M. Virgini de Mercede dicatum in ecclesiis, ubi Sodalitium sedem babet, gaudet privilegio quotidiano pro Missis, quae in eodem a Sacerdotibus Tertiariis celebrantur.

3° Missae omnes quae celebrantur a quocumque Sacerdote in suffragium Sodalium defunctorum sunt semper et ubique privilegiatae.

V. INDULTA

1° Tertiarii degentes in locis ubi nulla extat Ordinis ecclesia lucrari valent indulgentias fidelibus huiusmodi ecclesias visitantibus concessas, ea conditione ut ecclesiam Sodalitii visitent.

2° Tertiarii, qui in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degunt, ad lucrifaciendas indulgentias Sodalitati proprias, privatum respectivae domus sacellum visitare valent.

3° Tertiarii, si sint infirmi vel convalescentes, nec possint commode e domo egredi, recitando quinquies *Pater* et *Ave,* cum *Gloria Patri* et orando ad intentionem Summi Pontificis et pro captivorum redemptione, lucrari possunt easdem indulgentias, ac si personaliter ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitassent.

4° Tertiarii infirmi vel convalescentes absolutionem generalem accipere et indulgentias lucrari valent quacumque die infra octavam festi, cui absolutiones vel indulgentiae sunt assignatae.

5° Tertiarii absolutionem generalem in pervigilio festi, cui ipsa est assignata, post sacramentalem confessionem, accipere possunt.

DECRETUM

Quum per Decretum huius S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 Iulii 1902, undequaque abrogatis omnibus indulgentiis, quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis, ob communicationem cum primo et secundo Ordine respective perfruebantur, Supremis Moderatoribus religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit, ut novum Indulgentiarum Indicem pro suis Tertiariis saecularibus proponerent; Magister Generalis Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis captivorum tali mandato obtemperans novum praedictum Indicem elaboravit, illumque huic S. G. humillime subiecit; quae adhibita etiam quorundam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit. SSmus vero D. N. Pius PP. X, in Audientia diei 28 Augusti 1903, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex indulgentiis in supra proposito Elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt, benigne confirmavit, alias vero, loco earum, quibus vi communicationis gaudebant, clementer est impertitus, simulque mandavit ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum, iisque potiantur privilegiis et indultis, quae in praedicto Elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 18 iunii 1904.

A. CARD. **TRIPEPI,** ***Praefectis.***

L. * S.

Pro Secretario
Ios. M. CAN. COSELLI, ***Substitutus.***

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Dubia circa Iubilaeum a. 1904 implendum.

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Cum circa interpretationem Litterarum Apostolicarum de Iubilaeo quaedam dubia mota sint, Sacra Poenitentiaria pro declaratione humillime supplicatur.

Dubia autem haec sunt:

I. Edicunt Litterae Apostolicae ieiunium peragendum « *praeter dies in quadragesimali indulto* NON *comprehensos* », seu gallice : « hormis les jours NON *compris* dans l'induit quadragesimi ». Quae tamen verba mendose, ut videtur, in gallicam linguam vertunt Typi Vaticani : « Hors des jours *compris* dans l'induit quadragésimal ». Ne sit igitur ambigendi locus, quaeritur utrum in hac Tolosana dioecesi ubi diebus quatuor Temporum et Vigiliarum ex indulto licet uti lacticiniis et condimenta ex adipe, possit his diebus (dummodo indulti dispensationibus non utantur) peragi ieiunium pro iubilaeo ?

II. Extant, in suburbana regione, oppida quaedam, in municipio Tolosano civiliter comprehensa, quae tamen distinctas efformant parochias, nec ipsi urbi sunt materialiter continentia. Quaeritur utrum in his oppidis pro iubilaeo visitationes faciendae sint in respectivis ecclesiis parochialibus, an in Ecclesia Cathedrali Tolosana?

III. Utrum idem dicendum sit de externis suburbìis urbi adiacentibus et continentibus?

IV. Quaedam parochiae rurales pluribus coalescunt viculis, satis inter se dissitis, quorum quidam capellani, ut aiunt, auxiliarem habent. Quaeritur utrum in his capellis visitationes peragi possint?

V. Et ubi huiusmodi dubia oriuntur, ne frustretur devotia fidelium, utrum ius sit Ordinario authentice determinandi quaenam sit visitanda ecclesia oratoriumve ?

VI. Cum Litterae definiunt menses iubilares designandos esse ANTE *diem VIII Decembris,* quaeritur utrum dies illa comprehendi possit intra trimestre iubilaei?

VII. Facultas eligendi confessarium ex approbatis, quadam-

tenus restringitur, ad *moniales* quod attinet: quaeritur utrum haec restrictio afficiat:

a) Sorores Institutorum votorum simplicium ;

b) Religiosas quorumdam Ordinum, ubi quidem ex primitivis Constitutionibus habetur professio solemnis, in Gallia tamen ex mente S. Sedis non emittuntur nisi vota simplicia ?

VIII. Quaeritur utrum in hoc iubilaeo possit unus idemque poenitens pluries eligere confessarium, et erga illum confessarius confessariive pluries uti facultatibus iubilaei, quamdiu dictus poenitens opera omnia iubilaei nondum perfecerit ?

S. Poenitentiaria mature consideratis expositis respondet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *In praefatis oppidis visitationes faciendas esse in propria ecclesia parochiali uniuscuiusque fidelis.*

Ad III. *Negative, et visitandam esse Ecclesiam Cathedralem.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Provisum in praecedentibus.*

Ad VI. *Comprehendi.*

Ad VII. *Restrictionem eligendi confessarium tantummodo inter approbatos pro monialibus, afficere eas quae nedum in communitate vivunt, sed habent praeterea confessarium ab Ordinario designatum qui ad eas accedit, ut earum confessiones unus excipiat.*

Ad VIII. *Affirmative.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 3 Aprilis 1904.

B. POMPILI, *Datarius.*

F. Can. PASCUCCI, *Substitutus.*

OOBREOTIO

In fasciculo Ianuarii 1904, pag. 355, retulimus Decretum S. Congr. Concilii « *De Clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis* » editum die 14 Novembris 1903. Huius autem Decreti nuper prodiit correctio quaedam officialis, quae sequenti modo peragenda est. Post articulum II huius Decreti, pag. 557, linea 20, haec addenda sunt: « *Quo vero ad Sacerdotes Orientalis ritus serventur dispositiones datae a S. C. de Propaganda Fide litteris diei Î2 Aprilis 1894* ». Insuper in prima parte immediate sequentis articuli III, pag. 357, lin. 23, post verba « *ut pro Americae* » adiicienda sunt haec « *aliarumque regionum »;* ac proinde in linea inferiori post verba « *pro Americae vero* » omittenda sunt alia « *aut alterius regionis* ».

SUMMA ACTORUM

ACTA ROMANI PONTIFICIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX SECRETARIA BREVIUM

EX SECRETARIA STATUS

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE
S. R. ET U. INQUISITIONIS

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

EX S. G. CONCILII

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

EX S. G. A NEGOTIIS ECCLES. EXTRAORDINARIIS

EX S. C. STUDIORUM

EX S. POENITENTIARIA APOST.

EX VICARIATU URBIS

APPENDIX

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.